NAZIONALE
8
18 — É
10/11
VITT. EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

[illegible] by Google

THEOLOGIA MORALIS CHRISTIANA DE ACTIBUS HUMANIS, AD MENTEM SS. AUGUSTINI, & THOMÆ.

Continens tutiores, & ſecuriores regulas dirigendi conſcientias

Paſtoribus, Confeſſariis, & omnibus Sacræ Theologiæ Studioſis perutilis.

AUTHORE

Rever. Admodum Domino LAURENTIO NEESEN, Canonico Theol. Metrop. Eccleſiæ Mechlinienſis;

NEC NON

SEMINARII PRÆSIDE.

Ad uſum Theologorum Seminarii Archi-Epiſcopalis.

Editio Secunda Auctior & Emendatior.

MECHLINIÆ,

Typis GISBERTI LINTSII, 1675.

Cum Privilegio Regis.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ALPHONSO
DE BERGHES,
EX COMITIBUS
DE GRIMBERGHE,
ARCHI-EPISCOPO
MECHLINIENSI,
Delegato Apoſtolico ad exercitus regios,
BELGII PRIMATI,
Regi Catholico à Conſiliis Status, &c.

ILLUSTRISSIME ARCHI-PRÆSUL

Sacroſanctum Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap.* 14. præcepit neminem admitti debere ad Sacrum Presbyteratus ordinem, niſi prævio examine comprobetur idoneus ad populum docendum ea, quæ ſcire

Digitized by Google

omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; & meritò: quia quilibet Sacerdos quaſi Doctor orbis conſtituitur ad docendum populum legem Dei, affirmante hoc S. Scripturâ, *Malach.* 2. dum ait, *Labia enim Sacerdotis custodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Hæc dum tacitus mecum conſidero, & mentis oculos ad Paſtores, Confeſſarios, & animarum Directores reflecto, qui omni tempore parati eſſe debent reddere rationem omni poſcenti de ea fide, quæ in ipſis eſt: quique tamquam fideles diſpenſatores myſteriorum Dei, frangere debent ſolidum & incorruptum doctrinæ panem eſurientibus ſubditis; & ad inſtar filiorum Aaron, perpetuum ignem fovere in altari, quò accendant candelam ſapientiæ, ad depellendas omnes ignorantię tenebras, profectò eos longè eminentiori ſcientiâ, & prudentiâ antecellere debere ſimplices Presbyteros arbitror; prout apud omnes in confeſſo eſt. Eapropter ſicuti inter cætera Moſaici Sacerdotis ornamenta erat rationale, cui inſcripta erant hæc duo nomina; *Doctrina, & Veritas*; quod, quoties Sacerdos tabernaculum Domini ingrediebatur, ipſe pectori ſuo affigebat: ita hoc ſymbolo denotari autumo, neminem Evangelicæ legis presbyterum in eccleſiaſticas functiones, ſignanter quibus cura animarum annexa eſt, ſeſe debere ingerere, niſi halce duas gemmas animæ ſuæ firmiter inſculptas gerat, adeo enim perplexa res eſt animarum cura, & tam arduum negotium, abſque errore intimas conſcientiarum

rum latebras rimari, & obſcuros affectuum & cogitationum receſſus perluſtrare, ob varias circumſtantias undique adventantes, incertos caſus, intricatas hypotheſes, & alia id genus mirabilia illis annexa: ut meritò Sanctus & Magnus Gregorius Papa, *artem artium regimen animarum*, appellaverit: ita ut ad id opus ſit filo Ariadnes, cujus ductu, ſinuoſos & abditos humani cordis anfractus, prudens animarum director inoffenſo pede valeat penetrare. Taceo, hoc infauſto ſæculo complures à multis proponi vias, quæ videntur rectæ in ordine ad dirigendas animas, noviſſima verò earum ducunt ad mortem: *complures*, inquam, (liceat mihi uti verbis Alexandri VII. Pontificis Maximi) *opiniones, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas reſuſcitari, partim noviter prodire: & humanam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excreſcere; per quam, in rebus ad conſcientiam pertinentibus, modus opinandi irrepſerit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem, ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela.*

Et hæ rationes me impulerunt ad hunc Tractatum edendum; in quo proinde non agitur (ut vulgò dici ſolet) *De lana caprina*; neque de Philoſophicis ſubtilitatibus; quæ nonnumquam utilius ignorantur, quam ſciuntur: ſed de rebus ſcitu maximè neceſſariis; ſcilicet de regulis actuum humanorum, ea præſcribentibus quæ

ad

ad conſcientiam, & mores verè Chriſtianos ſecundum Chriſti Evangelium efformandos, pertinent: ſine quorum præſidio, nemo vitam verè Chriſtianam ducere; multò minus finem ultimum, ad quem creatus eſt, attingere valet; quarum adminiculo quilibet Confeſſarius, & animarum Director, doloſum conſcientiarum labyrinthum tutò valebit ingredi, & ſine errore peragrare.

Porrò quia lectio librorum duobus potiſſimum modis faſtidium ingerere ſolet, & affligere ſpiritum legentis; ſcilicet qualitate, ſi obſcurior ſit; & quantitate, ſi prolixior fuerit: in quo utroque proinde magno opus eſt moderamine; ne alioqui, quod ad refectionem ſumitur, ad ſuffocationem comedatur. Quoad primum, uſus ſum ſtylo prorſus vulgari & familiari, qui ab omnibus capi poterit, ſine ullius (ut confido) offendiculo; quia ſapientibus, & inſipientibus me debitorem agnoſco. Quoad ſecundum, eâ utor brevitate, ut res tamen graviſſimas non ita curſim expediam, quin coner Lectori ſatisfacere.

Hoc autem opere abſoluto, non diu mihi fuit deliberandum quem illi patronum deligerem; eò quod ad ſinum Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Veſtræ Gratiæ jure ſuo properat: cùm enim, juxta notorium juris axioma *qualibet res in tantum fructificet ſuo Domino, ut apud quemcumque fructus ejus exſtiterint, Domino illius exſtent*; Jure merito judicavi me obligatum ad reſtitutionem hujus operis Illuſt.^mæ V. G. eò quod ſatum ſit, excreverit,

rit, & maturuerit in horto Seminarii Veſtri Archi-Epiſcopalis, digitis alumnorum ibidem exceptum, & collectum; adeoque Illuſt.^mæ^ V. G. non tantum ex juſtitia, ſed & plurimis aliis titulis debitum.

Patere itaque ut exiguus iſte fœtus ſub fœlicibus Nominis tui auſpiciis, & ſub protectione gentilitiarum columnarum ſtirpis, & domus Grimberganæ lucem aſpiciat: & profecto, ſi quam Illuſtrem Familiam in Belgio ſuſpicere velim, ſub cujus Patrocinio hic Liber tutus deliteſcat, Illuſtriorem neſcio, quam hanc; quæ originem ſuam cum Ducibus Brabantiæ habet communem; quam, poſtquam inter complures Heroës decorarunt quinque Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes; duo Leodienſes, & tres Cameracenſes: & totidem aurei velleris equites: Tu illi plurimùm ſplendoris addidiſti, cum ad Archi-Epiſcopatum, & totius Belgii Primatum evectus es; quem ad divini nominis honorem & gloriam, & ad Belgicæ Eccleſiæ bonum, diutiſſimè gubernes & regas, ego Deum optimum maximum rogare non deſinam. Mechliniæ 31. Octobris.

Illuſtriſſimæ & R.^mæ^

Veſtræ Gratiæ.

Humillimus Famulus

LAURENTIUS NEESEN

Digitized by Google

CENSURA.

HIc Tractatus, de Actibus Humanis &c. *Præcipuam partem* Moralis Theologiæ, *magnis, & variis Tomis alibi ſparſam, compendioſa brevitate complectitur: varia dogmata maximè neceſſaria juxta ſolidiora Chriſtianæ vitæ principia ita ſublimiter tractat, ut & eruditis uſui eſſe poſſit: ita dilucidè exponit, ut & rudiores & præcipuè tyrones ea capere valeant: ita particulatim verſat, ut eum omnibus ad praxim utilem judicem, & ne jejuna ſit ſcientia, pietatis ei monita conjungit. Nihil in eo reperi Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium. Propter quod utiliter excudetur. Actum Bruxellis* 3. *Novembris* 1674.

JOANNES ROUCOURT
S. Th. L. Eccleſ. Coll. DD. Mich. & Gud. Pleban. Lib. Cenſor.

Summa Privilegii.

CAROLI Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, Sereniſſimi Belgarum Principis Diplomate, conceſſum eſt *Gisberto Lintſio* Typographo Jurato, ut liberè imprimat, ac divendat Librum cui Titulus *Theologia Moralis Chriſtiana &c.* Authore *Rev. Adm. D. Laurentio Neeſen* Canon. Theol. Metrop. Mechl. &c, interdictumque, ne quiſquam alius eumdem Librum imprimere, aut alibi impreſſum divendere, citra expreſſum ejuſdem Typographi conſenſum præſumat, ſub pœna Confiſcationis Exemplarium, & triginta inſuper florenorum in ſingula; prout latiùs patet ex originali Diplomate Dato, ac Sigillato Bruxellæ in Supremo Brabantiæ Senatu.

Signat

LOYENS
INDEX

Digitized by Google

INDEX

TRACTATUUM, QUÆST. ET DUBIORUM

Quæ in hoc Volumine Continentur.

TRACTATUS I.

De Actu Humano in Genere, & fine ejus. Fol. 5

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Actus Humanus.

DUBIUM PRIMUM.

AN *omnis actio Humana ſit propter finem.* Fol. 6

Dub. II. *Quid cauſa finalis; & quomodo dividatur.* 8

Dub. III. *Quanam ſit proxima ratio conſtituens cauſam finalem potentem ad cauſandum finaliter.* 9

Dub. IV. *Secundum quod eſſe cauſa finalis cauſet.* 10

Dub. V. *An ſola creatura rationalis agat propter finem.* 11

Dub. VI. *An actiones Dei ad intra; item ad extra habeant cauſam finalem.* 13

Dub VII. *An actiones humanæ deſumant ſpeciem à fine.* ibid.

Dub. VIII. *An homo in omni, actione ſua habeant aliquem finem ultimum ſecundum quid.* 15

Dub. IX. *An omnes homines habeant eundem finem ultimum ſimpliciter.* 16

Dub. X. *An homo obligetur omnes actiones ſuas referre in Deum actualiter, vel virtualiter tamquam in finem ultimum.* 19

Dub. XI. *An omnes creaturæ in eodem fine ultimo conveniant.* 26

TRACTATUS II.

De Beatitudine.

QUÆSTIO PRIMA.

Quotuplex ſit Beatitudo.

Dub. I. AN *Beatitudo objectiva conſiſtat in aliquo bono creato.* 29

Dub. II. *An Beatitudo formalis conſtat in aliquo bono creato* 30

Dub. III. *An Beatitudo ſit operatio partis ſenſitivæ.* 32

Dub. IV. *An Beatitudo formalis ſit operatio intellectus, an voluntatis.* 33

Dub. V. *An Beatitudo formalis, conſiderata quoad integrum & perfectum ſtatum ſuum non involvat actum voluntatis.* 35

Dub. VI. *An in Beatis rectè aſſignentur dotes animæ & corporis* 37

Dub. VII. *An omnes ſenſus in corporibus beatis operabuntur.* 40

Dub. VIII. *Quid ſit aureola, quæ attribuitur aliquibus ſanctis.* 41

Dub. IX. *Unde oriatur impeccabilitas in beatis.* 42

** Dub. X.

Dub. X. *An animæ Sanctorum ſint Beatæ ante communem corporum reſurrectionem.* ibid.

QUÆSTIO II.

De immortalitate animæ.

Dub. I. *An poſſit homo conſequi Beatitudinem.* 44
Dub. IJ. *An animæ rationalis immortalitas ſit de fide.* 45
Dub. IIJ. *An naturali ratione probari poſſit animam rationalem eſſe immortalem.* ibid.

TRACTATUS III.

De Paſſionibus Animæ, & ejus potentiis.

Dub. I. *Quotuplicis generis potentiæ ſint in homine.* 51
Dub. IJ. *Quid Paſſio animæ, & quæ ejus natura.* 53
Dub. III. *Quot ſint numero Paſſiones animæ.* 54
Dub. IV. *An in ſola potentia appetitiva ſenſitiva ſint animæ Paſſiones.* 55
Dub. V. *Quomodo hi undecim affectus definiuntur.* 57
Dub. VI. *Quodnam ſit diſcrimen inter affectus voluntatis, & affectus appetitus ſenſitivi.* ibid.
Dub. VIJ. *Quænam ſint cauſæ affectuum ſeu paſſionum animæ.* 59
Dub. VIIJ. *An omnes affectus in appetitu excitatus non poſſit dici amo.* ibid.
Dub. IX. *Quiſnam affectus ſit omnium primus.* 60
Dub. X. *Quinam ſint effectus amoris.* 61
Dub. XI. *Quomodo dividatur amor benevolentiæ erga Deum.* ibid.
Dub. XII. *Quomodo potentiæ ſenſitivæ & rationales ſe invicem moveant in eadem anima.* 63

TRACTTAUS IV.

De Voluntario.

Dub. I. *Quid voluntarium.* 66
Dub. II. *Quotupliciter dividatur voluntarium.* 69
Dub. III. *Quomodo diſtinguatur voluntarium directum ab indirecto.* 72
Dub. IV. *Quid voluntarium expreſſum, & tacitum.* 75
Dub. V. *Quid voluntarium voluntate propriâ: & voluntarium voluntate alienâ.* 76
Dub. VI. *An detur voluntarium ſine ullo actu voluntatis.* ibid.

TRACTATUS V.

De Libero Arbitrio.

Dub. I. *De multiplici acceptione libertatis.* 78
Dub. IJ. *An ultra hanc libertatem eſſentialem ſit in homine viatore alia libertas à neceſſitate tamquam neceſſaria ad merendum & demerendum.* 79
Dub. IIJ. *Quid liberum arbitrium à neceſſitate.* 81
Dub. IV. *Quotuplex ſit liberum arbitrium.* 82
Dub. V. *An indifferentia ad libertatem hominis viatoris requiſita excludat omnem omnino præviam prædeterminationem ab extrinſeco.* 87
Dub. VI. *An voluntas in liberis ſuis actionibus pendeat ab ultimo judicio practico, dictante hoc vel illud, hic & nunc eſſe facien-*

Digitized by Google

faciendum, vel omittendum. 88

TRACTATUS VI.
De cauſis impedientibus voluntarium, & liberum.
QUÆSTIO I.
De Violenta.

Dub. I. *Quid violentum.* 91
Dub. II. *An voluntati poſſit inferri violentia.* ibid.
Dub. III. *An violentia cauſet involuntarium abſolutum.* 94

QUÆSTIO II.
De Metu

Dub. I *Quid metus: & quotuplex* 96
Dub. II. *An metus cauſet voluntarium abſolutè, & involuntarium ſecundum quid* ibid.
Dub. III. *An dolor ortus ex ſolo metu gehennæ ſit involuntarius ſecundum quid, & conſequenter inſufficiens ad remiſſionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ.* 98
Dub. IV. *An metus gravis damni; ut mortis, incarcerationis, &c. excuſent à violatione præcepti humani.* 105
Dub. V. *An lex naturalis, prohibens rem intrinſecè malam, obliget cum periculo mortis.* 107
Dub. VI. *An venditiones, emptiones, promiſſiones, & generaliter omnes contractus per metum gravem extorti ſint jure naturali & poſitivo validi.* 108

QUÆSTIO III.
Quomodo ſe habeat Concupiſcentia ad voluntarium.

Dub. I. *Quotuplex ſit concupiſcentia.* 110
Dub. II. *An concupiſcentia cauſet involuntarium.* 111

QUÆSTIO IV.
De Ignorantia.
Quomodo illa ſe habeat ad voluntarium.

Dub. I *Quid ſit ignorantia & quotuplex.* 113
Dub. II. *Quænam ſint requiſita ad hoc ut ignorantia ſit invincibilis, ſeu ut excuſet à peccato.* 115
Dub. III. *Quot modis aliqua ignorantia poſſit vinci ſeu ſuperari.* 116
Dub. IV. *An dari poſſit ignorantia invincibilis juris humani.* 117
Dub. V. *An detur ignorantia invincibilis juris divini excuſans à peccato.* 119
Dub. VI. *An detur ignorantia invincibilis ſtatutorum particularium ad officium ignorantis pertinentium.* 121
Dub. VII. *An detur ignorantia invincibilis facti.* 122
Dub. VIII. *An dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturæ excuſans à peccato.* 123
Dub. IX. *An ignorantia invincibilis eorum quæ quis ſcire tenetur, ſive ſint juris naturæ, ſive juris poſitivi, ſecundum ſe ſit peccatum.* 127

TRACTATUS VII.
De Circumſtantiis actuum humanorum.

Dub. I. *Quid circumſtantia actus humani.* 130
Dub. II. *An circumſtantiæ conferant actui humano bonitatem vel malitiam.* 132

Digitized by Google

Dub. III. *An circumſtantia det actui quandoque primam ſpeciem: quandoque ſuperaddat novam ſpeciem.* 136
Dub. IV. *Quot ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem actus: quot item aggravantes malitiam actus intra eandem ſpeciem.* 138
Dub. V. *De circumſtantia finis.* 140

TRACTATUS VIII.

De objecto voluntatis, & quomodo moveatur.

QUÆSTIO PRIMA.

Quodnam ſit objectum voluntatis.
Dub. I. *An objectum voluntatis ſit ſolum bonum.* 147
Dub. II. *An voluntas poſſit ferri in objectum ſub conditione.* 149
Dub. III. *Quodnam objectum voluntatis, quatenus eſt potentia.* 151

QUÆSTIO II.

De principiis voluntatem moventibus.
Dub. I. *A quo moveatur voluntas ad ſpecificationem ſui actus.* 153
Dub. II. *Quid moveat voluntatem ad exercitium ſui actus.* 155
Dub. III. *Quæ cognitio ſit prærequiſita ad hoc, voluntas moveatur.* 157
Dub. IV. *An omnimoda & abſoluta neceſſitate ad omnem voluntatis actum prærequiratur cognitio intellectus.* 159
Dub. V. *An, & quomodo corpora cœleſtia moveant voluntatem.* 161
Dub. VI. *An ſolus Deus effectivè moveat voluntatem tamquam principium extrinſecum.* 163
Dub. VII. *An Deus prædefiniat omnes actus bonos cauſæ ſecundæ, eoſque determinet ſecundum omnes ſuas circumſtantias.* 165

TRACTATUS IX.

De actibus voluntatis tam elicitis, quam imperatis.

QUÆSTIO I.

Quid Fruitio. 169

QUÆSTIO II.

Quid Intentio? 173
Dub. I. *Quotuplex ſit intentio.* 174
Dub. II. *Quamdiu intentio virtualis finis dicatur permanere.* 175
Dub. III. *Quid intentio habitualis.* 176
Dub. IV. *Quam ſit neceſſaria bona intentio præfixa noſtris operibus.* 178

QUÆSTIO IIJ.

De Electione. 179
Dub. I. *An electio ſit tantum mediorum.* 180
Dub. II. *An ſi ſint plura media ad finem idonea, neceſſe ſit, ſuppoſita efficaci intentione, eligi utilius, vel magis idoneum.* 183

QUÆSTIO IV.

De Conſilio ſeu Conſultatione, aut Deliberatione; item de Judicio. 184

QUÆSTIO V.

Quid Conſenſus. 186

QUÆSTIO VI.

Quid Uſus. 187

QUÆSTIO VIJ.

Quid Imperium. 188
Dub. I. *An & qui actus intellectus imperentur.* 190
Dub. IJ. *Quomodo imperentur actus appetitus ſenſitivi à voluntate.* 192

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO UNICA.

De Dæmoniacis.

Dub. I. *An ſit fidei ſuiſſe quandoque aliquos dæmoniacos.* 198

Dub. IJ. *Quiſnam ſit cenſendus dæmoniacus, ſeu à dæmone poſſeſſus.* 200

Dub. IIJ. *Ex quibus ſignis cognoſcatur quis ſit à dæmone poſſeſſus.* 201

Dub. IV. *An ſit certum ſignum in habitantis dæmonis, dum ex applicatione alicujus rei ſacræ v. g. SS. Reliquiarum, Agnus Dei, aquæ luſtralis, &c. dæmoniacus terretur, blaſphemat, aut impatienter loquitur.* 205

Dub. V. *Ob quæ peccata Energumeni poſſideantur à dæmone.* 207

Dub. VJ. *Quibus mediis apellantur dæmones è corporibus obſeſſis.* 202

TRACTATUS X.

De Bonitate & malitia actus humani.

Dub. I. *De eſſe morali actus humani.* 212

Dub. IJ. *An actio humana deſumat bonitatem vel malitiam ab objecto.* 215

Dub. IIJ. *An actus externi habeant quoque bonitatem vel malitiam ab objecto?* 218

Dub. IV. *An detur aliquis actus indifferens ſecundum ſpeciem, item ſecundum individuum.* 221

QUÆSTIO I.

An bonitas vel malitia prius ſint in actibus voluntatis externis, quam internis. 222

Dub. I. *An ſit eadem bonitas actus interni, & externi.* 224

Dub. IJ. *An actus externus ſuperaddat aliquid bonitatis vel malitiæ actui interno.* 226

Dub. IIJ. *An idem actus externus poſſit eſſe bonus & malus.* 233

QUÆSTIO II.

De Regulis actuum humanorum.

Dub. I. *An bonitas actus pendeat à ratione tamquam à ſua regula.* 235

Dub. IJ. *An lex æterna ſit regula humanorum actuum.* 237

TRACTTAUS XI.

De Conſcientia.

QUÆSTIO I.

De Variis Conſcientiæ Acceptionibus. 240

Dub. I. *An practicum judicium conſcientiæ, quod eſt immediata regula actuum humanorum, debeat eſſe certum & evidens.* 244

Dub. IJ. *Quot peccata committat agens contra dictamen conſcientiæ.* 247

Dub. IIJ. *Quotupliciter dividatur Conſcientia.* 248

Dub. IV. *Quid, & quotuplex ſit conſcientia vera ſeu recta.* 250

Dub. V. *Quid & quotuplex ſit conſcientia erronea.* 252

Dub. VI. *Quomodo, & qualiter obliget conſcientia invincibiliter erronea.* 255

QUÆSTIO. II.

De Conſcientia Probabili. 259

Dub. I. *Quid probabile, & ex quo oriatur probabilitas.* 260

Dub. IJ. *An conſcientia probabilis ſeu judicium opinativum poſſit eſſe proxima regula directiva actuum humanorum.* 262

Dub. IIJ. *An Authoritas unius Doctoris ſufficiat, non tantum ad reddendam*

ſententiam aliquam probabilem in materia morali: ſed etiam ad reddendam illam tutam in praxi. 264
Dub. IV. *An ſit peccatum operari ex præſcripto opinionis minus probabilis relictâ probabiliori.* 269
Dub. V. *An ſaltem non ſit licitum ſequi minus probabilem relictâ probabiliori.* 274
Dub. VJ. *Quomodo in adminiſtratione Sacramentorum ſe gerêt miniſter quoad uſum ſententiæ magis aut minus probabilis: item quomodo Judex Medicus & Advocatus in ſuis reſpectivè functionibus.* 275
Dub. VII. *Quid faciendum in materia morali quando pro utraque parte contradictionis ſtat æqualis probabilitas.* 278
QUÆSTIO IIJ.
De Conſcientia dubia. 281
QUÆSTIO IV.
De Conſcientia Scrupuloſa. 286

TRACTATUS XII.

De regula remota actuum humanorum, quæ eſt Dei voluntas. 293

TRACTATUS XIII.

De Virtutibus.

QUÆSTIO I.
Quid ſit virtus. 300
QUÆSTIO II.
De Virtutibus Theologicis. 307

TRACTATUS XIV.

De Peccatis ſecundum ſe.

QUÆSTIO I.
Quid ſit peccatum in genere. 309
Dub. I. *Quid peccatum habituale.* 311
Dub. IJ. *An poſt actum peccati remaneat macula.* 312
Dub. IIJ. *De multiplici diviſione peccati actualis.* 314
Dub. IV. *De diviſione peccati actualis in mortale, & veniale.* ibid.
Dub. V. *An teneatur confeſſarius diſcernere mortale à veniali: & quomodo id poterit.* 315
Dub. VJ. *De Peccato commiſſionis, & omiſſiones.* 321
Dub. VIJ. *De diſtinctione ſpecifica peccatorum.* 326
Dub. VIIJ. *De diſtinctione numerica peccatorum.* 328
Dub. IX. *De diviſione peccati in carnale, & ſpirituale.* 331
Dub. X. *De diviſione peccati in peccatum cordis, oris, & operis.* 332
Dub. XI. *De diviſione peccati in Deum, proximum, & ſeipſum.* 333
Dub. XIJ. *An detur peccatum ex pura malitia.* 335
Dub. XIIJ. *An peccata in Spiritum Sanctum: item in cœlum clamantia ſpectent ad ſpeciem peccati ex pura malitia.* ibid.
Dub. XIV. *Quid, & quot ſint peccata Capitalia.* 336

Dub. XV.

Digitized by Google

Dub. XV. *Quot ſint peccata aliena.* 339
Dub. XVI. *Undenam deſumatur gravitas peccatorum.* 340

QUÆSTIO II.

De ſubjecto Peccatorum.

Dub. I. *An motus concupiſcentiæ & libidinis exurgentes in appetitu ſenſitivo circa objecta illicita, & prævenientes uſum rationis, ſint peccata.* 342
Dub. II. *An & quomodo delectatio moroſa ſit peccatum: ſeu potius, an conſenſus in delectationem moroſam ſit peccatum mortale.* 345

QUÆSTIO III.

De cauſa Peccati.

Dub. I. *Quidnam ſit cauſa Peccati.* 352
Dub. IJ. *An peccatum ſit cauſa peccati.* 354
Dub. IIJ. *An amor ſui ſit principium omnis peccati.* 355
Dub. IV. *An Deus ſit cauſa actus peccaminoſi.* 356
Dub. V. *An Deus decreto ſuo efficaci prædefiniat omnem actum peccaminoſum quoad materiale peccati.* 358
Dub. VJ. *An Deus ſit cauſa peccati.* 359
Dub. VIJ. *An Deus ſit cauſa excæcationis, & obdurationis.* 365

TRACTATUS XV.

Sive Appendix ad Tractatum de Peccatis.

De praxi Confeſſariorum circa peccatores conſuetudinarios, & exiſtentes in occaſione proxima peccati mortalis.

Dub. I. *Quomodo ſe geret Confeſſarius in ordine ad abſolutionem erga pœnitentem conſuetudinarium, qui in peccata mortalia; v. g. perjurium, blaſphemiam, pollutionem frequenter labi ſolet.* 367
Dub. IJ. *Quid faciet Confeſſarius cum ejuſmodi conſuetudinario quem judicat indiſpoſitum ad abſolutionem, vel cujus diſpoſitionem habet ſuſpectam.* 369
Dub. IIJ. *Quid ſi ejuſmodi pœnitens à confeſſario monitus tempore condicto revertatur, & nihil ſibi à confeſſario injunctum præſtiterit, & necdum emendationis conatum adhibuerit.* 370
Dub. IV. *An Confeſſarius poſſit, & debeat examinare pœnitentem ſuper conſuetudine, qui pro prima vice illum accedit, ſi cum fundamento de ea dubitet.* 371
Dub. V. *An peccator conſuetudinarius quandoque poſſit pro prima vice abſolvi.* 372
Dub. VJ. *Quomodo ſe geret confeſſarius circa pœnitentes ſæpius relabentes in peccata venialia.* 374

QUÆSTIO II.

De occaſione proxima peccati.

Dub. I. *Quomodo ſe geret confeſſarius cum pœnitente exiſtente in occaſione peccandi.* 379
Dub. II. *An confeſſarius poſſit abſolvere adoleſcentem ſæpius in molitiem, ſeu pollutionem incidentem.* 380
Dub. IIJ. *Quomodo ſe geret confeſſarius erga famulum commorantem in eadem domo*

Digitized by Google

domo cum ancilla, cum qua ſolet ſæpè peccare: item erga filiumfamilias, qui ſæpe ſolet peccare cum conſanguinea ſecum cohabitante: præſertim ſi dicant ſe ſine graviſſimo ſuo damno temporali ſuam reſpectivè domum non poſſe deſerere. 382

Dub. VJ. *Quomodo ſe geret confeſſarius erga iuvenes ducentes choreas cum puellis ſecundum honeſtam patriæ conſuetudinem, qui habentes experientiam ſuæ fragilitatis ordinariè peccant, dum in huiuſmodi occaſionibus verſantur.* 383

TRACTATUS XVI.
De Peccato Originali.

Dub. I. AN *Peccatum primi parentis traducatur per originem in poſteros.* 391

Dub. IJ. *An ipſum actuale peccatum quod commiſit Adam traducatur in poſteros.* 396

Dub. IIJ. *Quid ſit peccatum originale, & quomodo contrahatur.* 400

Dub. IV. *Quomodo peccatum originale traducatur in poſteros.* 404

Dub. V. *De ſubiecto Peccati originalis.* 406

Dub. VJ. *An parvuli, cum ſolo originali mortui, ſint damnati.* 409

Dub. VIJ. *Quænam naturæ corruptio ex peccato originali ſit conſecuta.* 412

Dub. VIIJ. *An poſſit in aliquo homine reperiri Peccatum originale cum ſolo veniali.* 413

Dub. IX. *De Reatu pœnæ.* 415

TRACTATUS XVII.
Le Legibus.

QUÆSTIO PRIMA.
De Legibus in generali.

Dub. I. QUid lex in genere. 421

Dub. IJ. *Quis poſſit legem condere.* 423

Dub. IIJ. *An lex debeat ordinari ad bonum commune tamquam ad finem* 425

Dub. IV. *An promulgatio ſit de ratione legis.* 427

Dub. V. *Quænam ſit materia ſeu obiectum circa quod lex verſatur.* 429

Dub. VJ. *Quis obligetur legibus.* 430

QUÆSTIO II.
De diviſione Legis.

Dub. J. *Quomodo lex in genere dividatur.* 433

Dub. IJ. *Quid lex æterna.* 434

QUÆSTIO III.
De lege naturali.

Dub. I. *Quid ſit lex Naturalis* 438

Dub. IJ. *Quæ ſit materia legis naturæ.* 439

Dub. IIJ. *An lex naturalis poſſit mutari.* 441

Dub. IV. *An cadat diſpenſatio in lege naturæ.* 444

Dub. V. *An Epykia habeat locum in lege naturæ.* 447

QUÆSTIO IV.
De lege Dei poſitiva.

Dub. I. *Quid ſit lex vetus.* 449

Dub. IJ. *Quid ſit lex nova, ſeu Evangelica.* 456

Dub.

Digitized by Google

Dub. IIJ. *Quæ ſit differentia inter legem novam, & veterem.* 459

QUÆSTIO V.

De lege humana.

Dub. I. *Quid ſit lex humana.* 460

Dub. II. *Quomodo dividatur lex humana.* 461

Dub. IIJ. *An lex humana tam Eccleſiaſtica, quam civilis obliget in conſcientia.* 463

Dub. IV. *An lex humana obliget ſub peccato mortali, an verò ſub veniali.* 466

Dub. V. *Quæ ſint conditiones neceſſariæ ad hoc ut lex humana obliget.* 470

Dub. VI. *An &, quomodo lex humana debeat eſſe juſta ut obliget.* ibid.

Dub. VIJ. *De promulgatione legis humanæ.* 474

Dub. VIIJ. *An lex pendeat ab acceptatione populi.* 478

Dub. IX. *An declarationes Cardinalium ſuper Concil. Trident. obligent, & ſint uſu receptæ in Belgio.* 480

Dub. X. *Quinam obligentur legibus: & ſignanter an Clerici obligentur legibus civilibus.* 481

Dub. XI. *An legiſlator obligetur ſua lege: v. g. Pontifex lege jejunii, &c.* 482

Dub. XII. *An lex pœnalis obliget in conſcientia.* ibid.

Dub. XIIJ. *De interpretatione legis humanæ.* 487

Dub. XIV. *An modus præcepti cadat ſub præceptum.* 490

Dub. XV. *Quiſnam poſſit diſpenſare in lege humana.* 494

QUÆSTIO VI.

De Conſuetudine. 503

QUÆSTIO VII.

De Privilegiis.

Quid & quotuplex ſit Privilegium. 506

TRACTATUS XVIII.

De Gratia.

QUÆSTIO I.

De Natura & eſſentia gratiæ: & ejus diviſione.

Dub. I. *Quotupliciter accipiatur gratia.* 511

Dub. IJ. *Quid gratia habitualis.* 514

Dub. IIJ. *Quid ſit gratia actualis.* 516

Dub. IV. *An gratia actualis rectè dividatur in operantem, & cooperantem.* 518

Dub. V. *De diviſione gratiæ in excitantem, & adjuvantem.* 521

Dub. VJ. *An gratia rectè dividatur in prævenientem, & ſubſequentem.* 523

Dub. VIJ. *An gratia rectè dividatur in antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem.* 524

Dub. VIIJ. *An gratia actualis rectè dividatur in ſufficientem, & efficacem.* 528

Dub. IX. *In quo conſiſtat efficacia gratia.* 534

QUÆSTIO II.

De neceſſitate Gratiæ. 536

Dub. I. *An homo viribus ſuæ naturæ poſſit cognoſcere aliquod verum.* 537

Dub. II. *An veritates ſupernaturales poſſint ab homine cognoſci ſine gratia Chriſti.* 539

Dub. IIJ. *An in ſtatu naturæ lapſæ poſſit homo facere aliquod opus moraliter bonum ſine gratia Chriſti.* 541

Dub. IV. *An homo ſolis naturæ viribus ſine Dei gratia poſſit Deum diligere ſuper omnia in ſtatu naturæ corruptæ.* 547

Dub. V. *An aliqua tentatio ſuperari poſſit ſine gratia Chriſti.* 551

Digitized by Google

Dub. VI. *An conſtitutus in ſtatu gratiæ habitualis poſſit operari aliquam actionem bonam, nempè quæ ſpectet ad pietatem & ſalutem ſine novo auxilio gratiæ actualis* 553
Dub. VII. *An homo juſtus in ſtatu naturæ lapſæ indigeat ſpeciali auxilio ad perſeverandum.* 554
Dub. VIIJ. *An gratia Dei actualis ſit neceſſaria ad ſingulos actus.* 559
Dub. IX. *An homo ſine auxilio gratiæ poſſit totam legem naturæ ſervare.* 562
Dub. X. *An homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ ſolis naturæ viribus poſſit ſeſe præparare ad gratiam.* 567
Dub. XI. *An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit non peccare.* 570
Dub. XIJ. *An homo fidelis exiſtens in ſtatu peccati mortalis poſſit efficere aliquod opus bonum.* 574
Dub. XIII. *An ſepoſitâ revelatione poſſit quis, certitudine infallibili, ſcire ſe habere gratiam.* ibid.

TRACTATUS XIX.

De juſtificatione impii.

Dub. I QUid juſtificatio impii: & quotupliciter accipiatur. 579
Dub. II *Quæ, quot, & quales diſpoſitiones ſint ad juſtificationem impii requiſitæ.* 580
Dub. IIJ. *An has diſpoſitiones neceſſariò ſequatur juſtificatio.* 583
Dub. IV. *Quæ fides ad juſtificationem ſit neceſſaria.* 586
Dub. V. *De diſpoſitionibus ex parte voluntatis requiſitis ad juſtificationem impii.* 590
Dub. VI. *An juſtificatio impii includat remiſſionem peccatorum.* 593
Dub. VIJ. *An gratia ſanctificans requiratur ad juſtificationem impii.* 594
Dub. VIIJ. *Quænam ſint cauſæ juſtificationis.* 595

TRACTATUS XX.

De Merito.

Dub. I. AN *homo poſſit aliquid mereri apud Deum.* 598
Dub. IJ. *Quotupliciter dividatur meritum.* 600
Dub. IIJ. *De conditionibus requiſitis ad hoc ut ſit opus meritorium de condigno apud Deum.* 602
1. Cond. *Quod opus debeat fieri ab homine viatore.* 602
2. Cond. *Quod opus debeat fieri ab homine liberè agente.* 603
3. Cond. *Quod fiat ab homine exiſtent in ſtatu gratiæ.* 604
4. Cond. *Quod antecedat divina promiſſio qua tali operi promittitur merces.* 605
5. Cond. *Quod ſit opus, ſeu actio bona.* 606
6. Cond. *Ut eliciatur vel imperetur à charitate; & ad minus virtualiter referatur in Deum tamquam finem ultimũ.* 607
Dub. IV. *An homo poſſit ſibi vel alteri mereri primam gratiam.* 609
Dub. V. *An homo juſtus poſſit ſibi mereri perſeverantiam.* 611
Dub. VI. *An bona temporalia cadant ſub meritum.* ibid.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

BENEVOLE LECTOR.

JUſſus ſatisfacere obligationi mihi impoſitæ à Concilio Tridentino in vim præbendæ meæ Theologalis, ad erudiendum Clerum & Sacræ Theologiæ Studioſos, Seminarii Archi-Epiſcopalis alumnos, qui deſtinantur ad pœnitentium confeſſiones excipiendas & curam animarum per Archi-Diœceſim ſuſcipiendam; judicavi cum prudenti architecto incipiendum eſſe à fundamento, hoc eſt à baſi totius practicæ Theologiæ, ſcilicet tam à Generalibus quam particularibus principiis & regulis actuum Humanorum.

In qua quidem materia (eſto complures Auctores, diverſa ſæpe ſentientes, vaſta & ingentia ediderint volumina, de quibus verius quam de prolixa oratione Laco ille, antequam medium attingas memoriâ excidit initium, & ubi ad calcem perveneris, antecedentium oblivio inducitur) tamen quia per experientiam didici illorum lecturam, tam ob diverſitatem opinionum, quam voluminum prolixitatem in tyronibus & mediocribus ingeniis (quibus ſcribo, non vero conſummatis Theologis) obſcuritatem & confuſionem, quin imo & nauſeam magis parere, quam ſcientiam aut voluptatem: idcirco deſiderans laborum non exiguam partem ſublevare, nec non

Digitized by Google

malis occurrere quibus ſtudia retardantur, & faſtidii morbus in ſtudioſis inducitur, imitatus ſum apiculas, quæ ſicuti ex optimis quibuſque floribus optima quæque ſegregant, quæ in alveari ſuo ritè diſpoſita collocant: ſic ego, apprimè ſciens nihil eſſe ſub ſole novum, & vix ſcriptum aliquod de novo in lucem edi, quod non ſit ſcriptum antea; ex optimis quibuſque auctoribus tutiora, ſecuriora & praxi Confeſſariorum magis accommoda ſelegi, quæ in hoc Tomo, tamquam in alveari, in ordinem redacta collocavi; ut habeant tyrones, tamquam apes argumentoſæ, ſuccos ſuos ad manum, unde ſua mella conficiant. Studiosè tamen à citatione Auctorum abſtinui (quos omnes tamquam Dominos meos in Chriſto & magiſtros veneror) ut conſulerem bono ſtudioſorum, eos avertendo à noxia curioſitate: pro ut & eapropter à fuſioribus & longioribus diſcurſibus abſtinui, quin & complures quæſtiones ſuperfluas & minus ad praxim Confeſſariorum utiles reſecavi, quamvis nihil omiſerim, quod & ſubtiliora ingenia deſiderare poſſent.

Utere igitur & fruere, Chriſtiane Lector, his noſtris lucubrationibus, & ſi quæ inveneris bona, refer ad Dei Gloriam: ſi verò, quod abſit, per inadvertentiam aliquis nævus irrepſerit, illum corrige; ſiquidem cuncta hæc prudentiori tuo judicio, & Sanctæ Matris Eccleſiæ Cenſuræ ſubmitto.

THEOLOGIÆ MORALIS

PARS PRIMA,

Complectens Generalia Principia & Univerſales Regulas

ACTUUM HUMANORUM.

SYNOPSIS TOTIUS OPERIS.

Poſteaquam breviter & ſuccinctè Deum in prima parte conſideravimus ab intra cum omnibus ſuis attributis ut Unum in eſſentia & Trinum in perſonis; ab extra vero ſub ratione cauſæ primæ efficientis rerum omnium creatarum; opportunè hic eundem intuebimur ſub ratione finis noſtri ultimi, ad quem creati ſumus, & in quo ſolo quieſcere nos oportet, juxta dictum S. Auguſt. *Feciſti nos Domine ad Te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*: prout & convenienter agemus de mediis, quibus dictum finem conſequamur; ſicut & de Peccatis, tamquam quibuſdam obſtaculis, quibus ab illius conſecutione removemur; quæ ambo veniunt nomine Actuum humanorum; media quidem nomine actus humani boni, in quo eliciendo dirigimur à conſcientia tamquam regulâ intrinſecâ; à lege tamquam regulâ extrinſecâ; à gratia vero excitamur & adjuvamur, tamquam cauſâ efficiente ſupernaturali, potentias noſtras ad actus ſupernaturales elevante; peccata vero veniunt nomine actus humani mali, per quem à fine noſtro deviamus, eoque fruſtramur.

ORDO

Digitized by Google

ORDO
TOTIUS OPERIS.

UT autem in hoc Opere Compendioſâ methodo procedamus dividemus hoc ipſum in ſequentes Tractatus; in quorum.

I. *Agetur de Actu Humano ſecundum ſe, & fine illius.*

II. *De Beatitudine, & an anima illius ſit capax; & per conſequens de Immortalitate Animæ.*

III. *De Paſſionibus Animæ.*

IV. *De Voluntario, & ejus multiplici diviſione.*

V. *De Libero Arbitrio.*

VI. *De Cauſis impedientibus voluntarium & liberum.*

VII. *De Circumſtantiis Actuum Humanorum.*

VIII. *De Objecto Voluntatis tam abſoluto quam conditionato: Item à quo, & quomodo ipſa moveatur, qualiter quoque ſe, & alias potentias moveat.*

IX. *De Actibus voluntatis tam elicitis, quam imperatis.*

X. *De eſſe Morali actus humani, Item Bonitate; & Malitia ejuſdem.*

XI. *De Conſcientia, tamquam proximâ regulâ Actuum Humanorum, & multiplici ejus diviſione.*

XII. *De Voluntate Dei, tamquam regulâ remotâ.*

XIII. *De Virtutibus.*

XIV. *De Peccatis.*

XV. *De Praxi Confeſſariorum circa peccatores Conſuetudinarios & exiſtentes in occaſione proximâ peccati Mortalis.*

XVI. *De Peccato Originali.*

XVII. *De Legibus.*

YVIII. *De Gratia.*

XIX. *De Juſtificatione Impii.*

XX. *De Merito.*

TRAC-

Digitized by Google

TRACTAT: PRIMUS.

De Actu Humano in Genere & fine ejus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Actus Humanus.

Definitio Actus humani.

RESP. eſt actus, qui procedit ab homine prævio rationis judicio. Vel ſic · eſt actus qui procedit ab homine, quatenus homo eſt; reduplicando vocem homo non ſub ratione differentiæ ſuæ conſtitutivæ, ſed ſub ratione modi agendi homini proprio; qui eſt agere prævio rationis judicio. Nec malè actum humanum definies, ſi dicas, quod ſit actus procedens à voluntate deliberata.

Dices: peccator frequenter peccat defectu deliberationis, imprudenter & præcipitanter agendo: ergo non omnis actus humanus debet eſſe deliberatus.

Deliberatio alia formalis, alia interpretativa: quid hæc, & quid illa.

Reſp. negando conſequentiam. Pro cujus explicatione notandum Voluntatem dupliciter dici deliberatam, formaliter videlicet, & interpretativè: conſiſtit autem formalis deliberatio in actuali judicio de re aliqua agenda, vel omittenda cum ſufficienti lumine ad diſcernendum inter bonum & malum morale: interpretativa vero deliberatio cenſetur adeſſe, quando adeſt facultas, & obligatio deliberandi quæ tamen negligitur: ex quo patet ſolutio objectionis: eſto enim talis peccator formaliter non deliberet, deliberat tamen interpretativè.

Optima definitio actus Humani.

Optimè quoque definitur Actus humanus hoc modo: eſt actus procedens ab homine tamquam principio intelligente & actuum ſuorum dominium habente.

Dices hinc ſequi actiones puerorum, item ſtultorum eſſe humanas, eò quod ſit in eorum poteſtate eas exercere, vel non exercere: poteſt enim puer, item amens, pomo ſibi oſtenſo, illud accipere, vel non accipere; item ex multis meliora eligere.

Reſp. concedendo aſſumptum, Actus.

Digitized by Google

Puerorū item amentiū non ſunt humani. ſed negando ſequelam; etſi enim in illorum poteſtate ſit actus illos exercere, vel non exercere ſub ratione boni ſenſibilis, non tamen ſub ratione boni vel mali moralis; eo quod deſit illis ex parte intellectus ſufficiens lumen ad diſcernendum inter bonum & malum morale; puero quidem ob impedimentum potentiæ ſenſitivæ propter nimiam humiditatem: amenti vero ob ſiccitatem vel læſionem organi; quare per dominium non intelligitur in definitione qualiſcumque poteſtas operandi vel non operandi, ſed perfecta, qualis eſt, quæ exercetur vel exerceri poteſt cum dicto lumine.

Dices, viſio beatifica: item amor beatificus Dei ſunt actus humani, tamen non procedunt ab homine habent dominium ſuorum actuum.

Reſp. etſi quam plures dictas actiones concedant non eſſe humanas ob rationem datam, nos tamen aſſentimur affirmantibus, eò quod nimis videatur abſonum & indignum, præſtantiſſimas hominis operationes, ad quas potiſſimum eſt creatus, ſpoliari dignitate actus humani. *Viſio Beatifica item amor Beatorū ſunt actus humani*

Pro cujus explicatione notandum, eſſe duplex alicujus rei dominium; & primum conſtitui in abſoluta poteſtate aliquid faciendi vel omittendi; ſecundum vero collocari in modo, quo voluntas prævio rationis judicio ſemetipſam movet in objectum, non quaſi rapta ab illo (quemadmodum bruta) ſed ſemetipſam determinando ad opus ex vi cognitionis objecti: unde felix illa neceſſitas inhærendi tali objecto in Beatis, non tam provenit ob defectum libertatis potentiæ, quam ob perfectionem objecti evidenter propoſiti, omnimodè ſatiantis & explentis voluntatem; ita ut intellectus nullam rationem invenire poſſit ab eo ceſſandi: proinde hæ actiones Beatorum procedunt à voluntate ſeipſam determinante ſecundum modum agendi homini proprium ſcilicet prævio rationis judicio: non verò à voluntate quaſi raptâ & determinatâ ab objecto, quomodo procedunt actiones brutorum: neque à principio extrinſeco coactâ, ſed à ſemetipſa tamquam principio ſeſe applicante ex vi perfectæ cognitionis objecti. Ita ut ſi per impoſſibile proponeretur voluntati Beatorum objectum amabilius, illa ſeipſam determinaret ſponte ſua ab illud amandum.

DUBIUM PRIMUM.
An omnis actio Humana ſit propter finem.

Reſp. affirmativè. Quod probatur inductione; nam qui ædificat, qui plantat, qui ſtudet, vel aliud quodcumque opus facit, hoc alicujus gratiâ facit, quod eſt finis. *Omnis actio humana eſt effectus cauſæ finalis.*

Secundò probatur ratione; quia quandocumq; quis exercet actum huma-

humanum, operatur illum ex deliberatione; operationes autem deliberatæ ſunt propter finem, utpote propter bonum; quod eſt objectum voluntatis deliberatæ; bonum autem & finis convertuntur.

Petes, quomodo objectum voluntatis deliberatæ ſit finis, cum, ſi Deus ab æterno ſtatuiſſet nullam creaturam producere, nihilominus bonitas ejus fuiſſet objectum voluntatis Divinæ, & tamen non fuiſſet finis?

Finis potentiâ, eſt objectû voluntatis deliberatæ, non vero actu.

Reſp. finem dupliciter accipi, videlicet ſemel in actu ſecundo, prout hic & nunc exercet cauſalitatem finis, qualiter ſumptus non eſt objectum voluntatis, quia ut ſic, non præſupponitur voluntati, ſed actum voluntatis includit: ſecundò accipitur pro fine potentiâ, ſive in actu primo, nempè pro bono, quod eſt propter ſe, & per ſe amabile, ac proinde aptum cauſare finaliter: quo modo bonitas Divina fuiſſet objectum voluntatis deliberatæ Dei.

Petes, quid ſit actum humanum eſſe propter finem?

Ipſa finis complacentia, item intentio ſunt effectus cauſæ finalis.

Reſp. eſt illum effici præviâ cognitione bonitatis finis, quæ allicit voluntatem ad operandum: unde patet, quomodo prima finis complacentia, item intentio finis ſint propter finem, quia videlicet licet non proficiſcantur ex amore & intentione finis (nam ſic daretur progreſſus in infinitum) tamen fiunt trahente & movente finis bonitate: accedit quod actibus voluntatis ſit proprium ſe ipſis eſſe volitos, dum ſunt deliberati; unde qui vult bonum, hoc ipſo quoque vult illam volitionem boni per quandam reflexionem voluntatis ſupra ſe; quo ſenſu illi actus poſſunt dici fieri ex amore & intentione finis, quatenus eo ipſo quò finis intenditur vel amatur, etiam amor ille & intentio actu reflexo amantur & intenduntur.

Actus voluntatis eliciti ſunt ſeipſis voliti.

Actio humana quantumvis finis ultimus, eſt propter finem.

Dices, quod in quibuſdam actionibus humanis ipſamet actio ſit finis ultimus v.g. delectatio carnalis, item poſſeſſio divitiarum, dum ab homine avaro vel luxurioſo in eâ finis ultimus collocatur.

Reſp. actionem humanam poſſe quidem eſſe finem ultimum *ſecundum quid*; item finem ultimum *quo*; ſic enim poſſeſſio divitiarum, item delectatio, ſunt finis ultimus *quo* hominis avari & luxurioſi; numquam tamen actionem humanam poſſe eſſe finem ultimum *cujus*: ratio eſt quia omnis talis actio, vel eſt elicita, vel imperata; ſi prior: clarum eſt eam eſſe propter finem; eò quod objectum talis actionis ſit ejus finis; ſi verò poſterior: etiam illa includit in ſe actum voluntatis, adeoque & objectum ejus erit finis; quod manifeſtè quoque patet in exemplis allegatis; ſiquidem avarus vult poſſeſſionem pecuniæ propter ipſas pecunias, & luxurioſus vult delectationem carnalem ob bonum delectabile.

Quis

Digitized by Google

Quia vero hæc benè percipi non poſſunt, niſi prius cognoſcantur eſſentia, cauſalitas, diviſiones &c. cauſæ finalis: de ſingulis breviter in ſequentibus dubiis agemus.

DUBIUM II.
Quid Cauſa Finalis, & quomodo Dividatur.

Quid cauſa finalis. CAuſa finalis aptè à Philoſopho definitur eſſe id, cujus gratiâ aliquid fit. Dividitur uſitatè in finem *cujus*, *cui*, & *quo*. Finis *cujus* eſt bonum illud quod movet voluntatem ad ſui deſiderium. Finis *cui* eſt ſuppoſitum ſeu perſona cui bonum iſtud, quod eſt finis *cujus*, appetitur. Finis *quo*, eſt ipſa conjunctio finis *cujus*, cum fine *cui*.

Petes, quis finis inter hos tres ſit potior?

Reſp. illos poſſe ſpectari dupliciter, nempe vel in ratione entis, vel in ratione cauſæ. Priori modo finis *cui* ſubinde eſt nobilior, prout contingit, dum homo appetit ſibi ſanitatem, ſubinde vero finis *cujus* prævalet, uti dum homo appetit Deum amore concupiſcentiæ. Poſteriori modo, quamvis finis *cujus* dicatur principalior, utpote qui propriè ſit id, cujus gratiâ aliquid fit, tamen quia bonum importat relationem convenientiæ ad ſuppoſitum iſtud, cui eſt bonum, idcirco finis *cui* ad quem hæc relatio terminatur, poteſt dici æquè principaliter & æqualiter cauſare finaliter cum fine *cujus*, ita ut ex utroque ſimul compleatur cauſalitas cauſæ finalis.

Dividitur ſecundo finis, in proximum & remotum. Proximus eſt circa quem immediatè verſatur intentio; remotus vero circa quem mediatè verſatur. Quamvis tamen non ſit neceſſe ſemper dari finem remotum, eò quod intentio agentis poſſit ſiſtere in unico fine: quia tamen poteſt tendere in ulteriorem, idcirco præter proximum aſſignamus quoque remotum. Similiter quamvis ſemper aliquis finis ultimus in quacumque actione ſit neceſſarius (ne alioqui detur progreſſus in infinitum) non tamen neceſſe eſt illum eſſe diſtinctum a proximo. Illius diviſio.

Aliter dividitur finis in ultimum abſolutè, & in ultimum ſecundum quid. Primus eſt is, in quem omnia ordinantur; qualem dari certum eſt de fide, nam Prov. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: quod & manifeſtâ ratione monſtratur; quia cauſa prima efficiens omnium rerum propter aliquem finem illas produxit, conſervat, & regit; & in ejus intentione non datur progreſſus in infinitum; ergo propter aliquem finem ultimum. Quid finis ultimus abſolutè.

Finis ultimus ſecundum quid vocatur ille qui eſt ultimus reſpectu alicujus particularis intentionis & electionum mediorum ab ipſo procedentium: qui dandus eſt in omni actione humana. Quid ultimus finis ſecundū quid.

Petes,

Finis ultimus ſecundum quid influit in omnes effectus finium intermediorum.

Petes, an finis ultimus ſecundum quid, finaliter influat in omnes effectus in iſta ſerie intentionis contentos.

Reſp. affirmativè; quin imo eſt tota ratio cauſandi finaliter, ita ut fines intermedii nullam propriam cauſalitatem habeant, niſi quatenus ab hoc ultimo informantur.

Petes, an finis ultimus ſimpliciter influat cum omnibus finibus particularibus in effectus eorum, eo modo quo cauſa prima efficiens influit in effectus omnium cauſarum ſecundarum.

Non ſic ſemper finis ultimus abſolutè.

Reſp. effectum cauſæ ſecundæ poſſe ſpectari dupliciter, nempe, vel ut preciſè egreditur à cauſa ſecunda: vel ut egreditur à cauſa prima; priori modo ſpectatus non eſt neceſſè illum cauſari à fine ultimo; quod manifeſtè patet in agentibus naturalibus, quæ non operantur propter finem; item in agente rationali, quia licet id poſſit omnes actiones ſuas dirigere in finem ultimum, & ita hic poſſit influere in omnes ſuas actiones, tamen pro ſua libertate, poteſt facere oppoſitum.

DUBIUM III.

Quænam ſit proxima ratio conſtituens cauſam finalem potentem ad cauſandum finaliter.

Reſp. & dico primo, nihil poſſe exercere cauſalitatem finis, niſi quod per ſe bonum eſt & expetibile, aut ſaltem ut tale apprehenditur, quale eſt ſolum bonum delectabile aut honeſtum: utile vero, quatenus tale, non poteſt habere rationem cauſæ finalis: eapropter ipſa bonitas finis eſt proxima ratio cauſandi finaliter. Ratio eſt; quia natura ejus conſiſtit in aptitudine & virtute movendi voluntatem ad opus, nihil autem movet voluntatem, niſi ſub ratione boni.

Bonitas finis eſt proxima ratio cauſandi finaliter.

Cauſa finalis eſt cauſa realis.

Petes, an finis ſit cauſa realis.

Reſp. affirmativè: cujus ratio eſt; quia cauſa efficiens, niſi temerè agat, ſemper operatur ob aliquem finem; ergo effectus cauſæ efficientis, ſicuti per ſe pendent à cauſa efficiente, ita quoque per ſe pendent a cauſa finali.

Præterea experientià conſtat quod quando humano modo operamur, id nos facere propter aliquem finem ad quem media eligimus: eapropter movemur à fine tum ad ejus deſiderium, tum ad eligenda & exequenda media: hæc autem motio eſt aliquid in rerum natura, non vero imaginarium aliquod aut fictitium, cum ſit origo operationis realis.

Dices: realis cauſalitas oriri non poteſt niſi à principio reali: ſed eſſe intentionale finis, non eſt aliquid reale, ſed fictum; ergo.

Reſp. hanc cauſalitatem finis ita eſſe realem, ut fiat tamen modo quodam morali per naturalem

Digitized by Google

ſympathiam, quæ eſt inter intellectum & voluntatem, & ideo non requiritur aliud *eſſe*, quam quod ſufficit ad cauſandam motionem, ſeu conſenſum inter has duas potentias: ad quod ſufficit *eſſe* reale repræſentatum. Ex quo collige quomodo bonum apparens tantum poſſit cauſare finaliter, cum ſit fictitium.

Non tantum bonum verum, ſed & apparens tantum poteſt cauſare finaliter.

Petes, in quo conſiſtat cauſalitas cauſæ finalis in actu ſecundo.

Reſp. in motione metaphoricâ.

Motio metaphorica eſt ejus cauſalitas.

Controvertitur autem quid à parte rei ſit illa motio metaphorica, & quod ſit illius ſubjectum; an ſcilicet ſit ponenda in cauſa finali, an vero in voluntate?

Reſp. relictâ ſententiâ illorum qui dicunt eam ſubjectari in fine; ejuſmodi motionem non poni in actu ſecundo, niſi quando ipſa voluntas actu movetur, adeoque non eſſe diſtinctam ab actu voluntatis; ita ut una eademque actio, in quantum cauſatur à fine, ſit cauſalitas finalis; in quantum vero cauſatur à voluntate, ſit cauſalitas efficiens: nec refert quod actus voluntatis ſit potius effectus quam cauſalitas finis, quia non repugnat eandem rem ſimul eſſe effectum & cauſalitatem; prout patet in cauſalitate cauſæ efficientis, quâ producitur præſentia localis: difficilius apparet quomodo idem modus realis ſit ſimul cauſalitas cauſæ finalis & efficientis: ſed ſi conſideremus quod eadem unio ſit cauſalitas cauſæ materialis & formalis, quamvis illæ ſint cauſæ diverſarum rationum: ſimiliter quod eadem actio diverſo reſpectu ſit cauſalitas cauſæ primæ & ſecundæ, deſinemus mirari: quorum ratio eſt, quod eadem actio poſſit per ſe ipſam immediatè cauſari à multis cauſis, ab unaquâque in ſuo genere.

Actio voluntatis, quatenus cauſatur à fine, eſt cauſalitas cauſæ finalis; quatenus vero à voluntate eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

Quæ quidem ſententia apparet congruentior, quia cauſalitas ſubjectatur in effectu ſuo potius quam in ſua cauſa; nam cauſalitas qua Deus cauſat creaturas, non ſubjectatur in Deo, quippe qui non poteſt in ſe recipere aliquam formam realem, & tantum illa ejus cauſalitas incipit exiſtere, dum exiſtit effectus, & non citius.

DUBIUM IV.

Secundum quod eſſe cauſa Finalis cauſet.

PRænotandum duplex aſſignari *eſſe* finis, ſcilicet cognitum, & reale; intelligo reale non prout accipitur, dum diſtinguitur contra ens rationis, nam fieri frequenter poteſt quod cauſa finalis tale *eſſe* reale non habeat, nec habere poſſit; prout contingit dum apprehenditur finis ut poſſibilis, qui tamen à parte rei eſt impoſſibilis: proinde reale hic intelligitur in quantum opponitur *eſſe* repræſenta-

ta-

Digitized by Google

tato, ſive contra *eſſe* quod res habet in ſua figura vel imagine. His præmiſſis.

Finis cauſat finaliter ſecundum eſſe reale objectivum non vero ſecundū eſſe cognitum.

Reſpondeo, & dico quod finis cauſet ſecundum *eſſe* reale & objectivum: non verò ſecundum eſſe cognitum; ratio eſt, quia finis movet ſecundum illud *eſſe*, ſecundum quod ſatiat appetitum dum eſt obtentus; ſed talis eſt finis objectivus ſeu realis, non vero cognitus; neque enim ſatiatur voluntas ſolâ cognitione v. g. ſanitatis vel divitiarum; ſed ipsâ ſanitate vel divitiis obtentis.

Secundò voluntas non tendit in finem ut illum præciſe cognoſcat, ſeu ut illum in *eſſe* cognito aſſequatur: ſed in *eſſe* reali. Præterea ratio formalis in cauſa finali eſt bonitas finis, quam ipſe non habet in *eſſe* cognito, ſed in *eſſe* reali; ſanitas enim eſt conveniens ut nobis inſit, non vero ut apprehendatur; neque enim voluntas quieſcit in apprehenſione ſanitatis, ſed tunc demum quando illam re ipsâ conſequitur.

Eſſe cognitum eſt conditio ſine qua finis actu nō cauſat.

Notandum tamen *eſſe*, cognitum finis eſſe conditionem neceſſariò requiſitam per modum approximationis ut finis cauſet finaliter, eo modo quo approximatio localis alicujus objecti eſt neceſſaria ut cauſa efficiens in illud agat.

Ex quo contingit quod *eſſe* cognitum finis poſſit eſſe cauſa per accidens variationis formalis principii finalizandi, applicando nimirum aliam, atque aliam rationem movendi; non quaſi ipſa ſit ratio formalis movens. Quod idem contingit in cauſa efficiente: nam quamvis is, qui applicat cauſam per ſe efficientem, ſolum ſit cauſa per accidens: tamen ſi ſit potens applicare cauſas diſtinctæ ſpeciei, erit quoque cauſa per accidens diverſorum effectuum. Eodem modo, quia intellectus poteſt applicare diverſa objecta & proponere diverſas rationes movendi: idcirco, licet ipſe non ſit ratio finalizandi, poteſt tamen eſſe cauſa quod ejuſmodi ratio varietur; quinimo unam & eandem rem poteſt ſub diverſis rationibus apprehendere vere vel apparenter; ex quo provenit quod ex diverſitate apprehenſionis mutetur motio ſeu cauſalitas finis, eo modo, quo diverſum *eſſe*, quod Chriſtus habet in ſua imagine, poteſt eſſe cauſa quod quis ad illum moveatur amore, vel timore: quatenus ſcilicet in una pingitur jacens in præſepio, in alia ut judex venturus ad judicium.

DUBIUM V.

An ſola creatura rationalis agat propter finem.

Sola creatura rationalis agit propter finem.

Reſp. affirmativè: quia ipſa ſola cognoſcit rationem finis & mediorum: tunc autem quis dicitur cognoſcere rationem finis & mediorum, quando cognoſcit objectum ſibi propoſitum eſſe pro-

pter ſe expetendum, & hæç media eſſe utilia ad talem finem conſequendum. Secundo ideo ſola creatura rationalis agit propter finem, quia ex vi cognitionis finis illa ſola ſe determinat ad actionem; natura vero corporea & irrationalis ab alio potius, nempè ab auctore naturæ, impellitur ad agendum ob certum finem, eo modo quo ſagitta à ſagittario impellitur in ſcopum; eapropter cauſa finalis in illa propriè non exercet cauſalitatem, eò quod finem non cognoſcat, finis verò non cauſat niſi cognitus.

Dices: alicujus gratiâ hirundo facit nidum, aranea texit telam, formica in æſtate quærit alimentum, lapis deſcendit deorſum, flamma ſurſum.

Reſp. hæc & ſimilia tendere in finem, non quaſi mota à ſe ipſis, ſed quatenus ſubſtant directioni auctoris naturæ, qui eas in ſimiles fines inpellit, ſicut ſagittarius ſagittam in ſcopum.

Dices: quædam animalia cognoſcunt convenientiam & diſconvenientiam rei, quæ eſt finis; ſic enim cognoſcit canis convenientiam offæ, & diſconvenientiam baculi; ovis convenientiam graminis, & diſconvenientiam lupi, ſiquidem primum cognoſcunt jucundum, alterum vero eſſe moleſtum; ergo cognoſcunt rationem formalem finis, & conſequenter agunt propter finem: quod confirmatur: quia cognoſcunt rationem formalem boni; bonum autem & finis convertuntur.

Bruta cognoſcunt convenientiã, vel diſconvenientiã rei, quæ eſt finis.

Reſp. ex eò quod hujuſmodi animalia cognoſcant alicujus rei convenientiam bene ſequi, quod cognoſcant rationem formalem rei, quæ eſt finis, nempè boni; non tamen inde ſequi quod cognoſcant rationem finis formaliter nempè in quantum is dicit proportionem mediorum ad finem.

Actiones brutorum, quatenus efficienter ab ipſis egrediuntur non ſunt effectus cauſæ finalis.

Itaque ſpectando actiones cauſarum naturalium cognitione carentium, item animalium brutorum, quatenus ab ipſis egrediuntur: nullam habent cauſam finalem; nec refert quod objecta moveant metaphoricè earum appetitum, & in illis aliquam motionem realem excitent; quia, ut ante dictum eſt, ut aliquid dicatur habere rationem cauſæ finalis, non eſt ſatis quod cognoſcatur & appetatur tamquam conveniens, ſed debet cognoſci ſub ratione finis, id eſt, ſub ratione boni per media acquiſibilis.

Secus vero quatenus egrediuntur à cauſa prima.

Quod vero actiones brutorum, item cauſarum naturalium ſint propter finem, quatenus egrediuntur à cauſa prima efficiente, manifeſtum eſt; quia *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* Prov. c. 16. Et hoc ipſum patet à poſteriori, quia ſubtracto fine ſtatim ceſſabit omnis actio; quod inde patet quia nulla cauſa efficiens operabitur niſi determinetur à ſe, vel ab alio ad

Sublato fine ſtatim ceſſat omnis actio.

unum

unum aliquod producendum; quod ulterius probatur, quia alioqui quilibet effectus, & cujusvis generis actiones erunt indifferentes; quod autem indifferenter ſe habet ad multa, non magis operabitur unum quam alterum; eapropter non ſequitur actio, niſi vel agens ſe ipſum determinet; vel determinetur ab alio; illud vero unum ad quod determinatur, eſt finis; creatura autem rationalis ad hoc unum per voluntatem ſe ipſam determinat: irrationalis vero ad hoc unum determinatur ab auctore naturæ.

DUBIUM VI.

An actiones Dei ad intra, item ad extra habeant cauſam finalem.

Actionum Dei ad intra nulla datur cauſa finalis.

RESP. actionum immanentium nullam eſſe cauſam finalem: cujus ratio eſt, quod actiones illæ immanentes ſint à parte rei ipſemet Deus, qui ſicuti non habet cauſam finalem, ſic neque ipſæ; quod etiam verum eſt, eſto ſpectentur pro ut terminantur ad creaturas, nam illius relationis, utpote rationis, non datur efficientia realis; adeoque cum ſimilium actionum non detur cauſa efficiens, neque dabitur finalis; juxta receptum axioma, *Non habet locum cauſa finalis, ubi non habet locum cauſa efficiens.*

Bene proinde ait S. Auguſtinus; nullam dari cauſam Divinæ voluntatis ob quam voluit mundum creare: adeoque nec illius reperiri cauſam finalem, quamvis tamen illius detur ratio; neque enim omne illud quod eſt ratio alicujus, eſt illius cauſa, ſic enim in divinis attributis unum eſt ratio alterius, v. g. immutabilitas æternitatis, non tamen illius eſt cauſa; quippè cum ſit à parte rei ipſemet Deus, qui non habet cauſam: ita quoque dum dicitur Deus univerſa creaſſe propter ſe, & univerſa amare propter ſe, id eſt propter ſuam bonitatem: amor ille non pendet in genere cauſæ finalis à bonitate Dei; unde bene ait S. Thomas: Divinæ voluntatis bene poſſe dari rationem, ſed non cauſam.

Secus vero actionū Dei ad extra.

Actionum & effectuum Dei ad extra vera datur cauſa finalis; nimirum increata Dei bonitas; ſiquidem *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: ubi nota vocem illam, *Propter*, ſignificare habitudinem cauſæ finalis: eo quod hiſce actionibus non repugnet vera & realis dependentia à fine ut cauſâ, prout hæc repugnat actionibus Dei ad intra:

DUBIUM VII.

An actiones humanæ deſumant ſpeciem à fine.

RESP. affirmativè: quia finis facit opera noſtra laudabilia vel vituperabilia; quod vero aliquid ſit laudabile vel vituperabile, hoc habet ex ſpecifica ſua ratione; dicente Scripturâ Ozeæ 9. *Facti*

ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt: ex quo patet homines eſſe iniquos propter iniquam dilectionem, illam vero eſſe talem ob rem malam dilectam.

Dices: ſi finis det actui humano ſpeciem moralem, vel is erit finis operantis, vel finis operis; non prior, quia ipſe eſt accidentalis, utpote ſuperveniens actioni jam conſtitutæ in ſua ſpecie, prout album ſupervenit homini; non poſterior, quia ille dat potius ſpeciem phyſicam; ſpecies autem moralis diſtinguitur à ſpecie phyſica.

Finis operis conſtituit actum moralem in ſua ſpecie.

Reſp. actum humanum conſideratum in *eſſe* morali deſumere ſuam ſpeciem à fine operis; cui non contrariatur, quod ab eodem deſumat ſpeciem ſuam phyſicam; quia ut ſic, ab eo tantum ſpecificatur in ratione objecti, non vero ſub ratione finis, ſub quâ ſpecificatur conſideratus in *eſſe* morali.

Dices: id quod actui dat ſpeciem, debet illi eſſe intrinſecum, quippe de ejus eſſentiâ; ſed finis eſt actui humano extrinſecus: ergo.

Reſp. argumentum optimè procedere de eò quod proximè actum humanum ſpecificat: non verò de eò quod ſolum remotè, prout facit finis operis; proximè vero illum ſpecificat habitudo illius ad finem, quæ ipſi conſiderato in *eſſe* morali eſt intrinſeca & eſſentialis: quia tamen finis ſolet eſſe notior quam illa relatio, idcirco dici ſolet quod finis det actui humano ſpeciem.

Dices: unius actûs quandoque eſſe plures fines, cum tamen eſſentia debeat eſſe unica.

Idem actus in genere moris poteſt habere plures ſpecies.

Reſp. inde ſolummodo ſequi, quod eſto quælibet res in *eſſe* phyſico habeat tantum unam ſpeciem ſeu eſſentiam, poſſe tamen habere plures ſpecies morales.: quæ quidem reſpectu ſpeciei phyſicæ ſunt ad inſtar accidentium, ita ut non magis repugnet unum & eundem actum phyſicum eſſe in ſpecie fornicationis, adulterii, inceſtus, quam ſimul unum & eundem hominem eſſe juſtum, album, & doctum.

Finis operantis ſuperveniens actui humano in ſua ſpecie conſtituto, eſt ipſi accidentalis.

Secundò dici poteſt actum humanum unam tantum habere ſpeciem; reliquas vero, iſti ſpeciei ſupervenire, adeoque tantum eſſe accidentales; ita ut à fine operis deſumatur ſpecies eſſentialis: à fine verò operantis accidentalis.

Dices, actus humani imperati non ſpecificantur à fine.

Actus imperati ſpecificantur à fine.

Reſp. negando antecedens; cum enim in ſe includant actum humanum elicitum, & conſequenter non habeant eſſe morale diſtinctum ab actu elicito, neceſſe eſt eos ſpecificari à fine, ſicut ſpecificatur actus elicitus.

DU-

DUBIUM VIII.

An homo in omni actione ſua habeat aliquem finem ultimum ſecundum quid.

Impoſſibile eſt in finibus procedere in infinitum.

RESP. affirmativè: eò quod ſit impoſſibile in finibus procedere in infinitum, idque ſive ſpectetur ordo intentionis, ſive executionis: nam, deſcendendo ab intentione finis ad electionem mediorum, ultimatè oportebit ſiſtere in aliquo medio: alioquin enim numquam inchoabitur actio in ordine ad finis conſecutionem; ſimiliter, aſcendendo neceſſe erit devenire ad aliquem finem ultimum; alioqui non inchoabitur intentio: quippe quæ ſit inchoanda ab eo, quod eſt primum ordine intentionis; unde ſi nihil ſit primum quod moveat, nulla motio ſequetur in finibus ſubordinatis.

In omni actione humana neceſſe eſt dari aliquẽ finem ultimũ ſecundum quid.

Ex quo patet quod in quacumque ſerie cauſarum finalium ſibi ſubordinatarum neceſſe ſit dari aliquem finem ultimum, in quo ſiſtat intentio; & in omni ſerie mediorum neceſſe ſit venire ad aliquod medium, à quo inchoetur executio. Quæ omnia patent maniſeſtiſſimâ experientiâ, & clarius eluceſcunt exemplo: v. g. finis ultimus ſecundum quid, quem habet Pater in ſuo parvulo, eſt ut fiat Paſtor, Advocatus, vel Medicus: ut hunc finem aſſequatur diſponit ſeriem mediorum hoc modo: primo mittit ipſum ad Scholas triviales, ſecundo ad Scholas Humaniores, tertiò ad Philoſophiam, quartò ad Juriſprudentiam vel Theologiam, donec & quouſque finem intentum aſſequatur.

Petes, an quoque neceſſe ſit dari aliquem finem ultimum hominis ſimpliciter, in quem omnes ſuas actiones referat ultimatè.

Omnis homo in quacumque actione intendit aliquem finem ultimũ abſolutè intentione interpretativâ, non ſemper tamen intẽtione formali, vel virtuali.

Reſp. ſi quæſtio intelligatur de relatione actuali vel virtuali, negativè; licet enim creatura rationalis poſſit in finem ultimum omnes ſuas actiones dirigere: tamen, pro libertate ſui arbitrii, poteſt facere oppoſitum; taceo quod de fine ultimo ſimpliciter poſſit non cogitare, finis autem non cognitus non poteſt cauſare finaliter. Ex quo patet quod finis ultimus ſimpliciter non neceſſario influat cum omnibus finibus particularibus in effectus eorum, eo modo videlicet, quo cauſa prima efficiens influit in effectus omnium cauſarum ſecundarum, ſaltem conſiderando dictos effectus in quantum egrediuntur à cauſa ſecunda: nam clarum eſt, in quantum illi egrediuntur efficienter à cauſa prima, omnes cauſari finaliter à fine ſimpliciter ultimo, ſiquidem *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* Prov. 16.

Quod ſi vero quæſtio intelligatur de intentione interpretativa. Reſpondeo omnes homines in quacumque actione intendere ali-

quem

quem finem ultimum ſimpliciter; nam omnes homines intendunt interpretativè eſſe beati verè, vel falsò, id eſt, intendunt interpretativè rem illam, in qua reperitur omnis plenitudo boni, quæ veraciter Deus eſt; falſo vero divitiæ, honores, vel carnis illecebræ; hunc autem finem expetunt non propter aliud, ſed quia per ſe bonus eſt, & ut hunc aſſequantur omnes ſuas actiones interpretativè referunt. Docet hoc pulchè S. Aug. Comm. in Pſ. 118. „ Beatum, inquit, eſſe „ tam magnum bonum eſt, ut & „ hoc boni velint & mali; nec mi„ rum eſt quod boni propterea ſint „ boni, ſed illud mirum eſt, quod „ mali propterea ſint mali ut ſint „ beati; nam quiſque libidinibus deditus, in hoc malo beatitudinem ſuam quærit, & ſe miſerum putat, cum ad ſuas concupiſcentias non pervenerit, beatum vero ſe non dubitat, cum eas adeptus fuerit.

Probatur hoc ipſum ratione: qui particulam bonitatis in aliqua creatura quærit, eo ipſo cenſetur interpretativè quærere integrum bonum.

Tendentia interpretativa in finem nō facit actum eſſe laudabilem aut meritoriū.

Obſerva tamen voluntatem humanam ex hoc non fieri laudabilem vel meritoriam quoad omnes ejus actiones, ſi hoc modo interpretativo tendat in Deum tamquam in finem ultimum, eò quod illa tendentia ſit tantum quaſi naturalis, cui voluntas per actus ſuos elicitos ſeſe non conformat, ſed potius repugnat, quia naturali quâdam inclinatione ratione naturæ convincitur ultimatè moveri in bonum, quod eſt Deus, quod tamen actu elicito frequenter inquirere negligit, quinimo de eo parum vel numquam cogitat.

DUBIUM IX.

An omnes homines habeant eundem finem ultimum ſimpliciter.

PRo explicatione hujus Dubii prænotandum, finem ultimum ſumi dupliciter, ſcilicet formaliter & materialiter; formaliter ſumptus non eſt aliud quam plenitudo omnis boni, abſtrahendo à ſubjecto in quo talis plenitudo boni reperitur: materialiter ſumptus eſt ipſa res, ſeu ſubjectum in quo talis plenitudo boni reperitur.

Quâ diſtinctione præmiſſâ, verificatur dubium de fine formaliter ultimo; quod Cicero tamquam indubitatum pronuntiat in Hortenſio, dum ait, *Beati certè omnes eſſe volumus*, nempe interpretativè, prout in præcedenti dubio explicuimus: loquendo vero de fine materialiter ultimo, non omnes homines habent eundem finem ultimum, prout oſtendit S. Auguſt. lib. 19. c. 1. de Civ. Dei, ubi refert quoſdam conſtituiſſe finem ultimum in voluptate carnis, ut Epicurum; quoſdam in operatione virtutum moralium, ut Stoicos Phi-

Voluntatem humanam laudabilem.

Digitized by Google

Philoſophos; quoſdam in honeſtate & veritate, ut Ariſtotelem.

Petes, an unus & idem homo poſſit habere plures fines ultimos ſimpliciter.

Nemo poteſt ſimul intendere duos fines ultimos actualiter, vel virtualiter.

Reſp. ſimul eos habere non poſſe; intentione ſcilicet actuali vel virtuali; nam id quod voluntas appetit tamquam finem ultimum debet apprehendi tamquam omnimodè perfectum, & omnimodè ſatians ejus appetitum, ita ut extra illud nil reſtet appetendum: ſiquidem in poſſeſſione finis ultimi conſiſtit ipſa beatitudo, quæ eſt *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*: quare res illa quæ veraciter, & à parte rei eſt finis ultimus, reddit nos verè beatos, quando poſſidetur; res vero quæ falſo tantum apprehenditur finis ultimus, putativè tantum & fallaciter reddit hominem beatum. Hoc poſito, impoſſibile eſt ut voluntas duo ut talia ſimul deſideret: quia ſecundi deſiderium manifeſtè arguit primum non eſſe perfectè ſatiativum appetitus, quandoquidem inſuper appetatur aliud, quod manifeſtè eſt contra rationem finis ultimi.

Dico ſecundo: poteſt nihilominus unus & idem homo ſucceſſivè intendere plures fines ultimos actualiter vel virtualiter; quod clare patet in homine peccatore, qui cum in peccatis exiſtens voluptatem carnis tamquam ultimum finem intendebat: poſtea converſus Deum appetit tamquam finem ultimum; idem quoque poteſt in homine infideli oſtendi adorante idolum, & ſeſe poſtea convertente ad Deum.

Petes, quare unus & idem homo non poſſit ſimul habere plures fines ultimos ſimpliciter; cum peccator peccans mortaliter, ſecundum omnes Theologos, eo ipſo finem ultimum ponat in creatura, quippè quam Deo præponat, utpote illam magis æſtimans & diligens; contingat autem peccatorem ſimul ferri ad plura peccata mortalia abſque aliqua ordinatione inter illa; ex quo infertur illum poſſe ſimul habere plures finis ultimos ſimpliciter.

peccans mortaliter poteſt ſimul habere duos fines ultimos interpretativè.

Reſp. interpretativâ quâdam æſtimatione poſſe concedi plures fines ultimos ſimpliciter ejuſdem hominis, quod argumentum ſolum probat, & nos libenter cum omnibus Theologis aſſentimur; cui non obſtat quo minus intentione actuali vel virtuali hanc ipſam creaturam, quâ Deum offendit, referat in aliquem alium finem ulteriorem; quo caſu illa ſic relata deſinit eſſe finis ultimus: unde quod ſupra diximus intelligitur de intentione actuali vel virtuali; quare ſi peccator ſimul feratur ad plura peccata mortalia, dicimus conſequenter omnino repugnare, quod appetat unumquodque illorum actualiter vel virtualiter tamquam bonum totale.

Digitized by Google

Dices: juſtus venialiter peccans habet ſimul pro fine ultimo Deum & creaturam; Deum quidem in quantum eſt juſtus & in gratia conſtitutus: creaturam verò in quantum peccat venialiter; nam cum omnis actus humanus debeat habere aliquem finem ultimum, conſequenter quoque hæc actio peccaminoſa; ſed hæc nequit pro fine ultimo habere Deum: ſiquidem repugnat illam in Deum referri, cum ſit Dei offenſa, ergo pro fine ultimo habebit creaturam.

Reſp. Argumentum dupliciter poſſe intelligi; primo ſic, quod juſtus venialiter peccans relinquat Deum quatenus habet rationem finis ultimi: quo ſenſu ſecundum fidem eſt falſum; nam alioqui ſequeretur quod ob peccata venialia juſtus amitteret charitatem; alter vero ſenſus argumenti eſt, quod juſtus dum venialiter peccat, non quidem avertatur à Deo, tamen quia vult ſimul aliud objectum non ordinatum in Deum, dicitur ſimul habere duos fines ultimos, Deum ſcilicet, & illud objectum quod eſt creatura; quod verum eſt hoc ſenſu, quod Deum habeat tamquam finem ultimum operantis, creaturam vero tamquam finem ultimum operis, adeoque tantum finem ultimum ſecundum quid.

Dices: eo modo quo mortaliter peccans avertitur à Deo ut habet rationem finis ultimi, ita quoque avertitur peccans venialiter, nam eodem modo uterque convertitur ad creaturam.

Reſp. quamvis uterque convertatur ad immediatum objectum peccati, quod eſt creatura, tamen modi, quibus ſe ad illam convertunt, ſunt diſtincti; ſiquidem dupliciter poteſt quis ſe convertere ad creaturam: primò bonum illud ſeu creaturam interpretativè Deo præferendo, prout fit, dum quis præeligit creaturam ſeu bonum temporale cum gravi Dei offenſa, agendo contra Dei voluntatem in re magni momenti: nam qui appetit hoc modo rem aliquam v. g. honores, divitias &c. Eo ipſo convincitur, quod affectu ſuo & æſtimatione illud Deo ſuo, ejuſque amicitiæ præferat; repugnat enim quod quis velit eſſe alicujus amicus, & tamen illi velit diſplicere in re magni momenti. Secundo poteſt quis converti ad bonum creatum, ſic tamen ut illud Deo non præferat, v. g. ſi bonum illud tantum appetat cum levi Dei offenſa, agendo ſolum contra ejus voluntatem in re parvi momenti; qui autem ſic appetit aliquod bonum non præfert illud ſimpliciter Divinæ amicitiæ, eò quod leves offenſæ amicitiæ non repugnent nec eam deſtruant.

Dices: non implicat ejuſdem effectus eſſe duas cauſas totales efficientes, ut ſi duæ candelæ accenſæ

Digitized by Google

cenſæ ponantur in eodem cubiculo, producere poterunt unum aliquem & eundem gradum luminis; ergo neque implicat ejuſdem effectus dari duas cauſas finales ultimas.

Reſp. quidquid ſit de antecedente, cauſa finalis ultima non debet conferri cum quâvis causâ efficiente, ſed cum ſolâ causâ primâ efficiente; unde ſicuti unius effectus non poſſunt dari plures cauſæ primæ efficientes, ſic neque plures finales ultimæ.

DUBIUM X.

An homo obligetur omnes actiones ſuas referre in Deum actualiter vel virtualiter tamquam finem ultimum.

Relatio operum noſtrorum ad Deum non eſt conſilii ſed præcepti.

Reſp. affirmativè; & probatur ex Scriptura 1. ad Corinthios 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*: quæ verba licet aliqui explicent per modum conſilii, non rectè tamen ſecundum mentem Apoſtoli: qui ex eò quod omnia ſint referenda ad Dei gloriam, conſequenter infert eos peccare, qui commedunt Idolothyta, non habito Divini honoris vel fraternæ charitatis reſpectu; quod non eſſet conſequens, ſi illud prius tantum eſſet conſilii: eapropter S. Thom. ſecunda ſecundæ, q. 69. ait, „ex præcepto tenemur omnia, „ ad Dei gloriam referre.„ Quod repetit 1.2.q.100. „Ex præcepto, „ inquit, Deum tenemur diligere „ ſuper omnia: ad quod pertinet, „ ut omnia referantur in Deum; „ & ideo præceptum charitatis ho„mo implere non poteſt, niſi „ etiam omnia referantur in Deum.

Probatur ſecundò: 1. ad Corint. cap. 16. ait Apoſtolus, *Omnia veſtra in Charitate fiant*: Ubi particula *in*, non eſt idem, quod *cum*, ſed idem quod *ex*, aut *per*; quia non eſt Apoſtolo ſatis ſi in Charitate conſtituti omnia noſtra agamus: quare hæc verba malè aliqui interpretantur tamquam conſilii, cum ſic non cohæreant cum antecedentibus, *Vigilate, ſtate* &c. Quæ utique ſunt præcepti, prout plerique expoſitores tam Græci, quam Latini hunc locum explicant; & quidem S. Thom. interpretatur ſic: *Omnia veſtra in Charitate fiant*, id eſt, *omnia veſtra debent referri*, inquit *in finem Charitatis*: Eapropter S. Aug. lib. de fid. & operib. c. 7. „ quid„ quid enim homo veluti recte fe„cerit, niſi ad pietatem quæ in „ Deum eſt referatur, rectum dici „ non oportet: Hinc eſt quoque illa generalis oratio Eccleſiæ quâ petimus ut Deum *in omnibus & ſuper omnia diligamus*.

Nota tamen charitatem hiſce locis non accipi ſpecialiter pro habitu infuſo, quo, qui diligunt, ſunt filii Dei & hæredes: ſed accipitur pro affectu ſincero & non fucato divini amoris, quo Deus dili-

Relatio operum noſtrorum ad Deum non procedit

neceſſario ab habitu charitatis.

diligitur propter ſe, vel proximus propter Deum, eſto necdum ſuper omnia: unde peccatores, & malos Chriſtianos aliquid ex charitate agere, juxta hunc ſenſum, nihil vetat, veluti dum propter Deum fide cognitum dant eleëmoſinam.

Tertiò probatur ex Epiſtola ad Coloſſenſes cap. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti facite*: Quo loco S. Thom. ſenſum conſilii apertè rejicit in commentario ſuo.

Petes, an hoc præceptum, quo obligamur omnes actiones noſtras actu, vel virtute referre in Deum ut finem ultimum, & conſequenter, quo vetamur aliquam creaturam amare ultimatè propter ſe, ſit tantum poſitivum divinum.

Reſp. nequaquam; ſed eſt Divinum naturale; nam teſte S.Aug. lib. 1. de Libero Arbitrio cap. 13. „jubet æterna lex avertere amo„rem à temporalibus & illum con„vertere ad æterna; „ alioquin enim maniſeſtiſſimè turbaretur ordo naturæ, qui talis eſt, ut natura rationalis collocetur infra Deum, & juxta alias creaturas rationales: collocetur verò ſupra creaturas irrationales; ordo autem iſte naturæ in omnibus rebus ſervatur amore, velut pondere; nam pondus teſte S. Auguſt. eſt impetus cujuſque rei inclinantis & conantis ad locum ſuum; ſic enim ignis & aër ſurſum, aqua & terra deorſum pondere ſuo nituntur; pondus verò creaturæ rationalis eſt ejus amor teſte S. Auguſtino lib. 13. Confeſſ. Cap. 9. „ Amor meus pondus „meum, illo feror quocumque „ feror: „ Cum ergo proprius locus creaturæ rationalis ſit eſſe in medio inter Deum & creaturam irrationalem, quem locum tenet per amorem, maniſeſtè perturbat hunc ordinem naturæ, dum amat aliquod bonum creatum propter ſe; nam hæc eſt amoris natura, ut amato amantem ſubjiciat, & illi adinſtar mancipii ſervire cogat: ex quo ſequitur, ut amator rei amatæ, niſi tempeſtivè jugum amoris excutiat, quibuſlibet rei amatæ perturbationibus commoveatur & concutiatur: hinc eſt quod illius præſentiâ lætatur, abſentiâ triſtatur, periculis angitur, zelo uritur, & in omnes demum affectus, juxta conditionem rei amatæ, vertitur atque mutatur; ac proinde cum ſolus Deus ſit ſupra creaturam rationalem, illi ſoli debet ipſa amando ſervire, quod faciendo ipſa laudabiliter operatur; quod ſi vero amoris pondere in ſe ipſam labatur, vel in id, quod eſt infra ſe, vel ſibi æquale, perturbat ordinem naturæ æternâ lege ſtabilitum.

Dices: ſi illa Apoſtoli verba continerent præceptum, illud eſſet affirmativum; ſed natura præcepti affirmativi eſt obligare ad ſemper, ſed non pro ſemper, id eſt,

Digitized by Google

eſt, non pro omni tempore; ergo non eſt præcepti pro ſemper opera noſtra referre ad Deum tamquam ad finem ultimum.

Reſp. diſtinguendo ſubſumptum; tunc enim præceptum affirmativum obligat pro omni tempore, quando continet univerſitatem actionum, pro ut contingit in præcepto mentionato: tunc vero non obligat pro omni tempore, quando non continet univerſitatem actionum, pro ut contingit in præcepto confitendi, communicandi &c.

Dices iterum: ſi hoc præceptum ſit divinum naturale; ergo obligabit quoque omnes infideles, qui, cum Deum non cognoſcant, conſequenter omnia opera in illum referre non poſſunt, ac propterea opera eorum, ob defectum relationis ad finem ultimum, erunt peccata; cum tamen hæc propoſito; *Omnia opera infidelium, ſunt peccata* ſit damnata in Bayo.

Reſp. hoc argumento motus Eſtius cenſet illud præceptum tantum eſſe poſitivum Divinum ac propterea tantum obligare fideles, quibus Chriſti fides eſt annuntiata: ſed, ſalvâ illius Doctoris reverentiâ, tutius hâc in parte adhæremus S. Auguſtino aſſerenti, præceptum eſſe juris divini naturalis; neque propterea periculum eſt incidendi in hanc propoſitionem damnatam, cum inde minimè ſequatur *omnia opera infidelium eſſe peccata*, nam ſicuti ante ſolem oritur nobis aurora, ſic etiam ante perfectam fidem homini gentili poteſt eluceſcere lux quædam cæleſtis, quâ Deum cognoſcat, & ita opera ſua, ante obtentam perfectam fidem, ad illum dirigat: quin imo, cum perfectum fidei actum præcedere debeat quidam actus intellectus, quo quis judicat myſteria fidei eſſe credibilia, non tantum ob motiva quæ intellectum convincunt (quæ ſolis viribus naturæ haberi poſſunt) ſed etiam ob motivum ſupernaturale, quo judicat illa eſſe credibilia propter revelationem, deinde ſubſequatur volitio quâ voluntas vult illa ſic credere, & denique aſſenſus ipſius intellectus, conſequitur clarè ante perfectam fidem ſemper debere præcedere quamdam lucem ſupernaturalem: unde definit Concilium Trident. Seſſ. 6. cap 5. exordium juſtificationis in adultis ſumi à vocatione Dei, ſeu ab illuminatione, quæ ad intellectum pertinet.

Petes, quomodo ex dictis non ſequatur, quod quoties homo actione ſuâ ſiſtit in re creata, nec ulterius tendit in Deum ut finem ultimum ſemper peccet mortaliter.

Reſp. hoc patere ex antedictis; quàmvis enim tam venialiter, quam mortaliter peccans habeat pro

Defectus relationis operum.

Digitized by Google

ad Deũ tamquã ad finem ultimum eſt ſolum peccatum veniale.

pro fine ultimo rem creatam, illa tamen reſpectu peccantis venialiter non eſt niſi finis ultimus operis, adeoque finis ultimus ſecundum quid; reſpectu vero peccantis mortaliter, creatura ſemper eſt finis ultimus operantis ſimpliciter, ſaltem interpretativè, cum eam Deo ſummè dilecto præponat, quod non facit peccans venialiter; & hæc eſt ratio diverſitatis.

Hoc præcepto continetur ſumma Chriſtianæ perfectionis.

Sane in hoc præcepto referendi omnia opera ad Deum tamquam finem ultimum continetur tota ſumma Religionis Chriſtianæ & eſt unicus quaſi cardo, in quo vertitur vita veraciter pia.

Vide Auguſt. lib. 4. contra Iulian. cap 14. & l. 10. Confeſſ. cap. 31.

Ex quo ſequitur eſſe peccatum veniale, oculos paſcere pulchris picturis, nares gratis odoribus, aures dulci concentu, linguam delicatis ſaporibus, pro ut & delectari laudibus, honoribus, pecuniis &c. ſi in illis veluti in lectulis quieſcamus, & non ulterius in Deum referamus.

Vide Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 32. & 33.

Hinc quoque ſequitur, nulli non tantum rei indifferenti creatæ, ſed nec in ſe optimæ tribui poſſe affectum amoris, eſto moderatè tantum diligatur, ſiquidem omnia opera, quantumvis ex objecto optima, propter defectum relationis ad hunc finem ultimum, erunt peccata venialia.

Profecto in toto Auguſtino nulla eſt doctrina celebrior, nulla perfectior, nulla in hac vita utilior, in qua agitur de ſumma totius Chriſtianæ Philoſophiæ, de cardine totius Theologiæ practicæ; à quo primo principio, ſi quis aberret, neceſſe eſt eum in infinitos labi errores; hos nempe; licitum eſſe ſiſtere in aliqua creatura; licitum eſſe creaturā amare propter ſe; adeoque licitum eſſe indulgere concupiſcentiæ ſuæ, quæ non eſt aliud quam amor creaturæ propter ſe, hoc eſt propter innatam ſuam pulchritudinem, bonitatem, excellentiam &c. Nam ſi res creata per mentem alio referatur, jam non ipſa, ſed illud aliud ad quod refertur, amatur; juxta illud, *propter quod unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale.*

Quod vero illicitum ſit amare creaturam propter ſe, hoc eſt propter innatam bonitatem, hauſit S. Auguſt. tamquam regulam ex ſcripturis ante citatis; quare peccatum, ſecundum ipſum, non aliter definitur quàm, „amor creaturæ propter ſe: hinc l. 3. de Doct. Chriſt. c. 10. definit „charitatem „eſſe motum animi ad fruendum „Deo propter ſe; ſe verò, & proximo propter Deum; „cupiditatem vero ſeu concupiſcentiam definit, „eſſe motum animi ad„fruendum ſe, proximo, vel aliquâ „aliâ creaturâ non propter Deum.

Legatur S. Auguſt lib. 4. cap. 3. contra Julianum ubi hanc regulam ex profeſſo tradit & docet, dum ibidem ait, „quidquid boni fit, „& non propter hoc fit, propter „quod

„ quod fieri debere vera ſapientia „ præcipit , etſi officio videatur „ bonum (id eſt ex objecto) ipſo „ non recto fine peccatum eſt „ hunc verò finem ſtatuit Deum , dum ſubjungit „ cum enim non „ ad ſuum referuntur authorem „ dona Dei , hoc ipſo mali hiſce „ utentes efficiuntur injuſti „ & iterùm eodem capite ; „ noveris, inquit , „ non officiis, ſed finibus, „ á vitiis diſcernendas eſſe virtutes. „ Officium eſt autem, quod faciendum eſt: finis verò propter quod „ faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non „ videtur, ſi non propter hoc facit „ propter quod facere debet peccare convincitur ...ſiquidem manus „ abſtinere ab alieno , ſi officium „ cogites, poteſt videri eſſe juſtitiæ; ſed cum quæritur, quare fiat, „ & reſpondetur, ne plus pecuniæ „ litibus pereat, quomodo jam hoc „ factum poteſt eſſe juſtitiæ, cum „ ſerviat avaritiæ ? .... poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benè „ facientibus, à quibus fiunt. Bonum eſt enim ut ſubveniatur „ homini periclinanti , præſertim „ innocenti : ſed ille qui hoc facit „ ſi amando gloriam hominum magis , quam Dei facit , non bene „ bonum facit. „ Item eodem capite loquens de gentilibus facientibus aliqua opera ex objecto bona: „ in hoc tamen, inquit, „ peccantes , quod homines ſine „ fide , non ad eum finem retulerunt iſta opera , ad quem referre debuerunt ; minus enim Fabricius , quam Catilina punietur, non quia iſte bonus , ſed „ quia ille magis malus : & minus impius quam Catilina , Fabricius. „ Et rurſum eodem capite objicienti Juliano in hunc modum. „ *Si gentilis nudum operuerit „ numquid quia non ex fide eſt , peccatum „ eſt?* Reſpondet, in quantum non „ eſt ex fide , peccatum eſt : non „ quia per ſeipſum factum , quod „ eſt nudum operire , peccatum „ eſt ; ſed de tali opere, non in „ Domino gloriari , ſolus impius „ negat eſſe peccatum. „ Denique in fine hujus capitis concludit; „ per „ amorem Creatoris bene quiſque „ utitur etiam creaturis. Sine hoc „ amore Creatoris , nullus quiſquam bene utitur creaturis.

Ex quibus omnibus patet , ad bonum opus non eſſe ſatis ejus proximum objectum eſſe bonum: ſed inſuper illud ſemper debere referri in finem ultimum ; nec umquam in uſu rerum temporalium animum poſſe quieſcere: ſed ulterius debere tranſire , quouſque ad Deum pervenerit;& eò vergit ſcopus religionis Chriſtianæ , qui non eſt alius, niſi ut à rerum creatarum amore liberemur , rumpendo per Dei gratiam amoris vincula , quibus creaturis alligabamur. Unde indiſpenſabilis eſt illa S. Aug. regula lib. 1. cap. 19. de Libero Arb. „ jubet æterna lex avertere amorem „ à

„ à temporalibus, & eum munda-„tum convertere ad æterna: Quibus inhærens in Pſalm. 80. docet, ejuſmodi affectus, quibus rebus creatis inhæretur etiam in viris juſtis, eſſe lignum, ſtipulam, fœnum hoc eſt peccata venalia.

Et quia multi ſunt, qui putant ſeſe res illas non amare, quibus tamen arcto amoris glutine alligantur, ipſi ex fruitione illarum rerum deteguntur; frui enim non eſt aliud, quam amore alicui rei creatæ inhærere propter ſe, quod ſemper peccatum eſt; juxta illam vulgatiſſimam S. Aug. regulam lib. 10. de Trin. cap. 10. „nec eſt alia vita „hominum vitioſa atque culpabi-„lis, quam malè utens, & malè „fruens: quod clarius tradit lib. 83 qq. q. 30. dum ait, „omnis hu-„mana perverſio eſt, quod etiam „vitium vocatur, fruendis uti „velle, atque utendis frui: Et ſermone 33. de verbis Domini ait: „Amor rerum terrenarum viſcus „eſt ſpiritualium pennarum.

Procul proinde abſit à Chriſtianis cordibus quorumdam doctrina, quâ hic defectus relationis operis ad finem ultimum, dummodo illud in ſe ſit honeſtum, tantum appelletur imperfectio non vero peccatum veniale. Nam radix omnium malorum, teſte Apoſtolo ad Tim. 3. eſt amor proprius; *erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes*, *cupidi*, *elati*, *ſuperbi* &c. Et quid eſt amor proprius, niſi effectus in creatura rationali, quo ſibi vult bona, & fugit mala propter ſe? quod verò hic amor malus ſit, humana ratio, niſi cæcutiat, facili diſcurſu cognoſcet; homo enim creatus eſt, non propter ſe, ſed propter Deum; dicente Scripturæ Prov. cap. 16. *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; qui proinde ita ſibi debet quærere bona, ut illa non ultimatè propter ſe, ſed propter Deum quærat.

An ergo vetamur nos, vel proximos noſtros diligere? Reſpondeo nequaquam, ſed vetamur diligere inordinatè. Et quidem in ſtatu innocentiæ amor ille erat erga nos rectiſſimus, utpote ſicuti Deum propter Deum, ita noſmetipſos & proximos tunc diligebamus propter Deum; & quidquid commoditatis nobis cupiebamus, non in noſtra parvitate ſiſtebat, ſed tranſibat ultimatè in Deum: at modò, in ſtatu naturæ lapſæ, horrendum eſt cogitatu, quanto impetu creatura rationalis in omnibus ſuis penè actionibus ruat in ſemetipſam, in omnibus quærens proprium commodum, non tantum in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus; ita ut quandoque peccatorum remiſſionem, virtutum adeptionem, donum orationis, & ſpiritualem profectum cum lacrymis petat, non ut Deo placeat, ſed ut ſeipſam paſcat, vel ſeſe ab aliquibus malis eripiat; & ita modò in infelici homine illius perver-ſitatis

Digitized by Google

ſitatis videmus expreſſam imaginem, quam Nabuchodonoſor in abominabili ſtatua 60. cubitorum erexerat; ſicuti enim ille, ſublato veri Dei cultu, voluit haberi & adorari pro Deo: ita homo ſeipſum quaſi quoddam idolum conſtituens, univerſa penè opera quæ facit, propter ſe facit, & ſemetipſum *Alpha* & *Omega*, id eſt, principium & finem operationum ſuarum conſtituit; quæ perverſitas potiſſimum à S. Auguſt. deploratur.

Nec profecto mirum videri debet hujuſmodi actiones, licet ex objecto bonas, nihilominus ob defectum relationis ad ultimum finem, eſſe peccata venialia: quippè cum & omnia verba otioſa ſint talia, utpote de quibus reddituri ſunt homines rationem in die judicii.

Modus applicandi hanc regulam Chriſtianæ perfectionis.

Ut autem hæc primaria regula Chriſtianæ religionis ritè deducatur ad praxim, imitanda eſt conſuetudo cujuſdam de priſcis eremi patribus, qui ad ſingula opera, quæ faciebat, pauliſper ſubſiſtebat; rogatus, quare? Reſpondebat; fili, omnia bona noſtra opera ex ſe nullius ſunt valoris niſi ad Deum referantur; proinde quemadmodum ſagittarius, ut ſcopum attingat, pauliſper ſubſiſtit, oculos ſuos colligens & dirigens in ſcopum; ſic & ego, antequam bonum opus aggrediar ipſum ordino ad Deum, qui omnium operum noſtrorum ſcopus, & finis eſſe debet.

Proinde nec ſufficit, dum mane ſurgimus, quod omnia illius diei opera ad Deum referamus: ſed aſſueſcamus oportet nullum omnino opus facere, quod non prius ad Dei gloriam retulerimus; eo modo quo faber murarius, dum murum conſtruit, continuo amuſſim & perpendiculum ad manum habet, & ad ſingulos lapides quos collocat, ipſum adhibet; ſic & nos ad ſingula noſtra opera perpendiculum hujus ſanctæ intentionis adhibeamus; & dicamus, *Propter te Domine & propter gloriam tuam, & quia tu ita vis, hoc opus facio.*

Hæc eſt vera & certiſſima alchimia, ad puriſſimum aurum ex ære, plumbo, & ferro conflandum: licet enim opus noſtrum ex objecto ſuo eſſet indifferens & vile, hoc modo tamen fit ſublimiſſimum, maximique valoris. Utinam abſconditum illum in agro corporis noſtri theſaurum inveniamus. Et ſicuti in templo Salomonis omnia erant ex auro, vel auro cooperta: ſic omnia opera noſtra vel ſint amor Dei, vel propter amorem Dei facta: in quem finem frequenter imploremus gratiam Spiritus Sancti, dicentes; *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.*

D DU-

DUBIUM XI.

An omnes creaturæ in eodem fine ultimo conveniant.

RESp. & dico primo; quod omnes creaturæ tam rationales quam irrationales ad eundem finem ultimum à Deo ſint ordinatæ, nempè in Deum cujus gratiâ ſunt & exiſtunt: nam ut ait Apoſtolus ad Rom. 11. *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: ex ipſo quidem, in quantum omnia ab æterno ordinavit; per ipſum, in quantum in tempore cuncta creavit nullius operâ indigens; in ipſo, in quantum omnia ad ſe, tanquam ad finem ultimm deſtinavit; unde Apocal. 1. ait, *Ego ſum principium & finis*: & Prov. 16. dicitur; *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

Probatur hoc ipſum ex ſcripturis, quibus Deus appellatur Dominus creaturarum: ſiquidem ſicuti Dominus eſt finis, cujus gratia ſunt omnia, quæ ejus dominio ſubſunt, nimirum ut illi inſerviant: ita Deus eſt finis omnium creaturarum, cujus gratiâ illæ ſunt, atque illi inſerviunt.

Porrò notandum, dum Deus dicitur finis ultimus omnium creaturarum, id intelligi de fine ultimo *cui*, non vero *cujus*; nam hic eſt gloria Dei extrinſeca, quam ipſe propter ſe quærit & intendit in omnibus creaturis. Quæ quidem objectivè conſiſtit in earum excellentiâ & pulchritudine, maximè verò ſpirituum & animarum ſanctarum; ſicuti enim gloria principis ſæcularis potiſſimum conſiſtit in ſplendore & multitudine aulicorum; ita externa Dei gloria objectivè primario conſiſtit in excellentiâ & multitudine beatorum; ſecundario vero in aliis creaturis omnibus, quatenus in illis, tamquam in effectibus, divinæ perfectiones relucent: formalis vero conſiſtit in notitiâ, quâ creatura rationalis divinas perfectiones cognoſcit, & cognoſcendo veneratur, laudat, amat, atque benedicit in omnem æternitatem; cum enim Deus ab intrinſeco ſit infinitè perfectus, non poteſt ipſe per creaturas quærere aliquod bonum ſe ſemetipſum intrinſecè perficiens, v. g. internam ſuam gloriam, quæ objectivè conſiſtit in infinitis ejus perfectionibus, ratione quarum digniſſimus eſt, qui ab omnibus cognoſcatur, laudetur, ametur, & benedicatur in æternum: formaliter vero in illâ cognitione quam Deus habet de ſuis infinitis perfectionibus; ſiquidem gloria in genere aliud non eſt, quam *clara cum laude notitia*. Eapropter finis *cujus*, quem Deus in creatione & gubernatione totius univerſi ſpectavit, debuit eſſe aliquod bonum ipſi extrinſecum.

Petes, an creatura irrationalis ordinetur ad Dei gloriam? & ratio

Digitized by Google

tio dubitandi eſt, quia illa non eſt capax actionum, nempè cognitionis & amoris, in quibus gloria conſiſtit.

Reſp. affirmativè, nimirum in quantum illa eſt adjumento creaturæ rationali ut vivere valeat, & vivendo Deum glorificare; præterea quatenus illa repræſentat & prædicat divinas perfectiones & excellentias; nam ut habetur Pſalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Et ad Rom. 1. *Invisibilia ipſius, à creaturâ mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas*: ita ut totus mundus ſit ad inſtar picturæ, in quâ Divinitas eſt depicta, & ad inſtar libri, in quo divinæ perfectiones etiam ab omnibus idiotis legi poſſunt.

Petes, an creaturæ rationales non ordinentur ad Dei gloriam nobiliori modo, quam irrationales?

Reſp. affirmativè, quia ſi illæ ſpectentur ſecundum ſuam entitatem, factæ ſunt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ac proindè multò perfectius repræſentant divinas perfectiones: præterea in illis non tantum eſt major Dei gloria objectiva, ſed & formalis, quatenus per actus vitales intellectus & voluntatis Dei perfectiones cognoſcunt, venerantur, & amant.

Petes, an omnes creaturæ Deum tamquam finem ultimum eodem modo adipiſcantur & conſequantur?

Reſp. negativè: nam rationalis illum conſequitur cognoſcendo & amando; irrationalis vero ſolum in quantum participat aliquam Dei ſimilitudinem, prout nimirum eſt, vivit, aut ſentit.

Dices, ſi Deus univerſa propter ſemetipſum operatus ſit, ergo ex rebus creatis ſpectavit aliquod commodum ſibi obventurum:

Reſp. negando conſequentiam; cum enim Deus eminenter in ſe contineat omne bonum creatum, nihil illi ex creatura emolumenti accedere poteſt, quare nec illud ſpectare potuit.

Porrò ſicuti Deus eſt neceſſario prima cauſa efficiens omnium rerum, ita quoque neceſſario eſt illarum finis ultimus; qui proinde in quocumque opere externo neceſſariò intendere debet aliquod bonum ſuum: nullum verò tale ſibi poteſt acquirere præter gloriam extrinſecam; quam proinde in omni ſua operatione ad extra debet intendere, exigente hoc infinitâ ejus perfectione & eminentiâ ſuper omnes creaturas, quæ illi tamquam ſupremo Domino debent inſervire, quia vero ſumma ejus gloria externa (quod & ſuprà inſinuavimus) conſiſtit in eo, quod ipſe perfectè à nobis cognoſcitur & amatur, ſequitur quod, quando Deus intendit gloriam ſuam, intendat ſummum bonum noſtrum, quod nequit eſſe aliud, quam ſumma ejus gloria. Eapro-

Digitized by Google

pter non poteſt ſibi homo in operando excellentius bonum proponere, nec meliùs actiones ſuas dirigere, quam illas referendo ad Dei gloriam.

Ex his omnibus patet hominem eſſe creatum ad hunc finem, ut Deum ſuum cognoſcat, laudet, veneretur, amet, & ſerviat in hac vita, eoque fruatur in futura: in quibus conſiſtit gloria Dei extrinſeca; unde & hæc ſunt prima principia vitæ ſpiritualis. 1. Hunc finem ultimum cognoſcere. 2. Nos in hoc mundo ſolum vivere, ut hunc finem conſequamur. 3. Creaturas nobis datas eſſe, tamquam media ad hunc finem conſequendum; ac proinde non aliter iis utendum eſſe, quam quatenus nobis auxilio eſſe poſſunt ad hunc finem aſſequendum.

Hic pauliſper ſubſiſte Lector.

ET in amaritudine animæ tuæ recogita, quoties in hac vita tua ab hoc fine tuo deviaveris, & in vano & adulterino fine honorum, dignitatum, voluptatum, & illecebrarum mundi, veluti in lectulo, requieveris. Recogita, inquam, quanto impetu & pondere amoris proprii hactenus in te ipſam in omnibus penè actionibus tuis ſis collapſa: ſi bibiſti, ſi comediſti, ſi ſtuduiſti, ſi quid aliud feciſti, id egiſti ut te ipſam oblectares, aut à malis eriperes; hic hæſiſti, hic ſtetiſti, nec in Deum ultimatè tetendiſti, adeòque peccaſti, utens fruendis, fruens utendis. Eapropter amodò converte affectus tuos hinc inde diſperſos circa objecta creaturarum, ad unicum centrum tuum, quod eſt Deus tuus, ut poſthac in illis aliud non ames, aliud non velis, aliud non deſideres, aliud non appetas, quam Deum tuum, cui Honor & Gloria in Sæcula Sæculorum Amen.

TRAC-

TRACTATUS II.
De Beatitudine.

QUÆSTIO I.
Quotuplex ſit Beatitudo.

SICUTI diſtinguitur duplex finis ultimus, nempe *cujus*, & *quo*: ita quoque duplex diſtinguitur beatitudo, una ſcilicet, quæ eſt res ſeu bonum illud quod ſatiat appetitum, quæ communiter appellatur beatitudo objectiva, eo quod ſit objectum, cujus poſſeſſione efficimur beati: altera vero appellatur beatitudo formalis, conſiſtens in poſſeſſione illius boni, quo efficimur beati.

Beatitudo alia formalis, alia objectiva.

Beatitudo objectiva etiamſi à parte rei conveniat cum fine ultimo, differt tamen ratione, eo quod finis ultimus inſuper importet rationem cauſæ, à qua illa abſtrahit.

DUBIUM PRIMUM.
An Beatitudo objectiva conſiſtat in bono aliquo creato.

RESP. negativè: quia illa debet conſiſtere in bono aliquo ſatiante noſtrum appetitum, quod nullum bonum creatum poteſt facere, ſed ſolus Deus, dicente Prophetâ Pſal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* & Joan. cap. 17 *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: quibus inſiſtens S. Aug. lib. 1. Conf. cap. 1. ait „Feciſti „nos ad te, & inquietum eſt cor „noſtrum donec requieſcat in te.„

Dices: appetitus noſter eſt finitus, ergo ſatiari poteſt bono finito.

Reſp. negando conſequentiam; nam tametſi intrinſecè, & quoad ſuam entitatem ſit finitus: extrinſecè tamen, & objectivè eſt infinitus; nam voluntas noſtra hac in parte ſimilis eſt intellectui, qui dum voluntati proponit bonum aliquod finitum, oſtendit quoque aliquem defectum bonitatis in illo, ac proinde ſupereſſe aliquod bonum majus appetendum; unde fit ut voluntas non ſolum appetat bonum iſtud finitum, ſed multo magis illud aliud, quod majus eſt.

Ex quibus patet veram beatitudinem objectivam debere conſiſtere in bono increato, quod eſt ſolus Deus.

DUBIUM II.

An Beatitudo formalis conſiſtat in bono aliquo creato.

Beatitudo formalis conſiſtit in actione vitali.

RESp. affirmativè: quia hæc conſiſtit in comprehenſione, ſeu poſſeſſione ſummi boni, quæ à parte rei conſiſtit in aliqua actione vitali ipſius beati, adeoque in re creata; unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. *ſic currite*, inquit, *ut comprehendatis*. Item ad Phil. 3. *ſequor, ſi quo modo comprehendam*.

Petes, an beatitudo formalis non poſſit dici conſiſtere in penetrativo illapſu divinitatis in ipſam eſſentiam animæ, illâ ſeſe ad hanc merè paſſivè habente.

Non conſiſtit in penetrativo illapſu divinitatis in animâ.

Reſp. negativè; quia Scriptura Sacra manifeſtè illam conſtituit in operatione vitali ipſius beati, ut patet Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum*.

Secundò, quia ille illapſus vel fieret ſine interventu alicujus doni creati, vel cum illo: primum eſt impoſſibile, utpote cum ſit inconceptibile quod Deus illabatur animæ noſtræ abſque interventu alicujus doni creati; cum enim ante ſit intimè in ipſa per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: niſi aliquid novi in illa efficiat, habebit ſeſe eodem modo ut ante. Nec ſecundum poteſt dici, quia non apparet quod, vel quale donum poſſet ſuperaddi eſſentiæ ipſius animæ, ratione cujus Deus diceretur magis in illa reſidere, quam ratione gratiæ ſanctificantis: cum hæc ſit forma filiorum Dei, quâ efficimur conſortes divinæ naturæ, & fundamentum amicitiæ inter Deum & animam juſtam, cujus reſpectu SS. Trinitas apud illam manſionem dicitur facere: ſitque talis ordinis & dignitatis, ut jure ſibi quaſi connaturali poſtulet internam & perſonalem Dei præſentiam: ita ut, ſi per impoſſibile Deus in ea non eſſet præſens per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, hoc ipſo tamen, quo anima illo dono gratiæ ornaretur, illi adeſſet; eo quod in hoc habituali dono gratiæ fundetur amicitia inter Deum & hominem; amicitia verò non tantum petit unionem per affectuum conformitatem inter amicos: ſed etiam inſeparabilem, quantum fieri poteſt, eorumdem præſentiam; nam amor eſt veluti quoddam pondus, quo amans, quaſi ſe deſerendo, movetur in amatum, & exuens quaſi propriam formam, induit formam amati. Tali amore æſtuabat S. Paulus, cum diceret, *vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus*: ad Gal. 2. hinc S. Auguſt. amorem vocat juncturam duo quædam copulantem: ex quo patet quantus ſit divini amoris effectus, dum Chriſtus perpetuò Eccleſiæ ſuæ ſponſæ in SS. Euchariſtiæ Sacramento corporaliter vult eſſe præſens: ac proinde fruſtra videtur poſſe confingi aliud donum, quo median-

Digitized by Google

mediante Deus animam beatificaret, cum nullum in hoc genere appareat perfectius gratiâ ſanctificante, quæ tamen, ut notorium eſt, hominem non beatificat.

Petes, quare beatitudo formalis non poſſet dici conſiſtere in increatâ Dei viſione intellectui beati communicatâ.

Reſp. quia illa à parte rei eſt ipſemet Deus; non poteſt autem Deus per ſe ipſum ſupplere effectum formalem actûs vitalis: partim quia actus vitalis debet informare potentiam, nam vita debet eſſe in vivente, quod non poteſt præſtare viſio increata: partim quia actus vitalis ut tribuat ſuum effectum potentiæ, debet ab illa procedere; alioquin enim per illum non dicetur vivere, ſed modo quodam mortuo eum excipiet; atqui repugnat viſioni increatæ procedere à creatura; ergo hæc ab illa non poteſt denominari formaliter beata. Præterea beati, prout patet ex conſilio Vienn. Clement: *ad noſtram, de hæreticis*, egent lumine gloriæ ad videndum Deum, quo certè non egerent, ſi per viſionem increatam viderent; ſiquidem illud requiritur ad elevandum intellectum in ordine ad actum vitalem producendum.

Dices: non repugnat divinam eſſentiam ſupplere vices ſpeciei intelligibilis, nec ſubſiſtentiam divinam ſupplere vices ſubſiſtentiæ humanæ, ut patet in Chriſto; ergo nec repugnat divinam eſſentiam ſupplere effectum formalem actus vitalis: adeoque poterit beatitudo formalis conſiſtere in viſione Dei increatâ intellectui communicatâ.

Reſp. negando conſequentiam; quia ſpecies intelligibilis neque ex natura ſua poſtulat inhærere intellectui, neque ab eo efficienter procedere: ita & ſubſiſtentia neque debet informare naturam neque ab illa debet efficienter produci: viſio vero, quâ intellectus videt, aut amor, quo voluntas amat, ſunt actus vitales: actus autem vitalis debet informare potentiam à qua procedit, nam vita debet eſſe in vivente; neceſſarium quoque eſt ut ab illa efficienter procedat, eò quod alioqui potentia per illum non dicetur vivere, ſed modo planè mortuo illum accipiet.

Petes, an ſaltem per abſolutam Dei potentiam viſio & amor Dei in beatis non poſſent produci à ſolo Deo ſiue concurſu effectivo ipſius potentiæ beati.

Reſp. omnes actus vitales ſecundum ſuam ſubſtantiam abſolutè poſſe cauſari à ſolo Deo, eoquod ſint qualitates realiter à potentiis diſtinctæ, & ab illis effectivè emanantes; quia Deus poteſt ſupplere omnem efficientiam cauſæ ſecundæ, prout & dependentiam quam habent ab anima in genere cauſæ materialis, conſervando illos extra omne ſubjectum: neque enim

enim eſt de eſſentia talium actuum ut re ipsâ emanent à potentiis: ſed aptitudo ad emanandum è potentiis, & ad illas informandas, eſt de ipſorum eſſentia; juxta illud *Accidentis eſſe, eſt ineſſe.*

Pro quo tamen notandum, quod per ejuſmodi actus à ſolo Deo in intellectu, vel voluntate productos, anima nec intelliget, nec amabit; ſed ſolum illos recipiet mortuo quodam modo; eò quod ſimplex informatio non ſufficiat ut hi actus tribuant potentiæ ſuum effectum formalem, & vitalem: ſed ulterius requiritur emanatio effectus ab ipſa potentia: cujus ratio eſt, quia denominant non tantùm prout ſunt formæ inhærentes, ſed & quatenus ſunt actus emanantes, eò quod utrumque in eorum denominatione includatur.

Dices: beatitudo eſt præmium; ſed eſt contra rationem præmii illud effici ab eo, cui illud tribuitur; ergo illa non conſiſtit in actu vitali ipſius beati.

Reſp. negando ſubſumptum: quis enim dubitat Principem loco præmii poſſe offerre ſuo vaſallo ut ambulet à dextris ejus? illa autem ambulatio efficitur ab illo: qui tamen dici non poteſt ſibi ipſi conferre præmium, eò quod, ſine licentia Principis, talem actionem, in qua conſiſtit præmium, exercere non poſſit.

Petes: an beatitudo formalis non conſiſtat in perfectiſſimâ unione animæ cum Deo?

Reſp. negativè; quia talis eſt unio hypoſtatica, in qua tamen beatitudo formalis nequit conſiſtere, eò quod natura incapax beatitudinis poſſet per abſolutam Dei potentiam hypoſtaticè aſſumi. Quamquam tamen fateri oporteat beatitudinem conſiſtere in perfectiſſima unione vitali, quâ quaſi ſentitur, & guſtatur ipſe Deus, & anima illi in tantum afficitur, ac ſi in illum eſſet transformata. Beatitudo formalis non poteſt cōſiſtere in unione hypoſtatica. Conſiſtit in perfectiſſima unione vitali.

Petes, an ergo beatitudo neceſſario debeat conſiſtere in actione immanente?

Reſp. affirmativè: quod enim nequeat conſiſtere in actione tranſeunte inde patet, quod actio tranſiens non tam perficiat ipſum agens à quo producitur, quam præſupponat ejus perfectionem: nam actus qui producitur non informat agens, ſed patiens: eo modo quo *illuminare*, non perficit ſolem, ſed aërem, in quo lumen ſolis recipitur.

DUBIUM III.

An Beatitudo ſit operatio partis ſenſitivæ.

Reſp. negativè; cum enim hæc conſiſtat in comprehenſione ſummi boni ſpiritualis & incorporei, non poteſt illud attingi operatione alicujus ſenſus, qui, utpote materialis, nequit egredi limites ſui objecti materialis & corporei. Beatitudo non attingitur directè operatione alicujus ſenſus.

Poſſunt

Poſſunt tamen operationes potentiæ ſenſitivæ pertinere antecedenter ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita haberi poteſt, cum oporteat in hac vita intelligentem ſpeculari phantaſmata.

Operationes potentiæ ſenſitivæ, conſecutivè ſpectāt ab beatitudinem.

Poſſunt quoque operationes potentiæ ſenſitivæ conſecutivè pertinere ad perfectam beatitudinem quæ exſpectatur in cælo, eo quod ex ipſa animæ beatitudine ſequetur quædam refluentia ſeu redundantia in corpus, & ſenſus corporeos, ut in ſuis operationibus perficiantur.

DUBIUM IV.

An Beatitudo formalis ſit operatio intellectus, an voluntatis.

Beatitudo formalis quoad eſſentiā ſuam ſpectata conſiſtit in actu intellectus.

RESpondeo: ſi beatitudo formalis ſpectetur præcisè quoad ſuam naturam & eſſentiam, non conſiſtit originaliter in actu voluntatis, ſed in actu intellectus.

Probatur 1. quia hæc conſiſtit in illa animæ operatione, quæ eſt comprehenſio, poſſeſſio ſeu apprehenſio ſummi boni, prout patet ex Scriptura Sacra: ad Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis*; Actus autem voluntatis non poteſt eſſe comprehenſio, vel apprehenſio; quia voluntas non trahit objectum ad ſe, ſed potius fertur in illud tendendo extra ſe; unde dici ſolet quod voluntas magis eſt ubi amat, quam ubi animat: & ideo voluntati ſemper eſt conjuncta alia potentia, cujus eſt tenere & apprehendere bonum amatum: ita enim ſenſibus externis tenemus quaſi & apprehendimus id, quod appetitus deſiderat; hinc qui amat pulchritudinem, tenet illam & apprehendit viſu; qui muſicam, auditu; qui delectationem ſenſualem in cibo & potu, guſtu & tactu; & ita de cæteris.

Præterea omnis actus voluntatis vel præcedit, vel conſequitur conſecutionem ſummi boni; ſi præcedat eſt deſiderium, quod non poteſt habere rationem comprehenſionis, quia eſt boni abſentis: ſi vero ſubſequatur, eſt delectatio, quæ ſupponit conſecutionem ſummi boni; deinde conſecutio habet rationem finis reſpectu delectationis tamquam medii, eo modo, quo auctor naturæ quibuſdam rebus, ut comeſtioni, & generationi, peculiarem admiſcuit delectationem, ne alioqui ab animantibus tales actiones negligerentur, quæ ſunt neceſſariæ ad conſervationem individui, & ſpeciei.

Dices: videre pecunias, non eſt poſſidere pecunias; Item videre agros, non eſt poſſidere agros, ergo comprehenſio ſeu poſſeſſio beatitudinis non conſiſtit formaliter in actu intellectus, qui eſt viſio.

Reſp. negando conſequentiam; quamvis enim antecedens bene probet quod viſio non ſit formaliter poſſeſſio ſeu comprehenſio, cum hæc duo habeant diſtinctas ratio-

rationes formales; nam viſio ſolum dicit claram cognitionem objecti viſi; poſſeſſio vero ſignificat tenentiam ſive apprehenſionem objecti amati, eo modo quo teneri, apprehendi, & poſſideri poteſt; quia vero Deus aliter à nobis apprehendi & poſſideri non poteſt quam viſione, ideo fit quod viſio ſimul habeat officium comprehenſionis ſeu poſſeſſionis; ita ut unus & idem actus à parte rei habeat diverſas rationes formales, nimirum unam viſionis, & alteram comprehenſionis: & eapropter beatitudo formalis conſiſtit in viſione non quatenus viſio, ſed quatenus comprehenſio ſeu poſſeſſio eſt.

Hic tamen bene notandum, quod hæc non dicat ſolam tenentiam ſeu comprehenſionem alicujus objecti ſimpliciter, ſed tenentiam rei amatæ, ſeu quam ante amavimus: eapropter viſio, ut ſit poſſeſſio ſummi boni, includit ſimul ordinem ad Deum tamquam ſummè bonum amatum: & ita videmus in naturalibus, quod, qui habet pecunias, ſi tamen illas non amet, neque verè, neque putatitiè ſeſe æſtimabit beatum.

Dices ex S. Anſelmo lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 5. ,,ordo perverſus ,,eſt amare, ut intelligas; rectiſſi- ,,mus vero intelligere, ut ames;, ergo viſio non eſt ultimum bonum, quia ordinatur ad amorem: & conſequenter beatitudo formaliter integra ſecundum ſuam eſſentiam, non conſiſtit in viſione.

Reſp. viſionem ſpectari debere dupliciter; ſemel prout eſt cognitio: aliter vero prout eſt poſſeſſio; priori modo ordinatur ad amorem benevolentiæ; poſteriori vero eſt ultimum bonum, & conſequenter beatitudo formalis eſſentialiter. Viſio quandoque ſpectatur ut viſio quandoque ut comprehenſio.

Dices: ſi beatitudo formalis directè & formaliter conſiſtat in ſola viſione, ex qua tamen amor & gaudium tamquam connaturales proprietates profluunt, ergo per abſolutam Dei potentiam poterit viſio conſervari ſine amore & gaudio; quinimo cum triſtitiâ & miſeriâ.

Reſp. concedendo totum; neque enim triſtitia & miſeria repugnant beatitudini abſolutè, ſed tantum ſecundum ſtatum illius connaturalem; prius patet in Chriſto, qui fuit verè beatus cum dolore & triſtitiâ: & ideo ſimul dictus viator, & comprehenſor. Poſterius patet, quia viſio beatifica ex natura ſua talis eſt, ut neceſſario ſecum trahat amorem & gaudium, & excludat omnem miſeriam, niſi miraculosè impediatur.

Petes: an viſio ut obtineat rationem beatitudinis debeat eſſe intuitiva.

Reſp. affirmativè: quia homo non eſt beatus quamdiu ipſi adhuc aliquid reſtat inquirendum: quod ipſi reſtat, quamdiu non clarè videt Divinam eſſentiam; eapropter homo cognoſcens Deum abſtractivè tantum in hac vita per effe-

Digitized by Google

effectus, eſt naturaliter inquietus, donec cognoverit cauſam.

DUBIUM. V.

An Beatitudo formalis conſiderata quoad integrum & perfectum ſuum ſtatum non involvat actum voluntatis?

Beatitudo ſpectari poteſt quoad *eſſe* ſuum eſſentiale, vel quoad *eſſe* integrale.

PRænotandum primo, quod beatitudo formalis poſſit ſpectari dupliciter. 1. quoad naturam & eſſentiam, ſeu quoad illam actionem, quæ fons eſt & origo unde omnes animæ vires perficiuntur, de qua dubio præcedenti egimus. 2. quoad integrum & perfectum ſuum ſtatum, de qua hic agendum; quæ ſic ſpectata requirit ad ſui integritatem non tantum actus intellectus, ſed & voluntatis, quos beatus circa Deum exercet: & hinc contingit quod Scriptura S. beatitudinem ſubinde exprimat ſub actu voluntatis, nempe ſub nomine gaudii: Matth. 25. *Intra in gaudium Domini* ſubinde verò ſub actu intellectus, nempe viſionis; ſic enim Pſalm. 35. *In lumine tuo*, inquit, *videbimus lumen*.

Secundò probatur hoc ex Conc. Vienn. in Clem. *Ad noſtram de hæreticis*: ubi narratur error Begardorum & Beguinarum, qui eſt hic; quod anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad videndum. Deum ubi beatitudo conſtituitur tam in viſione, quam in fruitione.

Tertiò probatur ex Extravag. Benedicti XI. in qua ait, animas Sanctorum, quæ ex hac vita migrarunt, viſione & fruitione eſſe beatas.

Probatur 4. ratione: quia plures actus ſunt neceſſarii ut ab anima beata excludatur omnis inquietudo & moleſtia, & appetitus omnimodè ſatietur.

Petes; quinam actus ad hoc ſunt neceſſarii?

Quinq; actus requiruntur ad beatitudinem integralem.

Reſp. ab Authoribus paſſim recenſeri quinque, nempe viſionem 2. amorem benevolentiæ, qui eſt actus voluntatis, quo beatus vult Deo omnia bona intrinſeca & extrinſeca propter ſe. 3. amorem concupiſcentiæ ſeu affectum, quo beatus amat Deum ſibi, ut illo fruatur. 4. gaudium benevolentiæ, nempe de infinita Dei bonitate & perfectionibus ejus, quatenus ejus bona ſunt. 5. Gaudium de poſſeſſione Dei, quatenus nobis boni.

Actus amoris & gaudii non ſunt actus amoris concupiſcentiæ.

Quos quidem quinque actus cum illis admittimus: ſed negamus duos amoris & gaudii eſſe actus amoris concupiſcentiæ: ſiquidem amor concupiſcentię eſt ille voluntatis affectus, quo volo alicui bonum ultimatè in meum commodum: amor verò benevolentiæ eſt ille voluntatis affectus, quo volo alicui bonum ultimatè, ut illi bene ſit; eapropter ſpecifica diſtinctio iſtorum duorum amorum deſumenda venit ex motivo, ſub quo ſe-

Digitized by Google

feruntur in objectum, ex quo patet hunc amorem concupiſcentiæ beatis eſſe impoſſibilem, utpote inordinatum & peccaminoſum.

Dices: Sancti amant Deum ſibi, ut ſuum ſummum bonum: & ſimiliter de eo poſſeſſo lætantur & gaudent, prout ante admiſſum eſt: ſed hi actus ſunt amoris concupiſcentiæ, ergo.

Beati actibus ſuæ voluntatis ultimatè ſemper tendunt in Deum.

Reſp. negando ſubſumpt. Cum enim Sancti in his non ſubſiſtant, ſed ulterius actibus iſtis tendant ultimatè in Deum: clarum eſt actus illos eſſe amoris benevolentiæ, quandoquidem illis non tam ſe, quam Deum diligant; nam illud propriè amatur, cui ultimatè, totum cedit; eapropter omnis talis amor concupiſcentiæ reſpectu Dei, vitioſus eſt, eo quod quidquid ille concupiſcat ſive fruendum ſive utendum, hoc ultimatè referat ad ſe; amor vero benevolentiæ optimus eſt, eo quod quidquid deſiderat uti vel frui, ultimate referat in Deum.

Amor concupiſcentię erga Deum eſt vitioſus.

Quod vero aliqui Authores ſimiles actus quibus Deum nobis deſideramus vocent amoris concupiſcentiæ, in eo falluntur, quod non advertant quando Deum in æternitate fruendum deſideramus, aut Deo adepto gaudemus, deſiderium illud & gaudium eſſe ultimatè propter Deum, quem uti gratis amamus, ita & gratis concupiſcimus, ſperamus, gaudemus; ſiquidem hi omnes affectus ultimatè retorquentur in Deum.

Spes Chriſtiana non ſubtrahitur charitati.

Ex quo patet falli illos qui ſpem Chriſtianam ſubtrahunt charitati; quaſi ille qui deſiderat, concupiſcit, aut ſperat præſentiam ſui dilecti, ab illo ad ſe ipſum reſiliret, & Deum ultimatè ad ſe retorqueret; abſit illa imaginatio, nam charitas deſiderat Chriſtum, gaudet, & in æternum gaudebit quod ſit in Chriſto; charitas dolet quod non ſit in Chriſto; charitas ſperat ſe obtenturam Chriſtum. Eſt enim amor veluti cardo omnium affectuum, uſque adeo, ut ubi amor fuerit, neceſſe ſit juxta variationem rei amatæ voluntatem in omnes affectus proſilire, ſcilicet deſiderii, ſpei, odii, triſtitiæ, lætitiæ &c.

Amor eſt cardo omnium affectuum unde qualis amor, tales omnes ſubſequentes affectus.

Ex quo ſequitur, quod, ſi amor ille fuerit charitas, omnes ſubſequentes voluntatis motus à charitate promanantes boni ſint: ſi autem amor ille fuerit concupiſcentiæ, omnes voluntatis motus ab hoc amore promanantes ſint mali.

Proinde cum Sancti, Deo adepto, ſunt beati, fruuntur quidem Deo, ſed tamen ita fruuntur, ut & ſe, & fruitionem ſuam in Deum tamquam in finem ultimum referant; diligunt enim illum, & Deo adepto gaudent, quod quidem ipſis bonum & optimum eſt, non tamen ut ipſis ultimatè bene ſit: proinde

Digitized by Google

inde nec Deum ad ſe, ut finem *cui*, ſed econtra, ſe ad Deum, ut finem *cui* referunt: eapropter totus amoris ordo ab illis pervertitur, qui putant beatos, eo ipſo quo deſiderant amare Deum, & re ipsâ amando fruuntur, incidere in amorem concupiſcentiæ: quaſi vero Deum per hoc ad ſe, & non potius ſeſe ad Deum referant; charitas enim ſemper manet charitas, ſive deſideret, ſive ſperet ſibi dandam præſentiam ſui dilecti, ſive illâ fruatur.

Præmiũ imperfecti amoris eſt Deus perfectius amandus in cælis.

Et hæc eſt cauſa cur S. Auguſtinus tam ſollicite commendet ut Deus gratis ametur, non propter noſtrum commodum, mercedem, aut voluptatem inde emanantem; ſiquidem hic amor concupiſcentiæ eſt, & adulteratur ſinceritas Divini amoris eo ipſo, quo extra amatum oculus figitur, & ultimatè ad amantem retorquetur: cui non obeſt quod ait Pſalmiſta Pſal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*; quia uti ait S. Auguſt. Serm. 52. de tempore: „Charitas eſt præmium „Sanctorum in cælo: „ quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto Dei amore, eapropter præmium imperfecti amoris hic eliciti in terris non eſt aliud, quam perfectior amor eliciendus in cælis.

Quod autem quinque præmentionati actus excludant omnem animæ inquietudinem circa Deum, faciantque illam perfectè ſatiari, ita ut in illis quinque conſiſtat beatitudo formalis integraliter perfecta, inde colligitur, quod non ſint alii modi aſſignabiles, quibus anima vitali modo immediatè Deo uniatur; & ſinguli quidem novo modo animam Deo uniunt; nam viſio primò ſiſtit Deum menti præſentem, illumque in anima velut concluſum detinet. Secundus actus eſt motus animæ in Deum, ejuſque actiones prout illi inſunt. Tertius actus eſt motus animæ in Deum ut illum teneat, neque dimittat. Quartus actus eſt ſuavitas vitalis in bonis Divinis prout ſunt bona Dei. Quintus actus eſt quies animæ quaſi in bono jam obtento.

Quinq; actibus perfectè ſatiatur anima.

Ex his collige beatudinem formaliter integram conſiſtere in perfecta unione vitali animæ rationalis cum Deo: quæ cum non fiat niſi per actus intellectus & voluntatis, conſequenter beatitudinem integraliter ſumptam conſiſtere in actibus utriuſque potentiæ.

DUBIUM VI.

An in beatis rectè aſſignentur dotes animæ & corporis?

PRænotandum, quod vox illa dos propriè accepta, ſignificet dona illa, quæ ſolent dari ſponſæ, vel à parentibus ejus, vel à ſponſo, ad ejus intertentionem; per metaphoram vero vox hæc à Theologis transfertur ad ſignificandum

Digitized by Google

bona quædam, tum animæ, tum corporis, quæ conferuntur beatis, ſumpto fundamento ex Scrip. S. ex qua evidens eſt inter Chriſtum & animam ſanctam, intercedere ſpirituale hoc matrimonium: dicente Apoſt. *Deſponſavi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*: & toto libro Canticorum ſpirituale matrimonium explicatur: quando verò anima in cælum migrat, tunc quaſi in domum ſponſi deducitur, qui magnis donis, quaſi dotibus, tunc eam exornat; aſſignantur autem communiter à Doctoribus tres dotes animæ, nempè viſio, comprehenſio, & delectatio; quæ juxta vero-ſimiliorem ſententiam non diſtinguuntur ab operationibus in quibus beatitudo integraliter conſiſtit, ſed ſuperaddunt tantum aliquem reſpectum rationis, tam ad ſuppoſitum quod habet rationem ſponſæ, quam ad tres virtutes Theologicas, quarum imperfectiones ſupplent, & quibus in patria ſuccedunt; unde ejuſmodi dona in Angelis non habent rationem dotis, eo quod deficiat illis ratio ſponſæ: idem venit dicendum de anima Chriſti; prout quoque de ſpiritualibus donis quæ conferuntur animabus Sanctis in hac vita, eo quod hic in terris inter illas & Deum, ob fragilitatem illius conjunctionis, tantum cenſeantur iniri quædam ſponſalia; aut ſi dicamus hic intercedere quaſi ſpirituale matrimonium, dos non ſolet dari quando illud contrahitur, ſed tantum dum ſponſa deducitur ad domum ſponſi, quod fit dum anima beata è corporis ergaſtulo migrat in cælum.

Tres dotes animæ.

Non diſtinguuntur realiter ab actibus beatitudinis integralis

Ejuſmodi dona non habent rationē dotis in Angelis.

Per eandem metaphoram, quâ conſtituuntur dotes animæ, conſtituuntur & dotes corporis glorioſi, quæ ſunt hæ quatuor, Agilitas videlicet, Impaſſibilitas, Claritas & Subtilitas; quæ colliguntur ex Apoſtolo 1. ad Cor. 15. *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*: ecce impaſſibilitatem. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*: ecce claritatem. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*: ecce agilitatem. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*: ecce ſubtilitatem. Dimanant autem ejuſmodi quatuor dotes phyſicè ab anima in corpus glorioſum: tum quia talis cauſalitas magis congruit animæ dignitati, quam cauſalitas moralis; tum quia magis congruit naturali dependentiæ coporis ab anima, tamquam materiæ à ſua forma; tum quia ſimiles effectus analogici cauſantur ab anima etiam in hoc corpore mortali; ſiquidem anima corpori immerſa, tamquam ſal cauſat temporalem ejus incorruptionem, 2. cauſat agilitatem, quæ in quibuſdam animalibus, ut cervis, canibus, & equis maximè apparet. 3. Cauſat in oculis corporeis claritatem &c.

Quatuor dotes corporis glorioſi.

Dimanant phyſicè ab anima in corpus.

Petes, quid ſit claritas corporis glorioſi.

Reſp.

Reſp. eſt lucida quædam qualitas dimanans phyſicè ab anima in corpus glorioſum, reddens illud luminoſum & diaphanum ab intra; quod addo, quia hæc qualitas reddet corpus totum pellucidum adinſtar puriſſimæ phialæ cryſtallinæ limpidiſſimo liquore plenæ: unde fiet quod tota interior corporis harmonia, quæ modo latet, clariſſimè patebit.

Probatur hoc ex Scriptura Sacra comparante corpora glorioſa cum ſtellis & cum ſole: nec refert quod lucida illa qualitas in corporibus beatorum dum ſeſe hominibus manifeſtant non ſemper appareat; nam eſt in poteſtate illorum radios illius lucidæ qualitatis cohibere ne ſe foris effundant: prout & poſſunt cohibere ne nativus color ſpecies ſuas diffundat, & hoc modo ſe reddere inviſibles, dum volunt. Hinc S. Auguſtinus lib. 22. De Civ. Dei cap. ultimo ait; corpora beatorum ita fore pellucida, ut totum internum artificium, non ſecus ac aliquod horologium, poſſit interius cerni.

Eſt in poteſtate beati cohibere claritatem, & reddere ſeſe inviſibilem dum vult.

Hæc autem claritas eſt futura inæqualis in corporibus beatorum pro inæqualitate meritorum: & hoc non obſtante poteſt beatus cum corpore ſuo glorioſo occultare aliud corpus non glorioſum retro ſe poſitum.

Claritas non eſt in omnibus beatis æqualis.

Petes, quid ſit agilitas.

Quid agilitas

Reſp. eſt qualitas loco motiva dimanans phyſicè ab anima glorioſa in corpus, quâ beatus poteſt ſeſe celerrimè ad libitum transferre ad omnem ſitus differentiam adinſtar avis: hinc Iſaiæ 4. dicitur; *Aſſument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient.* Nec gravitas corporis hanc agilitatem impediet; quia anima habebit tantam virtutem, ut pondus corporis facilè vincat.

Gravitas corporis non impedit agilitatem in beatis.

Petes, quid ſit ſubtilitas.

Quid ſubtilitas.

Reſp. eſt vis penetrandi corpora, ita ut duo corpora ſimul ſint in eodem loco, orta ex eo, quod modus quidam quantitati intrinſecus, ex quo hæc repugnantia ſimul exiſtendi in eodem loco provenit, divinitus auferatur, vel ſaltem impediatur, quando unum corpus debet alterum penetrare.

Hinc collige, contra Calvinum & alios hæreticos, duo corpora poſſe per Dei potentiam eſſe in eodem loco, Scripturâ S. teſtante Deum quandoque hâc potentiâ uſum, ut quando de virgine natus; quando reſurrexit clauſo ſepulchro; quando cum corpore glorioſo penetravit cælos.

Poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco.

Petes, an unus beatus poſſit penetrare corpus alterius ipſo invito.

Reſp. negativè: eò quod quilibet beatus non ſolum habeat virtutem penetrandi corpora ſi velit, ſed etiam poteſtatem impediendi ne ſuum corpus penetretur, quando non vult.

Unus beatus non poteſt penetrare corpus alterius ipſo in-

Petes, quid ſit impaſſibilitas.

Reſp. eſt qualitas ſupernaturalis phyſicè

Vito. Quid Impaſſibilitas

phyſicè dimanans ab anima beata in corpus ſuum glorioſum excludens ab eo omnem corruptionem & afflictionem. Hic nota; corpus humanum dupliciter poſſe pati, primò ab extrinſeco per inciſionem vel contuſionem factam aliquo inſtrumento corporeo, ut gladio, malleo &c. quo modo corpus beatum eſt impaſſibile per dotem ſubtilitatis, quia omnia penetrat, ſicuti ſi gladio verberares radios ſolis non illos divideres, ſed ſine læſione penetrares.

Corpus humanum dupliciter poteſt pati, vel alteratione vel inciſione.

Secundò poteſt corpus pati per internas alterationes v.g. calorem, frigus, humorem, vel aliam quamcumque intemperiem qualitatum primarum, ex qua oriuntur omnes morbi; quo modo nequeunt pati corpora glorioſa ob hanc qualitatem impaſſibilitatis ab anima emanantem, & corpus conſervantem.

Dices; dos ſubtilitatis ſubeſt voluntati beati; ergo, ſi beatus hâc uti nolit, poterit permittere corpus ſuum aliquo inſtrumento lædi.

Reſp. beatum, ob conformitatem voluntatis ſuæ cum voluntate divina, hoc velle non poſſe.

DUBIUM. VIII.

An omnes ſenſus in corporibus beatis operabuntur.

Reſp. affirmativè: & ratio eſt quia cum Sancti in terris exiſtentes habuerint in ſenſibus ſuis multos dolores, multas afflictiones, morbos & tribulationes, æquum quoque eſt, ut in iiſdem in cælo quoque recipiant conſolationem: ſicut igitur damnati in omnibus ſuis ſenſibus torquebuntur proportionaliter ad illicitas delectationes, quas per illos perceperunt, ita & beati in omnibus ſenſibus ſuis præmiabuntur. Viſus delectabitur aſpectu corporum beatorum, maximè Chriſti & B. Virginis, prout & aliorum Sanctorum, qui in corporibus ſuis plurima pro Chriſto ſunt paſſi: auditus delectabitur ſuaviſſimâ melodiâ; & ſic de cæteris ſenſibus; cum enim Sancti conſtent corpore & animâ, opus eſt ut non ſolum animâ, ſed etiam corpore Deo ſerviant: odoratus delectabitur ſuavitate odoris, quem ſpirabunt corpora beatorum, maximè illorum, qui carnem ſuam crucifixerunt, eamque immaculatam cuſtodierunt ab omni carnis ſpurcitiâ: guſtus quoque & tactus habebunt ſuas delectationes; guſtus quidem non in perceptione cibi vel potus, ſed humoris cujuſdam ſuaviſſimi, qui linguam & palatum præoccupabit: tactus vero in cœleſtium corporum contactu: de quibus omnibus ita S. Laurent. Juſtinian. lib. de diſciplina Monaſticæ converſationis cap. 23. *Caro ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit deliciis; delectabitur oculus in amabili redemptoris aſpectu; melodica cantica civium ſupernorum non me-*

Sicuti damnati in inferno in omnibus ſenſibus ſuis torquentur, ita beati in cælis in omnibus ſenſibus ſuis lætantur.

Digitized by Google

mediocriter mulcebunt auditum; fragrans quoque ſuavitas cœleſtium odoramentorum mirâ liquefactione reſperget odoratum; indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliſluâ quâdam & jucunda ſuavitate oris ſaginabit palatum, ipſe vero tactus ſibi congruis abundabit delitijs quos experti narrant: fas enim non eſt ut in illa cœleſti gloria quidquam vacet à Dei laude; quin potius juſtum ut cuncta corporis membra ſuum proprio modo efferant conditorem, quatenus, ſicuti ab ipſo ſuum cœpere principium, ita & in illum deducant ſuæ beatitudinis finem, ut ſit Deus omnia in omnibus.

Dices: beati erunt cum Chriſto ſupra convexam ſuperficiem ipſius cœli empyrei; juxta illud Apoſt. ad Epheſ. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia:* ergo non poterunt ibi exercere operationes ſenſuum externorum v. g. videre, audire, cantare &c. eo quod non poſſint diffundi ſpecies ſenſibiles per vacuum.

Reſp. eſto naturaliter non poſſent, tamen non implicat quo minus divinâ virtute adjuti poſſent ibidem exercere operationes ſenſuum externorum. Quamquam dicendum ſit beatorum locum eſſe in ipſo cælo; non vero extra. dicente Prophetâ; Pſalmo 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos.* & Pſ. 10. *Dominus in cælo ſedes ejus.* Undè & Chriſtus Salvator noſter nos ita docuit orare: *Pater noſter qui es in cælis.* Ex quo patet præfatum locum Apoſt. ad Eph. 4. non eſſe ad rigorem litteræ explicandum, ſed prout congruit cum pluribus aliis Scripturis, quibus beati dicuntur eſſe in cælo.

DUBIUM IX.

Quid ſit Aureola, quæ attribuitur aliquibus Sanctis.

Reſp. Aureola eſt aliquod præmium accidentale, quod ſuperadditur beatitudini eſſentiali, conſiſtens in particulari gaudio propter aliquod opus heroicum in corpore mortali patratum, ab anima glorioſa in corpus dimanans mediante aliquo externo fulgore. Aureola eſt præmium.

Hæc aureola debetur triplici hominum ſpeciei, ſcilicet Martyribus, Virginibus, & Doctoribus: nam Martyr pugnando victor fuit contra mundum; Doctor ſtudendo & alios erudiendo contra diabolum; Virgo corpus crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis contra carnem. Eſt triplex pro Martyribus. 2. pro Doctoribus 3. pro Virginibus.

Petes; an aureola ſit ſignum majoris beatitudinis in cælo obtentæ.

Reſp. nequaquam: eoquod hæc animabus minus beatis poſſit obtingere, ſiquidem illæ poſſunt habere minus charitatis, ut patet in pluribus ſanctis virginibus ſanctitate inferioribus S. Mariâ Magdalenâ, cui, teſte primâ veritate, ſunt remiſſa peccata multa, quia dilexit multum; quæ indubiè multò beatior eſt multis Aureola non eſt ſignum majoris beatitudinis.

Virginibus, & Martyribus, & conſequenter adeptis aureolam Virginitatis & Martyrii, eſto illa nec aureolam Virginitatis, nec Martyrii habuerit.

Petes, quomodo dotes diſtinguantur ab aureolis.

Reſp. in eo, quod illæ correſpondeant meritis, ac conſequenter præmio eſſentiali; hæ vero ſint præmium accidentale.

DUBIUM X.

Unde oriatur impeccabilitas in beatis.

RESp. ex vi viſionis beatificæ, ex qua procedit quod voluntas ſe determinet ad amandum Deum ſuper omnia, quantum fieri poteſt, perfectiſſimè: cum amore autem perfectiſſimo actuali nequit conſiſtere ullus actus peccati nequidem venialis; nam qui Deum perfectiſſimè amat, eo ipſo cupit illi in omnibus placere, & vitare quidquid illi diſplicet. Probatur antecedens: quia viſio ita proponit voluntati ſummum bonum, ut nulla poſſit occurrere ratio mali, ſive in objecto, ſive in exercitio operis, ob quam vellet ab amore ceſſare: ſiquidem oſtendit illi eſſe illud infinito amore dignum, & in ſe continere omnis boni plenitudinem.

DUBIUM XI.

An animæ Sanctorum ſint beatæ ante communem corporum reſurrectionem.

CErtiſſimâ fide tenendum eſt animas juſtorum corporibus exutas, ſi nihil illis reſtet purgandum, ſtatim in cælum admitti, & conſequenter ſtatim recipere æternam beatitudinem, quæ conſiſtit in viſione Dei; quod definitum eſt à Benedicto 12. anno 1336. in extravaganti quæ incipit *Benedictus Deus*: in qua 1. definit; quod, ſecundum ordinationem Dei communem, animæ juſtorum omnium, quæ penitus purgatæ fuerint, poſt aſcenſionem Chriſti recipiantur in cælum, & conſortio Angelorum aggregentur. 2. quod omnes animæ tales videant divinam eſſentiam immediatè, ſe benè, clarè, & apertè illis oſtendentem, idque à tempore mortis Chriſti. 3. quod ſic videntes, divinâ eſſentiâ perfruantur. 4. quod tali viſione & fruitione illæ animæ ſint verè beatæ, & habeant vitam ęternam, & requiem.

Idem tradit Conc. Florentinum ſeſſ. ultimâ, ubi ait: *Definimus illorum animas, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum.*

3. Pro-

3. Probatur ex Luc. cap. 23. ubi Chriſtus ait Latroni; *hodie mecum eris in paradiſo.* Item ex 2. ad Cor. 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus hujus noſtræ habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.*

4 Probatur ex communi ſenſu Eccleſiæ; quæ omni tempore novi teſtamenti coluit Sanctorum Feſta, quibus illis congratulatur de gloria in cœlis accepta; quin & hoc ipſum in miſſæ orationibus quandoque exprimit, ſignanter in Feſto S. Gregorii Papæ: *Deus qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti* &c.

5. Probatur ratione: quia animæ impiorum ſtatim à morte vadunt ad infernum, juxta illud Job. 19. *Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt:* Ergo & animæ hominum juſtorum, quibus nihil reſtat expurgandum, ſtatim vadunt ad cælum.

Dices, 2. ad Tim. 4. dicitur; *Repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex:* Et 1. Petri cap. 2. *Cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Reſp. Scripturam ibidem loqui de remuneratione ſolemni & publicâ, quæ habebitur poſt diem judicii; non vero de particulari & occulta, quæ fit ſingulis in morte.

Hic paululum ſuſpira Lector; & dic cum Petro Damiani.

Ad perennis vitæ fontem mens ſitivit arida,
Clauſtra carnis preſtò frangi clauſa quærit anima
Gliſcit, ambit, eluctatur exul frui patriâ.
Dum preſſuris ac ærumnis ſe gemit obnoxiam,
Quam amiſit, cum deliquit, contemplatur gloriam,
Præſens malum auget boni perditi memoriam.
Nam quis promat ſummæ pacis quanta ſit lætitia
Ubi vivis margaritis ſurgunt ædificia,
Felix cœli quæ præſentem Regem cernit anima
Et ſub ſede ſpectat altâ orbis volvi machinam,
Solem, Lunam, & globoſa cum planetis ſidera.
Chriſte palma bellatorum hoc in municipium
Introduc me poſt ſolutum militare cingulum:
Fac conſortem donativi beatorum civium:
Præbe vires inexhauſto laboranti prælio,
Ut quietem poſt præcinctum debeas emerito,
Teque mercar potiri ſine fine præmio. Amen.

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

De Immortalitate Animæ

DUBIUM PRIMUM.

An poſſit homo conſequi beatitudinem.

Homo eſt capax cœleſtis beatitudinis.

RESP. affirmativè eſt de fide, prout patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; præſertim Matth. 19. ubi Chriſtus ait; *Sinite parvulos venire ad me; talium eſt enim regnum cælorum*: & denuo in fine ejuſdem cap. *Omnis qui reliquerit domum, fratrem, ſororem, aut matrem in nomine meo, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Quia verò hinc manifeſtè conſequitur immortalitas animæ rationalis, opportunè hoc loco de ea agemus;

Prædicatio immortalitatis animæ rationalis contra libertinos & Atheos hoc tempore unicè eſt neceſſaria.

eſt enim notitia conditionis animæ rationalis hoc exulceratiſſimo ſæculo unicè neceſſaria, quo totus Diaboli conatus in hoc ferè verſatur, ut homines adinſtar Epicuræorum, qui putant animam cum corpore exſtingui, faciat ſummum bonum in corporis voluptatibus conſtituere; ita ut hæc ſecta hominum libertinorum & politicorum latiſſimum & inter Chriſtianos, proh dolor! obtineat dominatum, quorum vivendi licentiam graphicè deſcribit Sapiens cap. 2. his verbis

Vox libertinorum & Atheorum.

Dixerunt cogitantes apud ſe non rectè: exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis; & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum, quâ exſtinctâ, cinis erit corpus noſtrum: ..... non eſt reverſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter, vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra ...... hæc cogitaverunt, & erraverunt, inquit Sapiens, *& neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum Sanctarum.*

Falſa ſecuritas libertinorum.

& quia ejuſmodi ſectæ homines vivunt ſecuri, & planè immemores futurorum, pro arbitrio in omni vitiorum genere ſeſe volutantes, & aſſumunt qualemcumque religionem, quam arbitrantur ſibi convenientiorem ad aucupandos honores, dignitates, voluptates, aliaque corporis commoda, quibus meritò applicari poteſt illud S. Brunonis Fundatoris Ordinis Cathuſianorum.

Infernus libertinis fabula.

Sic vivũt hõnes veluti mors nulla ſequatur
Et velut infernus fabula vana foret.

Eaprópter merito ſolliciti debent eſſe Confeſſarii, Paſtores, & quicumque animarum curatores, ut animæ immortalitatem ſæpius inculcent, illamque vivis & nervoſis ratio-

ſis rationibus demonſtrent, quibus tamquam fræno cohibeantur ab efſfræni vitæ licentiâ, & ſubſequentium conſideratione à peccatis abſterreantur, & ad arduum virtutis tramitem ſectandum incitentur.

DUBIUM II.

An animæ Rationalis immortalitas ſit de fide.

Immortalitas animæ eſt de fide.

RESp. affirmativè. Probatur ex Scriptura S. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et 2. ad Corinth, 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris, domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Et Sap. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent.* Ex quibus, aliiſque S. Scripturæ locis conſtat animam defacto cum corpore non interire, ſed perpetuò permanere, ſive ad æternam coronam, ſive ad æternum ſupplicium.

Probatur ex Concil. Later.

Probatur hoc ipſum ex definitione Leonis X. in Conc. Lateran. Seſſ. 6. quâ dicitur. *Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere, de natura animæ rationalis, quod mortalis ſit...... Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe.*

Probatur auctoritate SS. Patrum

Tertiò probatur hoc ipſum auctoritatibus omnium SS. Patrum, qui omnes unanimiter hanc animę immortalitatem tamquam fundamentum omnis Chriſtianæ juſtitiæ, probitatis, pietatis, & innocentiæ ſupponunt: unde, ſi hoc fundamentum foret falſum, falſa quoque foret Chriſtiana Religio, & conficta fabula eſſet tota S. Scriptura; falſa tota Chriſti doctrina, falſa omnia quæ ab Apoſtolis de ejus reſurrectione ſunt tradita: decepti eſſent tot myriades SS. Martyrum, qui pro fide Catholicâ ſanguinem ſuum tam generosè effuderunt: decepta eſſet tanta multitudo Confeſſorum & SS. Virginum, qui carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis tam animosè contriverunt, & virginitatem cum tanta carnis reluctantia immaculatam cuſtodiverunt: quæ omnia profectò monſtroſa ſunt & maximè aliena à rectâ ratione fidei lumine illuſtratâ.

DUBIUM III.

An naturali ratione probari poſſit animam rationalem eſſe immmortalem.

RESp. affirmativè: quod tam certum eſt ut contrarium ſine manifeſto errore defendi non poſſit. Quod probatur 1. ex communi conſenſu præcipuorum philoſophorum Ethnicorum contra Epicuri de grege porcos, quos referunt Cicero libro de Senectute, & Plutarchus libro de placitis Philoſophorum.

Probatur auctoritate antiquorũ philoſophorum.

Probatur 2. quia ſubſtantia alicujus

Subſtan

Digitized by Google

cujus rei cognoſcitur ex ejus operatione; operatio vero ex objecto circa quod verſatur: ſed plurima objecta circa quæ verſatur anima rationalis per intellectum vel voluntatem, illa cognoſcendo vel amando ſunt ſpiritualia; ergo ejus operationes ſunt ſpirituales; ergo eſt ſpiritualis & ipſa, adeoque incoruptibilis, utpote quæ cognoſcēdo & amando ſeſe poteſt elevare ad ea quę ſunt ſupra corpus, & nullatenus ſpectant ad carnis commoda vel incommoda: ſic enim ad intellectum ſpectat inquirere rerum omnium rationes, cauſas, effectus, proprietates, & judicare de omnibus quæ penitus abſtrahunt à materia, & materialibus qualitatibus, quinimo Deum ipſum, & angelicos ſpiritus conſiderare ſecundum proprias rationes: ita quoque ſpectat ad voluntatem non tantum velle quæ ſpectant ad corporis commoda v.g. cibum, potum &c. Sed ad bonum qualecumque, etiam ſpirituale, quod eſt elevatum ſupra corpus: eapropter delectatur maximè contemplatione veritatis, proportionibus mathematicis; & omnium virtutum ſupernaturalium, veluti Religionis, Juſtitiæ, Manſuetudinis, Patientiæ &c. officiis; quæ omnia perſpicuè demonſtrant eam corpore longè eſſe ſuperiorem, nec eſſe carni immerſam, prout ſunt animæ brutorum, quæ nihil cognoſcunt aut appetunt, niſi quod corpori gratum & commodum eſt, ut cibum, potum, venerem &c.

[Margin: ...tia rei cognoſcitur ex ejus operatione: operatio vero ex objecto]

[Margin: Pleraq; objecta circa quæ verſatur anima cognoſcēdo vel amando ſunt ſpiritualia.]

Dices; experientiâ conſtat, neceſſe eſſe intelligentem ſpeculari phantaſmata, adeoque nos nihil poſſe intelligere niſi priùs imaginem aliquam corpoream iſtius rei in nobis fingamus: ex quo colligitur animam, quæ nequit operari ſine dependentia à corpore, etiam ſine corpore non poſſe exiſtere, adeoque illo exſtincto, & illam exſtingui, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi.

Reſp. conſequens eſſe verum de illa anima, cujus operationes perſe dependent à corpore, qualis eſt anima brutorum, quæ proinde exſtincto corpore & ipſa exſtinguitur; ſecus verò de anima rationali cujus operationes per accidens tantum dependent à corpore: quod enim v. g. operatio intellectus per ſe à corpore non dependeat, indè patet, quod phantaſma potiùs obſit quam proſit intellectui in judicando: quod ulterius probatur, quia intellectus ſequendo phantaſiam ſæpè errabit, niſi illam per rectam rationem corrigat; præterea anima pia maximè delectatur rebus ſpiritualibus, quæ ſub phantaſiam non cadunt; ulteriùs contingit quandoque in extaſi quod anima abalienata à ſenſibus eò clarius aliquid intelligat quo à corporis operatione eſt liberior. Conſtat hoc ipſum manifeſtâ experientiâ quâ experimur,

[Margin: Operationes animæ rationalis per accidens tantum dependent à corpore non vero per ſe; prout dependent animæ brutorum.]

[Margin: Anima in extaſi clarius in-]

telligit quam extra.

mur, quo vires corporis quandoque magis deficiunt, eò intellectus eſſe vivaciores ad quælibet intelligenda; prout videre eſt in ſenibus, & aliis debilitato corpore exiſtentibus. Quod verò in hac vita ordinariè non intelligamus niſi ſpeculando phantaſmata, oritur ex naturali ſympathia, ſeu connexione potentiarum animæ in eodem corpore, quâ fit ut ipſa nequeat uti ſupremâ potentiâ, niſi utatur & infimâ.

Ratio cur intelligentem ordinariè oporteat ſeculari phantaſmata

Secundò probatur animæ immortalitas ex libero ejus arbitrio; quod tantum eſt ut à nullo objecto creato ſenſibili neceſſitari poſſit ſive ad ſpecificationem ſive ad exercitium actus; ex quo ſequitur quod nec ipſa ab ulla ſenſibili re vinci poſſit aut deleri, quandoquidem omni dominetur; unde contingit quod anima ea quæ ſpectant ad ſuum corpus tam parum quandoque æſtimet, ac ſi ad ſe minimè pertinerent; contrarium illius videmus in beſtiis, quarum anima, quia totaliter eſt copori immerſa, tantum fertur ad illa quæ corpori ſunt commoda, & tantùm fugit ea quæ copori ſunt incommoda: unde nec affectus ſuos aut motus habet in ſua poteſtate.

Probatur animæ immortalitas ex dominio ejus in corpus.

Probatur tertiò ſi anima hominis moreretur cum corpore, non timeretur homo mortuus pluſ quam canis aut leo mortuus: ſed experientia conſtat quod ad præſentiam hominis mortui homines timeant, & horrorem concipiant; ſignum eſt proinde quod poſt hominis mortem aliquid vivens remaneat quod timetur: & hoc ipſum eſt anima.

Probatur quartò ex hoc abſurdo; quia ſi anima cùm corpore interiret, beſtiæ eſſent hominibus feliciores, nihilque eſſet naturâ humanâ calamitoſius; conſtat enim experientiâ quantis miſer homo in hac vita ſubjiciatur miſeriis, quot curis, quot ſollicitudinibus; quot labores & ſudores debeat perferre, ut corpus ſuum & ſuorum ſuſtentetur: quot dolores, quot languores, quot angores, quot morbos, quibus pleni ſunt Medicorum libri; beſtiæ verò nullis agitantur curis, nullis premuntur ſollicitudinibus: nullos ſufferunt labores pro victu quærendo; ſed omnia neceſſaria illis abſque moleſtia ſuppeditantur, & facilius contra omnes injurias aëris conteguntur pilis & plumis, quam miſer homo, qui indiget igne, lecto: & inſuper externarum veſtium pondere prægravatur.

Probatur ab abſurdo.

Quintò; ſi anima cum corpore exſtingueretur, ſequeretur ſceleſtiſſimos homines eſſe feliciſſimos; ſanctiſſimos verò, qui contemptis carnis illecebris vacant pietati, fore infæliciſſimos; quod declarat Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. hiſce verbis: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus; miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

Sextò

Sicuti dogma immortalitatis animæ eſt fundamentum omnis pietatis, ita ejus oppoſitum eſt baſis omnis impietatis.

Sextò, dogma illud, quo anima ſtatuitur mortalis, ſubvertit fundamentum omnis probitatis & pietatis Chriſtianæ, tribuitque licentiam omnium ſcelerum & vitiorum; unde patet ejuſmodi liberrinos, hâc impiâ doctrinâ imburos, eſſe vitæ ſceleſtiſſimæ & profligatiſſimæ, *Quorum Deus venter eſt, & gloria* conſtituentes ſummum bonum in voluptatibus corporis, nullum aliud poſthac cælum ſperantes.

Immortalitas animę probatur ex conſcientia rectè vel malè factorum

Septimò; ſi anima eſſet mortalis, adeoque nihil, poſt hanc vitam non deberet metuere pœnam aut ſupplicium: fruſtraneus eſſet omnino ille vermis conſcientiæ, qui ſceleratos quoſque quandoque in tantum gravat, exagitat, accuſat atque condemnat, ut ſibi ipſis vitam eripiant: quinimo aliqui omni conatu conantur eum ſopire, dantes ſeſe quibuſvis exterioribus recreationibus, conviviis, ſympoſiis, confabulationibus, compotationibus, tantùm ut internum illum accuſatorem ad tempus compeſcant: undè ſimilibus ſceleratis hominibus nihil gravius eſt, quam ſecum manere, & ſecum colloqui: eſt ergo vermis ille conſcientiæ manifeſtum præſagium, & quaſi prænuntius impendentium ſuppliciorum, quæ ipſos manent in altera vita; eo modo quo conſcientia benè & rectè factorum maximum adfert ſolatium & ſecuritatem pro vita futura, in quantum illa eſt prænuntius bonorum, quæ veræ pietatis cultoribus rependuntur in altera vita.

Probatur immortalitas animæ ex apparitionibus defunctorum

Octavò; probatur immortalitas animæ rationalis tam ex S. Scriptura, quam authenticis hiſtoriis, quibus aſſeritur mortuos ad vitam revocatos, & animas defunctorum vivis apparuiſſe: ita enim Moyſes & Elias apparuerunt Chriſto; item tribus Apoſtolis, Petro, Joanni, & Jacobo in Monte Thabor: Matth. 17. S. Agnes, ſtipata Choro SS. Virginum, apparuit parentibus poſt mortem ad ejus ſepulchum pernoctantibus. Prout & Conſtantiæ filiæ Conſtantini Magni, ut refertur in Breviario Romano: quod idem narrat Beatam Virginem apparuiſſe Joanni Patricio Romano, prout & Liberio Summo Pontifici eâdem nocte, indicantem ſe in monte Eſquilino velle ædificatam Eccleſiam quæ hodie appellatur S. Maria Major. Omitto innumeras ejuſdem Beatiſſimæ Virginis apparitiones, quæ paſſim exſtant in hiſtoriis autenticis. S. Antonius, ut refertur in ejus vita apud S. Hieronymum, vidit animam S. Pauli intra Angelorum Choros in cœlum aſcendere. S. Benedictus vidit animam ſororis ſuæ Scholaſticæ in columbæ ſpecie in cœlum tendere. Et ſanè infinitum foret recenſere omnia, quæ de apparitionibus animarum apud ſcriptores & hiſtoricos fide dignos reperiuntur: dicere autem omnia illa eſſe confi-

cta,

cta, eſt tollere fidem omnium hiſtoriarum, & ſanctiſſimis viris imponere crimen falſi: eapropter hæc manifeſtè convincunt immortalitatem animarum, illaſque poſt mortem referre vel præmia, vel ſupplicia, prout in vita meruerunt.

Probatur ab abſurdo.

Nonò, ſi anima exſtinguatur cum corpore, ſequitur hoc abſurdum: quod omnia ſcelera & crimina manebunt inulta; quodque pietati, & bonis operibus nullum ſit relictum præmium; nam videmus in hac vita homines maximè ſceleratos & impios, maximè florere, & omni rerum temporalium v. g. opum, honorum, dignitatum, deliciarum &c. copiâ abundare, abſque eo quod unquam in hoc ſæculo puniantur; pios verò & juſtos variis calamitatibus involvi, & vitam in pluribus afflictionibus, morbis, paupertate, aliiſque corporis incommodis tranſigere, abſque eo quod in hac vita ullatenus præmientur: undè ſi poſt hanc vitam nulla fiat retributio, manifeſtum eſt ſcelerat manere impunita, & bona opera irremunerata.

Sublatâ animæ immortalitate tolitur divina providenti.

Ex quo ſequitur & aliud abſurdum, nempè, nullam eſſe divinam providentiam cui res humanæ ſint curæ; eo modo, quo in aliqua civitate in quâ viget omnium ſcelerum licentia, & boni undequâque opprimuntur impunè, rectè inferemus civitatem illam carere gubernatore: ita ſi ſcelera omnia ab impiis patrentur impunè, rectè colligemus nullam eſſe divinam providentiam. & hæc ſola conſideratio omnibus ſæculis mentes hominum ſceleratorum ad negandam divinam providentiam, ſuaſque concupiſcentias ſectandas impulit; hocque argumento athei potiſſimum innituntur, & eodem quandoque commoventur fideles, prout David de ſeipſo teſtatur, dicens, Pſal. 72. *Penè mei moti ſunt pedes, pacem peccatorum videns*: quod tamen argumentum facillimè ſolvitur, dum ſicuti conſtituitur duplex finis, unus nempe pro hac vita, tranquillitas reipublicæ: alter pro futura, nempè gloria cæleſtis: ita quoque duplex conſideranda ſit divina providentia, quarum prima diſponit media ad obtinendum finem temporalem, ſecunda ad obtinendum finem ſpiritualem; prima eſt humana & politica: hæc eſt divina & æterna. Itaque dum dicitur ſpectare ad providentiam ſcelera non permittere, impios coërcere &c. id verum eſt de providentia politica, quæ, cum ſit inſtituta ad conſervandam pacem reipublicæ, ejus munus eſt impedire, quantum eſt poſſibile, omnia crimina quibus pax reipublicæ perturbatur: quod ſi loquamur de providentia divina & æterna, falſum eſt ad ejus officium ſpectare ut non permittat impios temporaliter dominari, quia illâ malitiâ impiorum frequenter utitur ad

tur ad hic punienda peccata juſtorum, prout ex ſacris litteris copioſè patet: ſic enim Deus ſuperbiâ Aſſyriorum, Chaldæorum, ac Perſarum uſus eſt ad punienda peccata populi ſui Judaïci, ita quoque uſus eſt malitiâ fratrum Joſephi ad illum in Ægypto exaltandum: & certè infinita ſeges bonorum operum deeſſet, ſi Deus iniquos in hoc mundo planè coërceret.

Dices: Eccleſiaſtes 3. dicitur: *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, & illa moriuntur ... & nihil habet homo jumento amplius: cuncta ſubjacent vanitati; & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur.*

Reſp. Eccleſiaſtem eo loco agere de ſimilitudine corporum, quæ hominibus cum beſtiis intercedit; & ait, ſicuti moritur corpus unius, ſic moritur corpus alterius: unde illud argumentum deſumitur à ſtructura utriuſque corporis: at, quod ad animam ſpectat, inter rationalem & brutalem, maxima eſt diſtantia, ut patet ex dictis; neque enim bruta aliqua percipiunt quæ ad homines ſpectant, v. g. quod ipſorum dominus ſit pauper an dives, flander an walo, juvenis aut ſenex, neque quidquam inter illa diſtinguunt: undè neque ex illis gaudii quidquam aut mœroris accipiunt; ſed tantùm amant magiſtrum, quia cibum illis adminiſtrat; prout neque alicui alteri adblandiuntur niſi illi, quem per phantaſiam apprehendunt ſub ſpecie commodi; v. g. quod corpus illorum bene afficiat; neque ſub aliа ratione fugiunt hominem, niſi quatenus illis adverſum: animæ verò notititia, prout & affectus voluntatis, planè ſunt illimitati,

Dices, Eccleſiaſtes 3. dicitur: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Ergo, ſicuti moriente bruto exſtinguitur ejus anima, ita moriente homine ipſius anima tranſit in nihilum.

Reſp. negandò conſequentiam; neque enim Eccleſiaſtes profert verba illa in perſona ſua propria, ſed in perſona Libertinorum, Atheorum, & Epicureorum, qui animam rationalem putant cum corpore exſtingui.

Hic dennò ſubſiſte Lector.

ET recogita (cum S. Auguſtino in Meditat. cap. 27. *quomodò illam angelica dignitatis celſitudinem comprehendere poterimus, quandò nec ipſius anima noſtra naturam inveſtigare valemus? qualis eſt iſta qua carnem vivificare poteſt, ſe autem in ſanctis cogitationibus, ut volet, conſtringere non poteſt? qualis iſta eſt tam fortis, tam infirma, tam parva, tam magna, qua rimatur ſecreta Dei, & cæleſtia contemplatur? qualis eſt iſta, qua tam multa de cæteris novit, & ſe, qualiter facta ſit, prorſus ignorat? licet enim nonnulla ambigua à quibuſdam ſuper ejus origine proferantur, invenimus tamen eam eſſe quemdam intellectualem ſpiritum per creatoris potentiam factum, immortaliter juxta modum ſuum viventem, mortale corpus, quod ſuſtinet, vivificantem.*

Fac ergo gradus aſcenſionis in corde tuo, & per ipſos aſcende ad animam tuam, & per ipſam aſcende ad Deum tuum, qui eſt Benedictus in Secula. Amen.

TRACTATUS . III.

De Paſſionibus Animæ; & ejus potentiis.

HACTENUS indagavimus finem noſtrum, ultimum, & in quo ſit ſita noſtra beatitudo; nunc incipimus hic agere de iis, quibus tamquam præcipuis inſtrumentis ad beatitudinem pervenitur, vel ab eâ receditur. Pro cujus faciliori intelligentia neceſſe eſt aliqua præmittere de paſſionibus animæ, & ejus potentiis, utpote præcipuis inſtrumentis virtutum & vitiorum.

DUBIUM PRIMUM.

Quotuplicis generis potentiæ ſint in homine.

RESP. triplicis, juxta triplex *eſſe* quod eminenter in ſe continet anima rationalis, ſcilicet vegetativum, ſenſitivum, & rationale: & quidem in quantum habet *eſſe* vegetativum, tres ei ſubſunt potentiæ ſcilicet nutritiva, accreſſiva, & generativa; quarum operationes, quia imperio voluntatis non ſubſunt, hic non tractabimus.

Anima rationalis quatenus habet *eſſe* ſenſitivum habet ſibi correſpondentes duas potentias, ſcilicet apprehenſivam, & appetitivam, apprehenſiva eſt illa vis animæ, quâ percipit & cognoſcit omnes res ſenſibiles, & cognoſcendo quodammodo intra ſe recipit. Subdividitur autem in ſenſum internum & externum.

Senſus externi ſunt quinque; nempe viſus, auditus, guſtus, odoratus, tactus: interni verò tres; imaginativa, judicativa, & memorativa.

Quinque ſenſus externi; tres interni.

Potentia appetitiva eſt illa vis animæ, quâ proſequitur bonum ſenſibile, vel fugit malum ſenſibile: & ſolet vocari communi nomine appetitus ſenſitivus, item ſenſualitas & concupiſcentia, ſoletque ferè capi in malam partem; non quaſi ipſa naturalis potentia ſit mala, vel ejus operatio; ſed ideò, quod in ſtatu naturæ lapſæ frequenter contingat hujus potentiæ actus erumpere ante voluntatis dictamen; vel etiam contra illud, quod eſt ſummè vitioſum in homine; quia juxta rectum

Quid potentia appetiva ſenſitiva, quæ alio nomine vocatur concupiſcentia, quare ordinariè accipiatur

Digitized by Google

in malam partem. operandi modum, debet illa, utpote inferior, à ſuperiore dirigi.

Effectus ſeu operationes appetitus ſenſitivi ſolent uſitato nomine vocari paſſiones, quæ,quia à Sancto Gregorio Niſſeno vocantur præcipua virtutum & vitiorum instrumenta, (quippè quibus homo poteſt uti & abuti) de iis,antequam ulterius progrediamur, accuratius agemus: & meritò; ſunt enim hæ paſſiones, niſi fræno rectæ rationis intra metas cohibeantur, veluti venti, quibus anima noſtra, adinſtar procelloſi maris continuò agitatur; ſunt craſſæ & obſcuræ nubes, quibus mens & ratio obnubilantur; ſunt clavi, quibus anima rebus creatis affigitur; quibus proinde mortificandis, & ad dictamen rectæ rationis revocandis omnis anima verè Chriſtiana, quæ ad perfectionem aſpirat, quinimo quæ communiter tantum Chriſtianè vult vivere,continuò debet inſudare: ſi enim qui vivere vult ut Chriſtianum decet, debeat vivere ſecundum normam divinorum præceptorum, ac etiam eccleſiaſticorum; & lex divina naturalis non tantum prohibeat actus externos, ut furti, adulterii &c. ſed inſuper internos, ut affectus & cupiditates omnes illicitas: ſequitur neceſſariò ejuſmodi homini Chriſtiano tam animi paſſionum, quam ſenſum externorum aſſiduâ mortificatione opus eſſe ad hoc ut ſeſe intra limites horum præceptorum contineat, quandoquidem ob naturæ fragilitatem, & continuum peccati fomitem, certum ſit eum ſine hujuſmodi mortificatione, à deſideriis & operibus prohibitis abſtinere non poſſe, ac conſequenter ſine hac nec Chriſtianè poſſe vivere. Et hoc eſt quod Salvator noſter inſinuavit, dum ait Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Paſſiones ſunt inſtrumēta virtutum & vitiorum.

Harum mortificatio unicè neceſſaria.

Quinimo ad ducendam vitam merè politicam opus eſt ſuarum paſſionum mortificatione; neque enim vita politica vocatur illa, quæ omnibus cupiditatibus laxat habenas: ſed potius illa, quæ omnes externas actiones noſtras intra limites rectæ rationis componit, & ad leges civiles, conſuetudines patriæ, & ſapientum placita conformat: quod profectò quam ſine mortificationis præſidio nequeat fieri, vel inde patet, quod plurima ejuſmodi homini ſint ſubeunda, quæ ſenſibus repugnant; item à multis ei ſit abſtinendum, quæ ſenſibus grata & jucunda ſunt, prout experientiâ patet in plurimis aulicis principum: atque hæc mortificatio politica appellari poteſt, quæ, niſi Chriſtiana adſit, nihil proderit ad ſalutem.

Et quia juxta commune philoſophorum effatum, quilibet obligatur vivere ſecundum ſuum ſtatum, & ſtatus Sacerdotalis in Eccleſia

Præcipuè tamen ſacerdoti.

Digitized by Google

cleſia ſit maximè ſublimis: ſequitur quemlibet in hoc ſtatu conſtitutum, eſſe obligatum ad perfectè vivendum; quod fieri non poteſt ſine adminiculo continuæ mortificationis tam internæ quam externæ: unde ſicuti ſpeculum ut perfectè repræſentet intuentis maculas quas debet tollere, debet habere conditiones, ſcilicet ut ipſummet nullâ maculâ ſit conſperſum, & ſit inſuper clarum, & pellucidum; ita ſacerdos qui ſpeculi inſtar in Eccleſia Dei conſtitutus eſt, prius omni macula & culpâ debet carere, dein clarus & lucidus eſſe; juxta illud Chriſti Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*: eapropter quemadmodum lucernas quas Dominus in templo Moyſaïco jugiter ardere volebat præcepit emunctoriis frequenter emungi, ita Deus ſacerdotes ſuos, veluti totidem lucernas in Eccleſia ſua conſtituens, quid aliud voluit, niſi ut ipſi emunctorio mortificationis frequentius uterentur, ad omnes exceſſus concupiſcentiarum & ſenſuum tam externorum quam internorum emungendos, ne offuſcetur claritas quam in omnibus ſuis actionibus debent præferre? proinde expedientiſſimum erit, quinimo neceſſarium ejuſmodi paſſionum naturam, numerum, cauſam, & effectus paucis perſtringere atque cognoſcere.

DUBIUM II.

Quid Paſſio Animæ; & quæ ejus natura.

Reſp. affectus, ſeu Paſſio non eſt aliud, quam effectus ſeu motus potentiæ appetitivæ, quo proſequitur bonum, vel fugit malum: vocatur paſſio, non quaſi ſit formaliter talis, ſed cauſaliter; quia ejuſmodi affectum per naturalem ſympathiam ſolet ſequi aliqua corporis commotio; ſiquidem amore cor dilatatur: triſtitiâ conſtringitur: irâ incaleſcit: metu totum corpus frigeſcit: invidiâ palleſcit: verecundiâ facies rubeſcit, & ita de cæteris.

Paſſio eſt formaliter actio, concomitanter paſſio.

Generantur verò hujuſmodi paſſiones hoc modo. 1. Res aliqua ſenſibilis ſenſui exteriori objicitur, quæ mediante ſpecie ſenſibili illam mittit ad imaginativam; quæ ſtatim ſuo modo rem illam cognoſcit ut veram vel falſam, bonam vel malam; nec ſic tamen adhuc excitat appetitum ſenſitivum; ſed tunc tantum, quando illam percipit ut bonam vel malam ſuppoſito ſuo: tunc enim appetitus ſenſitivus excitatus ab imaginativa, rem objectam vel appetit, vel renuit; qui motus appetitus cum ſit corporalis, utpote in corde reſidens, non fit ſine corporis immutatione; nam ſtatim ſubſequitur commotio ſpirituum vitalium, qui ex corde per arterias in to-

Modus quo generantur paſſiones.

qui ex corde per arterias in totum corpus diffunditur ; ſubſequitur quoque commotio ſanguinis, qui è jecore, tamquam è mari, ad venas, tamquam fluvios, per omnes corporis partes dimaneat ; quibus duobis modis ſtatim totum corpus movetur motu ipſi paſſioni accommodato.

DUBIUM III.

Quot ſint numero Paſſiones animæ.

FUit olim communis ſententia Stoicorum , Academicorum & Peripatheticorum , quam habet S. Auguſt. lib. 14. de civ. Dei: cap. 18. quatuor tantum dari animæ affectus , ſeu paſſiones ; nempè deſiderium , gaudium , triſtitiam , & metum: quorum affectuum numerum ipſi colligebant ex rebus objectis : nam ea quæ ſunt objecta appetitus, ſunt bona vel mala : ex objectis bonis, duos dicebant naſci affectus, prout & ſimiliter duos ex malis : quod colligebant hoc modo ; vel bona , & mala ſunt præſentia , vel futura : bonum præſens cauſat gaudium , abſens deſiderium: ſimiliter malum præſens cauſat triſtitiam ; abſens & impendens cauſat metum.

Undecim ſunt animæ paſſiones.

Communior tamen & magis hodie recepta ſententia ponit undecim affectus, ſeu paſſiones animæ ; quæ licet reipsâ non differat à prima, nam undecim illi affectus continentur in quatuor antedictis tamquam principalibus , tamen majoris claritatis cauſa hanc ſequemur.

Petes, quænam ſit ratio hujus numeri undecimi.

Ratio numeri undecimi.

Reſp. quia appetitus in bono ſibi propoſito vel ſimpliciter complacet , & eſt amor ; vel appetit bonum abſens. & eſt deſiderium ; vel in bono præſenti quieſcit , & eſt delectatio ſeu gaudium. Malum vero uel ipſi diſplicet , & eſt odium ; vel illud renuit ſibi adhærere , & eſt fuga vel deteſtatio ; vel ſi illud præſens eſt , ſuſtinet invitus, & eſt triſtitia.

Porrò ſi res objecta bona quidem ſit , ſed acquiſitu difficilis, cum fiducia tamen obtinendi, erigitur ſpes ; ſecundò , ſi appetitus per debita media ſeſe erigat ad illud obtinendum , oritur audacia : tertiò, ſi verò bonum quod proponitur apparet obtentu impoſſibile , oritur deſperatio: quartò , ſi objectum propoſitum apprehendatur ut malum futurum imminens, oritur timor: quintò, ſi autem objectum apprehendatur ut malum præſens, quod à nobis conamur repellere , oritur ira.

Sex ſubjectantur in appetitu concupiſcibili; & quinq;

Petes , an hi undecim affectus, ſeu animæ paſſiones ſubjectentur in eadem potentia appetitiva.

Reſp. negativè : quia ſex priores ſubjectantur in appetitu concupiſcibili ; nempe amor , deſiderium, gaudium , item odium,

fu-

in iraſcibili. fuga ſeu deteſtatio, & triſtitia: quinque verò poſteriores ſubjectantur in appetitu iraſcibili; nempè ſpes, deſperatio, audacia, ira, & metus.

Petes, in quo diſtinguatur appetitus concupiſcibilis ab iraſcibili.

Reſp. in eo quod prior verſetur circa bonum ſimpliciter tale; poſterior verò circa bonum arduum, nempè quod eſt conjunctum cum quadam difficultate ad illud obtinendum

Petes, an potentia concupiſcibilis & iraſcibilis ſint inter ſe realiter diſtinctæ.

Reſp. negativè; eò quod non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed diſtinguuntur ſola ratione rationata; hoc tamen notandum quod utantur diverſis corporis membris in functionibus ſuis obeundis: nam ira oritur in felle; lætitia in ſplene, metus in corde & ſic de cæteris.

DUBIUM IV.
An in ſola potentia appetitiva ſenſitive ſint Animæ Paſſiones.

RESP. cum in homine ſint duæ potentiæ appetitivæ; nempè una rationalis, quæ eſt voluntas, habens pro duce intellectum; alia ſenſitiva, habens pro duce imaginativam, ſequitur in eo duplices quoque oriri affectus, ſeu paſſiones, in quibus omne ejus bonum vel malum continetur; & conſequenter è quibus æterna ejus ſalus vel damnatio dependet. E numero affectuum, ſeu paſſionum appetitus ſenſitivi, facile erit cognoſcere affectus voluntatis; qui totidem ſunt quot in appetitu ſenſitivo, teſte S. Thoma quippè qui eoſdem ponit in anima ſeparata, transferendo nomina paſſionum ad affectus animæ ſpirituales. *Numerus undecim paſſionum etiam reperitur in appetitu rationali; ſeu in voluntate.*

Petes, quinam affectus, ſeu paſſiones ſint nobis notiores.

Reſp. appetitus ſenſitivi, quippè quos millies in die in nobis ipſis experimur, licet renitente voluntate.

Petes, an duplicis hujus generis affectus diſtinguantur objectis.

Reſp. affirm. quia appetitus ſenſitivus pro objecto ſuo habet bonum ſenſibile; rationalis verò bonum per rationem apprehenſum tamquam naturæ rationali conveniens.

Quid paſſio voluntatis. Petes; quid ſit paſſio, ſeu affectus voluntatis.

Reſp. eſt motus quo voluntas tendit in bonum ſibi propoſitum, vel fugit malum; qui cum ſit ſpiritualis & immanens, utpote receptus in principium undè profluit, ſine ulla corporis immutatione poteſt perfici, ut patet in anima ſeparata: quod tamen ordinariè non contingit in anima corpori conjuncta, ob ſympathiam, ſeu conjunctionem duarum potentiarum *affectus voluntatis nō elicitur ſine mutatione corporis.*

in

Digitized by Google

ſine mutatione corporis.

in eadem anima, ut poſt dicemus.

Petes; quomodò colligere poterimus hos undecim affectus appetitus rationalis in ordine ad Deum?

Reſp. hoc modo; quia dum anima Deum contemplatur, illum 1. amat. 2. deſiderat. 3. in illo delectatur & gaudet. 4. odit malum quod bono tam amabili contrariatur, nempè peccatum. 5. peccatum deteſtatur & fugit, ſi ſubſit illius periculum. 6. ſi anima illo ſit coinquinata, acerbiſſimè dolet de Deo offenſo. Ecce ſex actus potentiæ rationalis concupiſcibilis.

Dum verò anima conſiderat Dei liberalitatem promittentis vitam æternam, erigit ſeſe in ſpem. 2. dum ſe applicat ad illam per media aſſequendam, audet; & ecce audacia. 3. dum diffidit aſſequi viribus propriis, deſperat; ecce deſperatio. 4. dum recogitat tremendum Dei tribunal, timet; ecce metum. 5. dum ad peccati illecebram allicitur, contra inſurgit & iraſcitur; ecce ira. Et hi quinque affectus ſunt potentiæ iraſcibilis.

Omnes animi affectus ad undecim has paſſiones reducuntur.

Porrò notandum quod in undecim hiſce affectibus tota noſtra interna reſpublica abſolvatur: neque enim plures inveniet affectus, quiſquis actuum humanorum exactam habet notitiam.

Dices: dantur actus voluntatis qui ſunt electio, intentio, fruitio, & conſenſus.

Reſp. illos à parte rei non eſſe aliud quam amores; quia intentio eſt amor finis; electio eſt amor mediorum; fruitio eſt gaudium in bono poſſeſſo; conſenſus verò quid eſt aliud, quam approbatio, & conſequenter amor objecti ab intellectu propoſiti?

Dices: ſuperbia, avaritia, pertinacia, item invidia, zelotypia, æmulatio &c. ſunt affectus voluntatis; & tamen ad nullum iſtroum undecim affectuum pertinent.

Reſp. negando antecedens: quippè omnes pertinent ad primùm affectum, qui eſt amor; nam ſuperbia quid eſt aliud, quam amor propriæ excellentiæ? avaritia quid aliud, quam amor pecuniæ? pertinacia quid aliud, quam amor vincendi, & retinendi ultimum verbum de re ſuper qua eſt quæſtio? ſimiliter invidia quid eſt aliud, quam triſtitia ſuper proſperitate alteriùs? zelotypia quid aliud, quam triſtitia orta ex eo quod quis fruatur bono, quod ille ſolum & totum concupiſcit? æmulatio quid eſt aliud, quam triſtitia ſuper virtute quam videmus alium habere, nos verò carere?

Præterea pigritia quid eſt aliud, quam metus ſubeundi laboris? verecundia quid aliud, quam metus admittendi aliquod turpe, undè orirerur infamia? Pudor quid aliud, quam metus, quo quis poſt turpe factum timet ſecuturam infamiam? & ita denique omnes actus virtutum & vitiorum quid ſunt aliud,

aliud, quam volitiones, & nolitiones?

DUBIUM V.

Quomodò hi undecim affectus definiuntur.

Definitiones paſſionum.

RESp. hoc vel ſimili modo.

Amor, eſt actus appetitus, quo quis ſibi, vel alteri vult bonum, abſtrahendo an ſit præſens an abſens.

Deſiderium, eſt actus appetitus tendens in bonum abſens; quod quandoque eſt efficax, nempè quando habet adjunctam reſolutionem adhibendi media ad illud conſequendum; quandoque verò inefficax, quod conſiſtit in nudo & ſimplici affectu voluntatis in bonum abſens.

Delectatio, eſt actus appetitus ſibi complacentis in bono amato & poſſeſſo.

Odium, eſt actus appetitus averſantis malum, abſtrahendo à præſenti & abſenti.

Deteſtatio, ſeu fuga eſt actus appetitus abominantis malum abſens.

Triſtitia, eſt actus appetitus deteſtantis malum præſens quod invitus ſuſtinet.

Spes, eſt actus appetitus, quo efficaciter afficitur bono arduo, ſeu obtentu difficili cum fiducia illud per media obtinendi.

Deſperatio, eſt actus appetitus refugientis bonum arduum, tamquam obtentu impoſſibile.

Ira, eſt actus appetitus, quo nititur à ſe depellere malum præſens.

Audacia, eſt actus appetitus applicantis media ad magnum aliquod bonum obtinendum, vel magnum aliquod malum evadendum.

Metus, eſt actus appetitus, quo fugit malum abſens ſibi probabiliter imminens.

DUBIUM VI.

Quodnam ſit diſcrimen inter affectus voluntatis, & appetitus ſenſitivi.

RESp. eſſe multiplex: nam affectus voluntatis ſequitur cognitionem intellectus; paſſio verò ſeu affectus appetitus ſenſitivi ſequitur imaginationem; & quia dum intellectus aliquid in hac vita intelligit, ordinarie ſuam cognitionem ab imaginatione haurit, hinc eſt quod per hujuſmodi notitiam non ſolùm affectus aliquis ſpiritualis, ſed & ſenſualis, ſeu paſſio, excitetur ab objecto per ſenſum apprehenſo.

Secundum diſcrimen eſt, quod affectus appetitus ſenſitivi tendant in objectum ſuum ut commodum vel incommodum naturæ, qui tamen, propter conjunctionem quam habet appetitus ſenſitivus cum anima rationali, quandoque per imperium voluntatis, cui ille politicè ſubeſt, altius attolluntur; & eatenus appetitus ſenſitivus, tam iraſcibilis, quam concupiſci-

bilis, dicitur capax virtutum & vitiorum.

Tertium diſcrimen eſt; quod affectus voluntatis facilius excitentur, utpote pendentes à libero arbitrio; & idcirco dum volumus, amamus, deſideramus &c; affectus autem appetitus ſenſitivi, prout & ipſe, ad nutum voluntatis minimè obediunt, cui non deſpoticè ſubſunt: hinc contingit quod quandoque velimus peccata deflere, & maneamus ſaxis duriores; velimus in aliqua ſolemnitate lætari, & maneamus toti melancholici: quod inde contingit, quod res quæ ſenſibus objicitur non apprehendatur ut cauſa lætitiæ; & corpus pro eo tempore indiſpoſitum in ordine ad excitandum talem affectum ſenſualem immutare non poſſimus: hinc contingit quoque aliquos in oratione ſolvi in lacrymas, non quia devotiores, ſed quia complexione teneriores, corpore ad lacrymas diſpoſito; alii autem ſatis efficaciter Deum diligunt, qui tamen nec lacrymas nec ſuſpiria habent, non quia indevotiores, ſed quia corpore minus ſunt diſpoſiti ad ſimiles ſenſuales affectus excitandos.

Nota, has omnes paſſiones, ſeu affectus eſſe ex ſe, & objecto ſuo indifferentes ad bonum & ad malum: ſic enim amor Dei bonus eſt; amor carnis malus; iraſci peccato bonum; iraſci perſonæ malum eſt: & ita de cæteris.

Qualiter inter ſe conferantur affectus appetitus ſenſitivi, & rationalis.

Petes, quotupliciter affectus appetitus rationalis & ſenſitivi inter ſe poſſint conferri.

Reſp. tripliciter: 1. ſi ambo in unum & idem objectum conſentiant, ut ſi appetitus ſenſitivus feratur in objectum illicitum, & voluntas, adinſtar bovis ducti ad victimam, conſentiat, & ſequatur. 2. ſi appetitus ſenſitivus tendat in objectum illicitum, appetitus verò rationalis negativè ſe habeat; ut v. g. ſi ille tendat in fornicationem ſibi objectam, voluntas verò, rebus ſeriis intenta, motus illos in appetitu exortos non reprimat; vel etſi voluntas feratur in objectum aliquod pium, appetitus autem ſenſitivus minus diſpoſitus, vel per imaginativam minus excitatus, in illud amore non tendat; hincque oritur ſtatus ariditatis etiam in animabus piis. 3. appetitus ſenſitivus aliquod objectum deſiderabit, rationalis verò omnimodè contradicet, & conſtanter repugnabit: quo tertio modo exſurgit bellum illud pluſquam civile inter carnem & ſpiritum, de quo S. Paulus ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.* Et rurſum eodem capite: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

DUBIUM

DUBIUM VII.

Quænam ſint cauſæ affectuum, ſeu paſſionum animæ.

Cauſæ paſſionum. RESp. eſſe diverſas, & ſignanter quatuor. 1. Deum, qui omnibus bonis affectibus, ſeu paſſionibus dat initium, progreſſum, & finem. 2. Angelum, per quem anima poteſt excitari ad multa pia & ſancta deſideria. 3. Diabolum per quem anima poteſt timore, amore, & aliis paſſionibus concuti, variis modis movendo, & immittendo ſpecies tam imaginativæ, quam aliis ſenſibus externis, per quas appetitus ad perverſos & impudicos affectus concitetur. 4. cauſa poteſt eſſe conſtitutio naturalis corporis; hinc qui habent ſanguinem ſubtilem & nimis calidum, naturâ ſuâ proni ſunt ad iram; qui autem habent ſanguinem ſubtilem & frigidum, inclinantur ad timorem, melancholiam, & puſillanimitatem &c. quomodocumque tandem quis ex cauſis prædictis inclinetur ad affectum aliquem peccaminoſum, non illi imputabitur illicitus motus, niſi voluntariè directè, vel indirectè conſentiat in illum.

DUBIUM VIII.

An omnis affectus in appetitu excitatus non poſſit dici amor.

RESp. ſic loqui S. Auguſtinum; qui lib. 14 de civ. Dei, cap. 7. definit omnes animæ affectus per amorem; quamquam ejuſmodi definitiones potiùs ſint cauſales, quam formales; non enim affectus qui verſantur circa mala, poſſunt formaliter dici amor: & ita S. Aug. loco ſupra citato, Cupiditas, inquit, „ eſt amor „inhians bono, quod non habemus: „lætitia eſt amor fruens bono quod „ habemus: metus eſt amor fugiens „ malum venturum; triſtitia eſt a- „ mor nolens malum, quod habe- „ mus. Omnis paſſio cauſaliter eſt amor.

Ex quo patet, quod omnium humanorum affectuum & paſſionum prima origo & radix, ſeu fons ſit amor, à quo omnes alii velut rivuli, dimanant; ſiquidem is per omnes alios affectus ſemetipſum prodit: prout enim res amata variatur & mutatur quoad ſuas circumſtantias, totidem quoque modis amor immutatur, varios aſſumendo vultus & figuras: hinc re abſente deſiderat; præſente gaudet; periclitante metuit; adverſarium rei amatæ odit. Quare ſicuti fonte corrupto & infecto, neceſſe eſt omnes rivulos inde promanantes corrumpi & infici; ita amore omnium paſſio-

num fonte infecto & vitioſo, neceſſe eſt omnes alios affectus, qui ab eo, tanquam rivuli, dimanant, infici & vitiari.

De duabus hiſce radicibus, nempè de amore Dei, & amore carnis agens S. Auguſtin. Sermon. 44. de tempore, ſic loquitur; „ Iſtæ „duæ radices in duobus hortis à „duobis plantantur agricolis; unam „ in cordibus bonorum plantat „ Chriſtus, aliam in cordibus malo„rum plantat diabolus.

DUBIUM. IX.

Quiſnam affectus ſit omnium primus.

Amor omniũ paſſionum prima.

RESp. amor; quia ſicuti bonum naturaliter eſt prius malo, ita paſſio, cujus objectum eſt bonum, eſt prior paſſione, cujus objectum eſt malum: præterea, ut ante dictum eſt, amor non tantùm eſt cauſa omnium aliorum affectuum, ſed etiam omnium eorum quæ agens rationale agit, quippè qui, quidquid deliberatè agit, agit propter finem, adeoque ex amore finis, quem amat ac deſiderat.

Petes: quidnam ſit cauſa amoris.

Reſp. bonum cognitum, ſive illud ſit utile, ſive jucundum, ſive honeſtum.

Dices: amor eſt cæcus; ergo non requiritur notitia ipſius boni.

Amor quomodo cæcus.

Reſp. illum taliter appellari, non quaſi non oriatur ex aliqua cognitione, tamquam conditione ſine quâ non, ſed quia amor intellectum excæcat, faciens objectum pulchrius & multo melius apparerere, quam à parte rei ſit.

Petes; an ſimilitudo non ſit cauſa amoris.

Reſp. Affirmat. juxta illud Eccli. 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi*; ex eo enim quod uterque ſimilium in ſe habeat eandem ſpecie formam contingit quod affectus unius tendat in alterum, ſicut in unum ſibi; eoquod illi, qui ſunt ſic ſimiles, ſint quodam modo unum in eâ forma, quam uterque habet. Similitudo eſt cauſa amoris.

Dices: *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*: ut habetur Prov. 13. & tamen ſunt ſibi ſimiles.

Reſp. quamvis ſimilitudo per ſe ſit cauſa amoris, tamen per accidens fieri poteſt, quod ex ſimilitudine naſcatur odium; in quantum nimirum, unus ſimilium impedit commodum alterius.

Dices: homo vitioſus quandoq; diligit hominem virtuoſum; ergo &c.

Reſp. quod ſimilitudo inter duos poſſit haberi dupliciter; vel quod ambo habent eandem ſpecie formam actu, vel quod unus illam habeat actu, & alter potentiâ; quo ſecundo modo vitioſus diligit virtuoſum: taceo quod in homine vitioſo poſſit eſſe naturale ſemen illius virtutis, quam habet homo virtuoſus.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM X.

Quinam ſint effectus amoris.

Quatuor amoris effectus.

CUm amor, teſte S. Dionyſio cap. 4. de Divinis nominibus, ſit vis unitiva; ejus primùs effectus eſt unio inter amantem & amatum.

Petes, quotuplex poſſit eſſe talis unio.

Reſp. duplex; nimirum affectiva, qua amans afficitur amato, tamquam ſibi ipſi, volendo ei bonum ſicuti ſibi: altera realis, non quâ amatum ſubſtantialiter uniatur amanti, fiantque duo eſſentialiter unum; ſed quâ amatum præſentialiter adſit amanti, continuò excitans & movens amantem ad quærendam & retinendam præſentiam amati, ut ſibi invicem colloquantur & converſentur.

Secundus amoris effectus eſt mutua inhæſio; juxta illud Joann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: quæ inhæſio fit per apprehenſionem, quâ amans rem amatam quaſi continuò ſibi facit præſentem, juxta commune dictum *Amans anima plus eſt ubi amat, quam ubi animat*; quatenus nimirum continuò de re amata cogitat, atque per aſſiduam diſquiſitionem eorum, quæ ſpectant ad amatum, ingreditur quaſi ipſius interiora, reputans bona & mala amati tamquam ſua.

Tertiùs amoris effectus eſt extaſis, quæ non eſt aliud, quam adeò vehemens amoris affectus, ut amantem alienet à ſenſibus; ſeu eſt elevatio mentis in rem amatam cum abſtractione à ſenſibus.

Cum enim anima ſit limitatæ virtutis & efficaciæ, quantò efficacius uni functioni incumbit, tantò minus intendit aliis; juxta illud; *Virtus diffuſa in plura minor eſt ad ſingula*: Ex quo patet quod poſſit anima, Deo illam movente & illuminante, tanto conatu divinis rebus ſcrutandis & amandis incumbere, ut nec præſentia videat nec verba eam alloquentium audiat, nec ignem corpori admotum ſentiat.

Quartus amoris effectus eſt, languor; juxta illud Cant. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*: hîc autem non eſt aliud, quam triſtitia de abſentia rei amatæ.

DUBIUM XI.

Quomodo dividatur amor benevolentiæ erga Deum.

REſp. in afficientem, & efficientem. Amor afficiens eſt inefficax dilectionis affectus, ſine conatu operum: efficiens verò, eſt inflammatus amoris affectus, ſuperaddens efficaciam operum. Amoris afficientis vox eſt Pſalm. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat*

Perfectio animæ Chriſtianæ conſiſtit in amore efficiente.

anima mea ad te, Deus: efficientis verò vox eſt hæc; *juravi, & ſtatui, cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*. Pſ. 118.

Petes; an perfectio animæ Chriſtianæ non conſiſtat in amore.

Perfectio animæ Chriſtianæ conſiſtit in amore efficiente.

Reſp. Affirm. non tamen afficiente, ſed efficiente: neque enim ex eo aliquis perfectus eſt, quia tenerius & dulcius Deum diligit, aut quia in oratione majorem ſuavitatem vel conſolationem percipit; ſed quia majori fidelitate & conatu Dei mandata cuſtodit, paſſiones cohibet & angelicam puritatem in carne mortali ſectatur: hinc Salvator noſter perfectionis ſubſtantiam, non in affectibus, ſed effectibus collocavit; dum dixit Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Quæ doctrina eſt veriſſima; ſiquidem affectus illi dulces & ſuaves poſſunt reperiri in anima peccatrice, dum ſpeciali aliqua actuali gratiâ præventa, in ejuſmodi amoris flammulas erumpit: quod ſi verò anima in ſtatu gratiæ conſtituta hujuſmodi affectus eliciat, non propterea erit perfecta, ſed quia fortiter omnes tentationes vincit, ſtrenuè adverſus paſſiones dimicat, & à minimis, quæ dilecto ſuo diſplicere novit, ſe cohibet: neque enim verbis, ſed factis verus amor comprobatur; dicente Apoſtolo Joanne: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Fatendum nihilominus eſt ejuſmodi dulces amoris affectus, per aſpirationes jugiter frequentatos, validum eſſe perfectionis aſſequendæ inſtrumentum.

Petes, an in ejuſmodi amoris actibus non ſint diverſi gradus.

Quinque gradus amoris divini.

Reſp. Affirmativè; neque enim anima amans uno & eodem ſemper utitur tono, ſed modo altiori, modo ſubmiſſiori.

Et quidem primus amoris gradus eſt, amor dulcis, quo ei Deus, & omnia divina in tantùm dulceſcunt, ut illorum comparatione omnia mundi oblectamenta animosè contemnat, & præ amoris divini dulcedine nullam in mundanis delectationibus deſerendis amaritudinem inveniat.

Secundùs amoris gradus eſt, amor fortis, quo anima ſe ſentit idoneam, ut omni malo etiam minimo, quod amato diſplicet, reſiſtat, & omne bonum quantumvis difficile & arduum, quod dilecto ſuo novit placere, generosè aggrediatur.

Tertiùs amoris gradus eſt, amor liber, ſic dictus, quia non alligatur hominum mundanorum & tepidorum temerariis judiciis, prout nec ulli loco, tempori, aut perſonæ, ut Deo ſuo fideliter ſerviat, quippè qui in mediis campis, in plateis, & in ipſo foro Deum ſibi ſervat præſentem, non ſecus ac in templo, dum charitas Dei aut proximi eum talia loca adire compellunt: & hic amor eſt, qui vincit diabolum,

Digitized by Google

diabolum, non tam pugnando, quam contemnendo.

Quartus gradus eſt, amor inſatiabilis, nempè, qui nullis bonis operibus, nullis mortificationibus, nullis laboribus in proximum impenſis ſatiatur: hic eſt qui nec ſenium, nec virium imbecillitatem attendit; ſed uſque ad extremum Spiritum in vinea Domini laborare non ceſſat: cujus hæc perpetua vox eſt; *Amplius Domine; amplius.*

Quintus gradus eſt, amor liquefaciens, ſive defectum patiens, ſiquidem animæ amantes ita ſubinde in Deum efferveſcunt, ut ſibi ipſis totæ liqueſcere, & à ſuo *eſſe* creato deficere videantur; & ita trahuntur in abyſſum divinitatis, ut in illum veluti demergi videantur: fit verò dicta liquefactio, ſeu defectio, per conſumptionem ſpirituum vitalium ex intenſiſſimo amore erga rem dilectam; unde ſequitur omnium virium defectus: quinimò poterit amor eſſe tam vehemens, ut ex nimia dilatatione cordis, omni ſpiritu vitali diffluente, protinus ſequatur mors: quod mirum videri non debet, cum & amor carnalis vires exhauriat, extenuet, & tabeſcere faciat illum, qui vehementer amat.

DUBIUM XII.

Quomodo potentiæ ſenſitivæ, & rationales ſe invicem moveant in eadem anima.

DIviſimus ſupra potentiam appetitivam in concupiſcibilem, & iraſcibilem: illam diximus eſſe, quæ verſatur circa bonum vel malum in genere; hanc verò, quæ verſatur circa bonum vel malum ut arduum ſeu difficile: quia vero hæc potentia appetitiva ſenſitiva radicaliter eſt in eadem anima cum potentia rationali ſeu voluntate, hinc fit quod utraque moveat alteram, modo tamen diverſo; etenim ſenſitiva movet voluntatem ex parte objecti, quatenus nimirum per affectum appetitus ſenſitivi in objectum, efficitur ut illud ab intellectu judicetur conveniens; ab intellectu, inquam, hominis, hâc vel illâ paſſione commoti, quod tale extra paſſionem non judicaretur; & ita voluntati tamquam expetendum, vel non expetendum proponitur; juxta illud, *Quilibet judicat prout eſt affectus*: quatenus nimirum efficit, ut res in quam appetitus ſenſitivus propendet, judicetur ab intellectu conveniens vel diſconveniens ſuppoſito hâc vel illâ paſſione alterato. *Appetitus ſenſitivus movet voluntatem ex parte objecti.*

Quod autem appetitus ſenſitivus moveat voluntatem ex parte

objecti,

objecti, adhuc ulterius oſtenditur hâc ratione: quia id, quod apprehenditur per modum boni convenientis, movet voluntatem per modum objecti; quod verò aliquid apprehendatur per modum boni convenientis, oritur ex duobus, nempè ex conditione intrinſeca objecti, quod proponitur, & ex conditione ſuppoſiti ſeu perſonæ, cui proponitur; nam conveniens dicitur reſpectivè conveniens: & hinc fit quod guſtus hominis diverſimodè diſpoſitus pro diverſo tempore, unum & eundem cibum vel potum uno tempore appetat, & alio reſpuat; uno tempore judicabit convenientem, alio diſconvenientem: hoc ipſum quoque videre licet in pluribus aliis rebus, quæ juxta diverſas hominis diſpoſitiones, modò judicantur convenientes, modò diſconvenientes: quia verò appetitus ſenſitivus in ſe ipſo alteratur, & cauſat corporis alterationem, hinc fit, quod objectum faciat aliter & aliter apparere & apprehendi nempè juxta diverſitatem ipſius alterationis; ac ſecundum hoc dicitur voluntas moveri indirectè ex parte objecti; quinimo ipſa ſola corporis alteratio v. g. commotio bilis, fervor ſanguinis, exuberantia melancholiæ &c ſimili modo poſſunt movere voluntatem, etſi in ſenſu nulla exiſtat apprehenſio objecti ut convenientis: cujus fundamentum eſt ſympathia, quæ intercedit inter objectum, & hanc vel illam corporis alterationem.

Ultra hunc modum objectivè movendi, movet quoque appetitus ſenſitivus rationalem ex parte ſubjecti, quatenus ob quamdam ſympathiam, quam inter ſeſe duæ potentiæ colligatæ habent in eadem anima, contingit inclinationem, & pondus potentiæ ſenſitivæ movere & trahere ſecum rationalem, ſeu voluntatem in bonum ſenſibus gratum, quamvis tamen non efficaciter: nam talis videtur connexio ſuperioris cum inferiori, ut vis utriuſque redundet in alteram. Hic verò modus movendi patet experientiâ; quia quam primum appetitus ſenſitivus circa aliquod objectum afficitur, ſtatim experimur ad illud ſequi aliquam inclinationem voluntatis; & eſto homo per rationem ſuperiorem judicet non eſſe faciendum quod vehemens paſſio ſuggerit. v. g. inimicum eſſe occidendum, fornicandum, vel adulterandum; tamen ſentit quamdam difficultatem operando contra paſſiones, neque enim contra illas agendo, ſuaviter, promptè, & delectabiliter operatur, ſed cum quâdam moleſtia & reluctantia. Hunc modum appetitus ſenſitivi movendi voluntatem ex parte ſubjecti videtur multis locis inſinuare Scriptura S. dum ait Sap. 9 *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit*

Appetitus ſenſitivus movet voluntatem ex parte ſubjecti.

mit ſenſum multa cogitantem. Iterum ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et rurſum eodem capite: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus!* quibus omnibus locis inſinuatur, appetitum ſenſitivum exercere vires ſuas in voluntatem.

Voluntas movet appetitū ſenſitivum directè, non tamen deſpoticè.

Potentia verò rationalis, ſeu voluntas, movet appetitum ſenſitivum directè ipſi imperando, non quidem imperio deſpotico, quale eſt Domini in ſuum mancipium, abſque omni renitentia; ſed ſolo imperio politico, quale habet rex in hominem liberum; ſiquidem in tantùm voluntas imperat appetitui ſenſitivo, in quantum præcipere poteſt phantaſiæ, ſeu imaginativæ ad hoc vel illud imaginandum, vel ab hac vel illa imaginatione abſtinendum, ad cujus apprehenſionem appetitus ſenſitivus ſolet moveri: phantaſia autem non ſemper obtemperat voluntati; ita ut, quantumvis mandet voluntas ut ab hac vel illa imaginatione abſtineat, non tamen obtemperet: quod quandoque accidit ex corporis conſtitutione vel alteratione, aliquando ex præſentia objecti dolorem vel gaudium cauſantis, aliquando ex cauſa extrinſeca v. g. Angelo bono vel malo corporis humores vario modo alterantibus: & hinc contingit appetitum ſenſitivum non ſemper ſubeſſe imperio voluntatis, neque motus ejus per voluntatem ſemper poſſe compeſci, quippè qui voluntati tantùm ſubeſt ſubjectione politicâ, non deſpoticâ, prout homo liber ſubeſt ſuo Principi, qui aliquando ipſi rebellat: perfectiori verò modo voluntas imperat potentiis & ſenſibus exterioribus corporis, nempè poteſtate deſpoticâ; ut patet experientiâ; nã oculos claudo dũ volo, prout manus & pedes &c.

Hic ſiſte Lector quicumque es.

ET paululum ingreſſus ſecretum animæ tuæ ingemiſcendo perpende, quoties immortificatæ paſſiones tuæ, & ſenſuales appetitus, quos intus in corde tuo fovisti, inordinatis & effrænibus ſuis motibus pacem tuam interiorem turbaverint, ſerenitatem conſcientiæ tuæ obnubilaverint, rationis lumen offuſcaverint, & voluntatem tuam, adinſtar equorum indomitorum, in quæcumque illicita raptaverint: recogita, quot, & quantos in anima tua ſtrepitus, & tumultus, importunis ſuis ſollicitationibus & inſultibus, excitaverint, quoties te à ſuavi orationis ſomno impediverint, & quaſi multiplicibus catenis vinctum, à Dei tui ſervitio violenter abſtractum, diaboli jugum ſubire coegerint: adeoque expende ſeriò nullum eſſe evidentius irati Dei in te ſignum, quam dum te paſſionibus & concupiſcentiis tuis tradit, permittens has tibi dominari: & ea propter, ſi ſapis, ut te quantocius à concupiſcentiarum tuarum tyrannide liberet, cum S. Auguſtino ingemiſcendo clama; Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi; aufer à me concupiſcentias, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me; ſed poſſide cor meum, ut te ſolum cogitet, veneretur, & amet. Amen.

TRACTATUS IV.
De Voluntario.

DUBIUM PRIMUM.
Quid Voluntarium.

VOLUNTARIUM tripliciter accipitur: primò, ut ſit idem quod ſpontaneum, ſeu non coactum. 2. ut ſit idem quod liberum. 3. pro effectu qui procedit à voluntate tamquam causâ. De duabus primis acceptionibus tractabimus in ſequentibus: de tertia verò hoc loco.

Voluntarium, hoc tertio modo acceptum, definitur, eſſe id, quod fit à principio intrinſeco cum cognitione finis: ſeu clarius; cum cognitione objecti & circumſtantiarum. ſub qua definitione quoque continetur quævis voluntaria omiſſio, intelligendo principium latè, tam pro poſitivo, quam negativo: dicitur verò, à principio intrinſeco, ut excludatur omnis motus violentus, qui fit à principio extrinſeco: dicitur, cum cognitione finis, ut excludatur omnis motus naturalis, v. g. motus lapidis deorſum, vel flammæ ſurſum, qui licet fiat à principio intrinſeco, tamen non cum cognitione finis: inſuper additur, cum cognitione finis, ut inſinuetur dependentia voluntarii à cognitione, quippè cum nihil poſſit eſſe voluntarium niſi cognitum, ut habet axioma: additur claritatis causâ cum cognitione objecti & circumſtantiarum; quia ſi quis invincibiliter erret in aliqua circumſtantia, quâ parte errat non agit voluntariè. Hinc infer; ſi quis de nocte occidat patrem ſuum, ſciens quidem eſſe hominem, ſed invincibiliter ignorans eſſe patrem ſuum, illa actio erit illi voluntaria in ratione homicidii, ſed non in ratione paricidii; eoquod circumſtantia perſonæ patris illi non fuerit cognita: rurſum comedit quis carnes in die jejunii, putans eſſe piſces, comeſtio carnium non erit illi voluntaria: ſi verò ſciat ſe edere carnes, ignoret autem eſſe jejunium, comeſtio carnium quidem erit illi voluntaria, ſed non violatio jejunii, quippè quod illi eſt incognitum: ſic Judas filius Jacob ingrediendo ad Thamar, quam ignorabat nurum ſuam, commiſit quidem fornicationem, non tamen inceſtum, eoquod circumſtantia nurus illi eſſet incognita.

Petes, qualis cognitio ſeu advertentia prærequiratur ad peccatum mortale directè voluntarium.

Digitized by Google

Reſp. perfecta directa & expreſſa; quæ tunc cenſetur adeſſe, quando intellectus ſui compos, nec diſtractus circa alia, notat actum ſuum in materia notabili alicui legi eſſe contrarium, vel de eo cum fundamento expreſſe dubitat, vel ſuſpicatur.

Petes, an ergo requiratur plena advertentia malitiæ, vel periculi illius, quatenus mortalis eſt.

Reſp. neg. nam homo, habitâ advertentiâ malitiæ in genere, mox tenetur inquirere, an illa ſit gravis an levis; quam inquiſitionẽ ſi omiſerit, cenſebitur interpretativè velle opus quâvis malitiâ affectum, ac per conſequens peccabit mortaliter, utpote exponens ſe periculo peccandi mortaliter.

Petes, an ergo abſolutè prærequiratur cogitatio aliqua expreſſa, dubium, vel ſcrupulus malitiæ ipſius actus, ad hoc ut illa ſit voluntaria

Reſp. neg. quia eſto hoc ſit neceſſe ad voluntarium directum (nam quod eſt actu expreſſo voluntarium, taliter debet eſſe cognitum) tamen id non eſt neceſſarium ad voluntarium indirectum & interpretativum, quale ſufficit ad peccatum: ſiquidem ad illud ſufficit voluntarium in cauſa, vel quod quis poſſit & debeat advertere & negligat; juxta commune dictum, *ſcire & debere ſcire in jure ſunt paria*: eapropter frequenter contingit nos poſſe & debere cognoſcere malitiam alicujus actus mali, abſque eo quod adſit aliqua cogitatio expreſſa, dubium, aut ſcrupulus de malitia ipſius actus; eoquod ignorantia malitiæ nobis ſit vincibilis, proveniens vel ab obice à nobis voluntariè poſito, quem tenemur tollere; quia ſcilicet debitam ſciendi diligentiam non adhibemus, illam proprio marte inveſtigando, peritiores conſulendo, ad Deum per orationem confugiendo: vel quia terrenis rebus cortenacius affigimus

Porro, ſi ad peccandum ſemper prærequireretur expreſſa advertentia malitiæ; quandoque crimina, in ſe licet graviſſima, eſſent deſtituta omni culpa: ita enim Athei, Politici, Conſuetudinarii ſine ulla quandoque conſideratione ipſius malitiæ concupiſcentiis ſuis ſeſe immergunt; qui proinde non peccarent: pro-ut in fine Dubii latius patebit. Quare meritò à facultate Pariſienſi Anno 1641. proſcripta eſt hæc propoſitio, „numquam peccatur, niſi præviâ peccati cognitione animus illuſtretur.

Ex dictis facilè ſolvitur hæc quæſtio, quâ quæritur, quot peccata committat, qui facit actum aliquem habentem triplicem annexam malitiam, quarum unam tantum cognoſcit; v. g. fornicatur cum filia ſibi conſanguinea, habente votum caſtitatis; quam tamen non novit ſibi conſanguineam, nec habentem votum caſtitatis.

Reſponſio in promptu eſt, illum tantum committere peccatum fornica

Digitized by Google

nicationis; eoquod duæ malitiæ illi non ſint cognitæ, neque in ſe, neque in ſua cauſa; adeoque nec voluntariæ.

Dices: plurimi motus oriuntur à voluntáte contra voluntatem; ut patet in motibus ſubitis triſtitiæ, odii, iræ, blaſphemiæ, &c. ergo non omnes motus procedentes à voluntate debent eſſe voluntarii.

Reſp. negando conſequentiam: pro quo nota duplex eſſe voluntarium ante poſitum, nempè liberum & ſpontaneum; & quidem motus antedicti in animabus piis ſunt contra voluntatem ſpectatam ut principium liberum, ſed non contra voluntatem, ut eſt idem quod ſpontaneum; ſiquidem procedunt à principio intrinſeco ſine coactione adeoque hoc modo ſunt voluntarii.

Petes; an ſtulti, pueri, ſomniantes, & ſimiles non eliciant actus voluntarios.

Reſp. conformiter antedictis; illos quidem elicere actus ſpontaneos, eoquod voluntas in ipſis operetur tantum ut natura; non verò elicere actus propriè dictos voluntarios, hoc eſt liberos eoquod voluntas in ipſis non operetur ut voluntas cum prævio judicio rationis; ſed tantum ut natura, quippe à phãtaſia determinata: nec refert quod poſſint eligere majus bonum ſenſibile omiſſo minori; quia etſi habeant lumen naturæ, non tamen habent lumen morale; cujus defectu dicuntur carere judicio rationis ad diſcernendum inter bonum & malum morale.

Petes: an, ut aliquid denominetur voluntarium, ſufficiat à voluntate illud procedere tamquam causâ efficiente.

Reſp. negativè; ſed inſuper debere eſſe volitum per modum objecti: quod verò utrumque requiratur, patet: cum enim voluntarium ſit effectus voluntatis, neceſſe eſt ut à voluntate tamquam causâ procedat; & cum voluntas debeat quoque in illud tendere, requiritur inſuper ut ſit objectum iſtius tendentiæ, ſeu proſecutionis.

Dices; ergo nulli motus voluntatis eliciti v. g. amoris, deſiderii, gaudii erunt voluntarii, quia non politi: quod ulrerius probatur, quia ſi debeant eſſe voliti, per alium actum prævium voluntatis debebunt eſſe voliti; & ille actus prævius rurſus eſſe volitus per alium; & ſic dabitur progreſſus in infinitum.

Reſp. motus voluntatis ſe ipſis eſſe volitos, & non per alium actum; qui enim amat, eo ipſo vult amare, & qui odit, eo ipſo vult odiſſe, non alio actu, ſed eodem, quo amat vel odit: & hoc ideo, quia actus voluntatis eliciti in ſeipſos ſunt reflexi, adeoque ſeipſis voliti. Aliud eſt de actibus aliarum potentiarum voluntati ſubditarum, qui extrinſecè tantum denominantur voluntarii; adeoque per alium actum

Digitized by Google

actum à ſeipſis diſtinctum ſunt voliti.

Dices: nolitiones etiam ſunt voluntariæ, & tamen non ſunt volitæ.

Reſp. illas quoque eſſe volitas, ſiquidem nolle aliquid fieri, idem eſt, quod velle aliquid non fieri: undè nolle confiteri, idem eſt, quod velle non confiteri; nihil autem eſt magis volitum, quam ipſum velle: undè quamvis objectum ipſius nolitionis non ſit volitum; ipſa tamen nolitio eſt voluntaria.

Petes, quid ſi peccator aliquis in tantum ſeſe obduret & excæcet accumulandò peccata peccatis, ut juſto Dei judicio à Deo privetur omni lumine gratiæ, & ob internam cæcitatem ignoret ſeſe peccare an ejuſmodi actus peccaminoſi in tali cæcitate commiſſi ipſi erunt voluntarii.

Reſp. affirmativè: eſto enim ejuſmodi peccator non habeat advertentiam formalem malitiæ actus ſui, de quâ ſuprà egimus, habet tamen interpretativam; qualem cenſetur habere qui poteſt & debet advertere ad malitiam actus in ſe, vel in cauſa, & negligit.

DUBIUM II.

Quotupliciter dividatur voluntarium.

Sex ſunt præcipuæ voluntarii diviſiones; quæ quia omnibus Paſtoribus & Confeſſariis ſunt ſcitu neceſſariæ, idcirco eas ſigillatim totidem dubiis explicabimus.

Et quidem primò dibiditur voluntarium in perfectum, & imperfectum.

Perfectum eſt id, quod procedit à voluntate cum perfecta cognitione finis, ſeu cum perfecta advertentia objecti. *Quid voluntarium perfectum.*

Imperfectum eſt, quod procedit à voluntate cum imperfecta cognitione finis, ſeu objecti: & circumſtantiarum: quod non tantùm evenit quando objectum imperfectè apprehenditur, ſed & dum peſectè cognoſcitur, ſed non ſub ratione finis; ſeu quando non cognoſcitur ut bonum per ſe expetendum, & per hoc vel illud medium acquiſibile. Hinc collige omnes motus appetitus ſenſitivi, quando præveniunt plenam rationis advertentiam, ſicut & motus appetitus rationalis, dum ratio non perfectè conſiderat vel attendit, tantum eſſe imperfectè voluntarios. *Quid imperfectum*

Petes, quomodo in dubio prudens confeſſarius diſcernet voluntarium perfectum ab imperfecto, ſeu conſenſum perfectum ad mortale peccatum ab imperfecto.

Reſp. pro praxi notandas ſequentes regulas.

I. REGULA.

Si dubitans ſit timoratæ conſcientiæ, & magno odio proſequatur peccatum, nec ſit ſolitus in iſtâ materia peccare, tunc in dubio *Regula diſcernendi conſenſum.*

Digitized by Google

perfe-ctum ab imperfe-cto.

dubio judicandum eſt non adfuiſſe voluntarium perfectum, ſed ad ſummum imperfectum, & conſenſum indeliberatum; eoquod in dubiis deſumatur fortiſſima præſumtio ab aſſuetis: ſi verò dubitans ſit conſcientiæ laxæ, quique peccatis illis ſolitus eſt conſentire, judicandum in dubio adfuiſſe voluntarium perfectum, adeoque ipſum conſenſiſſe; cum enim talis modicam habeat curam ſuæ ſalutis, non premeretur dubio peccati mortalis, niſi perfectum conſenſum præbuiſſet.

II. REGULA.

Quotieſcumque ab actu interiori non proceditur ad actum externum, ſignum eſt in perſona timoratæ conſcientiæ quod non perfectè conſenſerit: hinc talis dubitans an conſenſerit in hæreſim internam, blaſphemiam, delectationem moroſam, actionem proximo injurioſam &c. præſumere poteſt ſe non conſenſiſſe: cujus ratio eſt; quia præſtito interitus conſenſu deliberato facillimum eſt procedere ad opus externum: quod ſi non ſequatur, ſignum eſt à poſteriori non præſtiti conſenſus interni, ſaltem deliberati & efficacis.

III. REGULA.

Si quis temoratæ conſcientiæ, ſuper actum peccati ſeſe reflectens, ita ſe conſtitutum cognoſcat, ut quamvis facilè peccatum poſſet committere, tamen illud non committeret; ut plurimum judicandum eſt non adfuiſſe conſenſum deliberatum, ſeu voluntarium perfectum: cujus ratio eſt, quia cum potentiæ externæ peccatum externum perpetrantes v.g. manus, pedes, oculi, os, &c. ſubſint diſpoticè imperio voluntatis, dum exiſtit in tali diſpoſitione, ſignum eſt voluntatem non plenè conſenſiſſe.

IV. REGULA.

Quando quis dubitat an fecerit aliquid in ſomno, vel in vigilia, & ſit anima timoratæ conſcientiæ, ſignum eſt ipſam non deliberatè conſenſiſſe, nam quæ cum plena advertentia fiunt, facilè cognoſcuntur poſteà facta fuiſſe ratione plenè advertente; eòquod rationis uſus permittat homini liberam de actibus ſuis cognitionem.

V. REGULA.

Horror peccati, timor, pœna, triſtitia, & averſio à peccato tam antecedens quam concomitans, dum quis pravis motibus vel maliscogitationibus divexatur, quamdiu ratio ſuperior reſiſtit, eſto in parte inferiori tentationem ſuperare non poſſit, ſignum eſt non adfuiſſe in anima timoratæ conſcientiæ voluntarium perfectum, ſeu conſenſum deliberatum: cujus ratio eſt quod horror, timor, pœna, triſtitia, & antecedens averſio

ſio à peccato oriantur ex voluntate nolente ; quod uſu potiſſimum venit in animabus piis, quæ nonnumquam tentantur ſpiritu blaſphemiæ, odii erga Deum, vel fornicationis : quæque interdum in tantum iſtis tentationibus agitantur, ut vix ſciant quid agant : quare talibus ſuggeret prudens confeſſarius ne animo dejiciantur, dicatque non peccaſſe mortaliter. Hinc infer ; quando quis dubitat an ſimilibus motibus vel tentationibus conſenſerit, ſi ante vel poſt, cum ſui plenè compos eſt, à ſimimilibus motibus horrorem & averſionem habere conſueverit, nec ſolitus ſit ejuſmodi motus admittere in ſe vel in cauſa, interpretandus ſit non conſenſiſſe, ſaltem perfectè ; idem ſit judicium de anima omni tempore ſollicita, ne ipſi ſimiles motus adveniant, quæque in quærendis remediis contra ſimiles tentationes quaſi continuo occupatur : infer, inquam, illam non plenè conſenſiſſe, ſi ſuperveniat dubium de conſenſu : ratio eſt quia ſimiles animæ ſic conſtitutæ habentur pro interpretativè nolentibus : hoc addito, quod frequenter contingat piis animabus (quod prudens confeſſarius ſedulò advertet) quod, quo magis ſunt ſollicitæ de aliquo peccato cavendo, eo magis timore contrarii continuis imaginationibus pravis divexentur, juxta illud Philoſophi, *Timor ſuſcitat imaginationem.*

Ad hanc regulam ſedulò quoque advertet prudens confeſſarius circà animas pias, quæ nonnumquam interius patiuntur internas collocutiones, quibus videntur interius ſibi ipſis de conſenſu reſpondere, quæ in imaginativa à ſpiritu melancholico vel dæmone nonnunquam excitantur ; dic, inquam, ſimiles collocutiones, vel conſenſus non efformari ab ipſis voluntariè & perfectè ; ſed fieri in phantaſia, ſeu imaginativa : v. g. inveniuntur complures animæ agitatæ ſpiritu blaſphemiæ, crudelitatis, vel fornicationis, quibus continua quaſi colloquia interius in phantaſia excitantur, & ſibi ipſis interius videntur reſpondere ; *Deus eſt injuſtus. Ita. Occidas te. Ego faciam.* Et ad aſpectum alicujus feminæ. *Velles peccare cum illa ?* & reſpondet ſibi imaginativa ; *ita.* In his & ſimilibus prudens confeſſarius, attentâ animæ timoratæ conſcientiâ, judicare debet non interveniſſe deliberatum conſenſum.

Quod ſi tamen horror, triſtitia, & averſio à peccato oriatur poſt actum patratum, tunc nullatenus eſt ſignum diſſenſus à peccato v. g. Petrus habuit impudicas & inhoneſtas cogitationes, item motus impudicos ; tempore autem quo illos patitur, nullam animadvertit in ſe averſionem aut horrorem ab illis ; poſt actum verò patratum advertens illius turpitudinem, illum averſatur & dolet ; quæ

quæ triſtitia & averſio non eſt ſignum diſſenſus ad peccatum.

Hæc dicta ſunt pro neceſſaria praxi confeſſariorum, qui ad has regulas prudenter & diligenter advertant, ut ſciant diſcernere inter lepram & non lepram, inter peccatum mortale & veniale.

Et quamvis antedictæ regulæ pro praxi firmæ ſint ne tamen in materia lubrica & libidinoſa mentiatur iniquitas ſibi, conſulet confeſſarius pro ſua prudentia pœnitenti ejuſmodi dubia confeſſioni ſubjicere; eoquod in materia ad quam natura adeò propendet, judicium proprium pœnitens debeat habere ſuſpectum, quippè cum quilibet ordinariè judicet prout eſt affectus.

DUBIUM III.
Quomodò diſtinguatur voluntarium directum ab indirecto.

Voluntarium directum, ſeu, in ſe, eſt illud, quod immediatè in ſe intenditur: ſeu, eſt effectus qui procedit à voluntate tamquam cauſa poſitiva efficiente vel imperante. E. C. furtum, fornicatio &c. ex mera malitia commiſſa. *Quid voluntarium directum.*

Voluntarium indirectum eſt, quod non in ſe immediatè, ſed tantum in alio, tamquam in cauſa intenditur: ita ſubmerſio navis tempore tempeſtatis eſt nautæ negligenti navem gubernare voluntaria; prout & combuſtio domus famulo negligenti lumen cuſtodire: ſic quoque ſcandala & peccata ſubditorum ſunt ſuperiori indirectè voluntaria, quæ ipſe tenetur ratione officii ſui impedire, & non impedit: ita mors pauperis in extrema & gravi neceſſitate conſtituti, reſpectu divitis hoc ſcientis eſt indirectè voluntaria, ſi ex defectu eleëmoſynæ moriatur; juxta id: *ſi non paviſti, occidiſti.* *Quid indirectum.*

Petes, quid ſit voluntarium interpretativum.

Reſp. eſt effectus qui judicio prudentum, attentis omnibus circumſtantiis, præſumitur ſequi ex actu voluntatis, etſi voluntas in illum poſitivè non influat: ſeu, eſt aliquid, quod in certis circumſtantiis ſecundum moralem æſtimationem judicatur volitum, quamvis voluntas ſecundum ſe in illud non feratur. *Quid interpretativum.*

Petes, quot ſint requiſita ut effectus aliquis peccaminoſus cenſeatur nobis voluntarius in cauſa.

Reſp. tria: primò ut effectus præviſus ſit vel præviderі debuerit & potuerit ſecuturus ex tali cauſa; ſi enim ille non ſit cognitus, non poteſt in tali cauſa eſſe voluntarius; proinde eſto cauſa ſit mala, ſi tamen nullo modo ſuſpicabaris nec poteras & tenebaris cogitare inde talem effectum ſecuturum, non cenſebitur voluntarius in cauſa: ſecundò ut cauſam propter talem effectum obligeris vitare; ſi enim non teneris vitare cauſam, effectus *Tria requiſita ad effectum peccaminoſum voluntarium in cauſa.*

ctus inde ſecutus non poteſt imputari ad peccatum, ut patet in Deo non impediente peccata: non tenetur verò quis cauſam vitare, quando illa ſecundum ſe eſt licita, habens adjunctam notabilem utilitatem, vel finem bonum: adeoque Paſtor, Confeſſarius, Concionator legentes materias theologicas repugnantes caſtitati (dummodò tamen non ex curioſitate) non tenentur deſiſtere à lectione ob incidentes hinc inde malas cogitationes vel motus, qui non ex natura rei, ſed ex miſeriâ humanæ naturæ ex peccato contractâ per accidens ſequuntur: quæ tamen intelliges cum hoc grano ſalis, nimirum dummodò in tali perſona non ſubſit morale periculum conſenſus, quo ſubſiſtente tenebitur cauſam omninò vitare; ſiquidem ob nullam rem licitum eſt ſe exponere morali periculo peccati: *Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ ſatiat?* Marci 8. Tertiò requiritur ut cauſam non vitet: cauſa vero illa poteſt eſſe poſitiva vel negativa: poſitiva erit v. g. curioſa lectio, item curioſus aſpectus feminæ reſpectu cogitationis inhoneſtæ.

Voluntarium aliud in cauſa poſitivè aliud negativè.

Cauſa privativa eſt, quæ per defectum actionis poſitivæ, quam debet ponere, & non ponit, cauſat. Talis eſt v. g. voluntas negativè ſe habens, hoc eſt, neque fovens, neque reprimens cogitationem inhoneſtam quam poteſt reprimere, potiſſimum imaginativam aliò divertendo: talis quoque eſt voluntas omittens tollere turpem imaginationem quam debet: formaliter verò loquendo eſt ipſa omiſſio voluntatis negligentis turpem imaginationem divertere quam debet, ſicuti omiſſio diligentiæ in nauta eſt cauſa ſubmerſionis navis.

Petes, an effectus peccaminoſi, qui tantum ſunt voluntarii in cauſa, habeant aliquam malitiam præter malitiam cauſæ.

Reſp. negativè: niſi eſſenti ſaltem interpretative in ſe voliti quia peccatum in tantū eſt malum, in quantum eſt voluntarium: cum ergo opere ſecuto, ut ſupponitur, non augeatur prior voluntas, non augebitur quoque prior malitia.

Actus peccaminoſi in ſola cauſa voluntarii habent ſolam malitiā cauſæ.

Petes, an effectus in ſola ſua cauſa voluntarius ſit peccatum in ſe an verò ſolùm in cauſa; & conſequenter an ſufficiat in confeſſione explicare ſolam cauſam.

Reſp. ſi effectus ille contingat eo tempore quo homo utitur ratione, adeoque ſit in ejus poteſtate illum vitare, malitia non tantum incurretur dum ponitur cauſa, ſed & dum ponitur effectus. Ratio eſt; quia effectus ille tunc dupliciter eſt voluntarius, ſcilicet in ſe & in cauſa: hinc qui vadit venatum prævidens ſe in venatione detinendum ab auditione ſacri in die feſto, non ſolùm peccat dum ponit cauſam, nempè venationem; verum etiam

Sunt tamen in confeſſione explicandi quia ſecundū ſe peccata.

K pro eo

pro eo tempore, quo miſſa eſt audienda; utpote cum omiſſio ſacri etiam eo tempore ſit voluntaria, ſuppoſito videlicet quod ſacrum audire poſſit.

Niſi ſequantur pro eo tempore quo non eſt in poteſtate hominis illos impedire, & causa antea per pœnitentiā fuerit retractata.

Quod ſi verò effectus ſequatur pro eo tempore, quo homo non utitur ratione, v. g. in ſomno, vel pro eo tempore, quo non eſt in poteſtate hominis quamtumvis ratione utentis illum impedire tunc diſtinguendum hoc modo; vel enim cauſa in qua effectus eſt voluntarius eſt interrupta per pœnitentiam antequam effectus ille ſequatur; & tunc quidem effectus ille non eſt peccatum in ſe, adeoque nec in confeſſione exprimendus: ratio eſt, quia eo ipſo quo a priore mala voluntate receditur per pœnitentiam, jam non ex illa utpote retractata, ſed aliunde effectus ille naturaliter promanat.

Et hinc generaliter infer nullum effectum malum ex quacumque cauſa voluntaria proficiſcentem voluntati tribui, ſi illa per veram pœnitentiam ſit emendata antequam ponatur effectus: ex quo ſequitur, quod ſi quis dediſſet cauſam pollutioni, & ante ſomnum dolens fuiſſet confeſſus ſe dediſſe talem cauſam, ſi poſteà illa in ſomno ſequatur, illam non fore peccatum, adeoque nec confitendam.

Quod ſi verò cauſa per pœnitentiam non interrumpatur, quantumvis ſequatur effectus pro eo tempore quo homo non utitur ratione vel pro alio tempore quo non eſt in poteſtate illum impedire, hujuſmodi effectus eſt ſecundum ſe peccatum, adeoque in confeſſione explicandus: ratio eſt; quia cum voluntas prava tunc formaliter vel virtualiter perſeveret, illa ſimul cum actu externo conſtituit unum integrum & totale peccatum: inſuper ut aliquid ſit peccatum, non requiritur quod ſit directè voluntarium, ſed ſatis eſt, quod ſit voluntarium indirectè, ſeu in cauſa, qualis eſt hic effectus: hinc infer eum qui dedit cauſam pollutioni, eſto illa poſtmodum in ſomno ſequatur, ſuppoſito quod illam ante non retractaverit, non ſatisfacere in confeſſione, dicendo ſe dediſſe cauſam pollutioni; ſed inſuper ipſam debere exprimere, utpote quæ cum actu interno conſtituat unum integrum & totale peccatum.

Dices: ſi effectus eo tempore ſecutus, quo non adeſt uſus rationis non imputetur ad culpam, quando cauſa illius per pœnitentiam antea eſt retractata, ſequetur, eum qui lethaliter aliquem vulneravit, ſi poſt læſionem illam protinus confiteatur, non fore irregularem, etſi læſus ex vulnere moriatur.

Reſp. negando conſequentiam; cujus ratio eſt, quia irregularitas non incurritur dum ponitur cauſa, ſed dum ponitur effectus, nempè homicidium; quod verum eſt, eſto prior voluntas per pœnitentiam retractetur; eo quod ad incurrendum cenſuras

Digitized by Google

cenſuras ſufficiat liberè dediſſe cauſam, & effectum poſteà eſſe ſecutum.

DUBIUM IV.

Quid Voluntarium expreſſum, & tacitum.

NOta quod hujus voluntarii diviſio, & notitia plurimum ſerviat pro praxi.

Quid voluntarium expreſſum. Voluntarium expreſſum, eſt quod voce, vel alio ſigno ex inſtituto ſignificativo exprimitur: ita profeſſio religioſa Joanni eſt expreſsè voluntaria, in quam verbis determinatis conſentit.

Quid tacitum. Voluntarium tacitum eſt, quod nullo ſigno ex inſtituto ſignificativo exprimitur, ſed præſumitur tantum eſſe ex quodam facto, vel facti omiſſione; juxta hanc regulam juris, *Qui tacet conſentire videtur.*

Petes, quandonam taciturnitas habeatur pro conſenſu.

Reſp. 1. tunc quando promittitur alicui aliquid favorabile: ſecus verò dum promittitur aliquid odioſum & oneroſum, & tacet: ratio prioris eſt, quia nemo cenſetur recuſare quod ſibi commodum vel favorabile ab altero promittitur, vel donatur: prout & nemo præſumitur acceptare dum tacet, quod ipſi eſt incommodum & oneroſum. Et hæc quidem regula ordinariè eſt vera; poſſunt tamen per accidens occurrere tales circumſtantiæ, ut licet quis taceat, non tamen propterea cenſeatur conſentire, vel diſſentire.

2. Quando quis tacet in caſu quo tenetur loqui, cenſetur conſentire; ſecus verò in caſu in quo non tenetur loqui. Ratio prioris eſt, quia ſilentium tunc præſumitur eſſe ſignum approbationis: ratio poſterioris eſt; quia tunc non eſt potior ratio cur ſilentium ſit habendum pro conſenſu, quam pro diſſenſu. Hinc infer quomodo Paſtor, & quivis alius Superior cenſeatur malas conſuetudines & actus peccaminoſos ſuorum ſubditorum approbare, quando illos novit, & reprehendere poteſt, & tacet: ſimiliter quomodo Epiſcopus, videns aliquem à ſe non approbatum ſedere in ſede confeſſionali, tacens, & non contradicens, cenſeatur eoipſo conſentire, & approbare.

Petes: quid ſi ſacerdos non approbatus, nec juriſdictionem habens, in abſentia Epiſcopi vel Paſtoris audiat confeſſiones, ſperans id quod agit Epiſcopum vel Paſtorem ratum habiturum; an abſolutiones à tali ſacerdote collatæ ſint validæ.

Reſp. non; quia eſto ratihabitio de præſenti ex communi Doctorum ſententia det conſenſum; non tamen ratihabitio de futuro: quod ſi tamen in abſentia Parochi ſacerdos extraneus alicui ægro dederit extremam unctionem, infantem Baptizarit, vel S. Euchariſtiam

Digitized by Google

adminiſtrationem horum Sacramentorum ratam habiturum; ſufficiet ratihabitio de futuro. Ratio diſparitatis eſt, quia in hoc poſteriore caſu tantum quæritur ut actus licitè fiat, ad quod, ex communi Doctorum ſententia, ſufficit ratihabitio de futuro; in priori verò caſu quæritur de valore actus, ad quem, ex communi Doctorum ſententia, non ſufficit ratihabitio de futuro, ſed neceſſaria eſt ratihabitio de præſenti.

DUBIUM V.

Quid Voluntarium voluntate propriâ, & voluntarium voluntate alienâ.

Quid voluntarium voluntate propriâ

VOluntarium voluntate propriâ eſt, quod à noſtra voluntate elicitur vel imperatur: ut v.g. homicidium à Petro commiſſum, vel ab eo mediante ejus famulo.

Quid aliena.

Voluntarium voluntate alienâ eſt, quod communi æſtimatione à nobis cenſetur factum, eſto fiat ab altero Sic voluntas tutorum eſt voluntas pupillorum, & voluntas parentum cenſetur voluntas impuberum & amentium, voluntas ſuperiorum in monaſteriis, cenſetur voluntas religioſorum: voluntas Adami, cenſetur noſtra quoad peccatum originale contractum.

DUBIUM VI.

An detur voluntarium ſine ullo actu voluntatis.

PRo enodatione hujus dubii notandum, omiſſionem aliquam tripliciter poſſe dici voluntariam. 1 ſi ſit directè volita, qualis eſt omiſſio ſacri expreſsâ intentione volita. 2 ſi ſit volita in cauſa, ut dum aliquid fit, quod eſt cauſa omiſſionis; ſic enim omiſſio ſacri propter venationem in die feſto eſt voluntaria in venatione tamquam causâ. 3 poteſt eſſe voluntaria ſine omni actu voluntatis; cujus ratio eſt, quia ſicut voluntas poteſt liberè velle, ita quoque poteſt liberè omittere ipſum velle, ad quod non requiritur ut actu elicito velit omittere, ſed ſufficit quod advertat ſe poſſe, & tunc omittat.

Datur voluntarium ſine actu voluntatis.

Petes, an, ſi quis ob morbum vel incarcerationem non poſſet audire ſacrum, omiſſio ſacri illi eſſet voluntaria.

Omiſſio ſacri à captivo vel ægroto impotēte audire ſacrum non eſt ipſi voluntaria; poteſt tamen eſſe directe volita.

Reſp. negativè, cujus ratio clara eſt; quia omiſſio ſacri non pendet à voluntate ſicut effectus à cauſa efficiente vel imperante, quod tamen ad rationem voluntarii requiritur: undè quamvis in omittentem ſacrum eſſet lata excommunicatio, illam taliter omittens non incurreret, eſto quoque ex malitia ſacrum omittere vellet.

Petes, an ut omiſſio ſit voluntaria requiratur ut id, quod omittitur, ſit in præcepto.

Reſp.

Digitized by Google

Ad hoc ut omiſſio ſit voluntaria non debet eſſe in præcepto.

Reſp. non : quia omiſſio rei etiam non præceptæ poteſt etiam eſſe directè voluntaria ; ut patet in omiſſione ſacri die feriato: & ratio iſtius eſt, quia ſicut voluntas pro ſua libertate poteſt aliquid velle, ſic quoque pro ſua libertate poteſt omittere velle.

Petes, quandonam effectus ex omiſſione ſecutus cenſeatur voluntarius.

Reſp. tunc ſolùm, quando aliquis obligatur effectum ponere, & negligit: evitare, & non vitat; hinc collige peccata, quæ ab hominibus committuntur Deo non eſſe voluntaria, eò quod illa non impediat cum poſſit, quia ad hoc non obligatur.

Petes, cur potius effectus ex omiſſione ſecutus debeat eſſe in præcepto ad hoc ut ſit voluntarius, quam effectus qui omittitur ad hoc ut omiſſio ejus ſit voluntaria.

Secus dic de effectu ex omiſſione ſecuto.

Reſp. rationem diſparitatis eſſe quod voluntas ſit cauſa phyſica negativa omiſſionis, non verò effectûs ex illa ſecuti, ac proinde neceſsè eſt ut aliquid aliud concurrat, ratione cujus voluntas cenſeatur cauſa moralis : quod tunc ſolum contingit quando adeſt præceptum quo obligatur effectum ponere, & non ponit; vel impedire, & non impedit; quibus caſibus cenſebitur voluntas cauſa moralis ipſius effectus ; quando enim voluntas aliquid non facit quod debet facere, in moralibus perinde eſt ac ſi defectum effectus illius poſitivè vellet, & dicitur tunc interpretative velle ; quare ſuperior, qui obligatus eſt impedire peccata ſubditorū, ſi hæc non impediat dum poteſt, cenſebitur illorum cauſa moralis.

Petes, an ſicut datur voluntarium ſine omni actu voluntatis, detur quoque tale ſine omni actu intellectus.

Non datur voluntarium ſine actu intellectus.

Reſp. negativè: intelligendo videlicet ſine actu intellectus actuali vel virtuali: quod poſtremum addo quia poteſt dari voluntarium ſine actu intellectus actuali, quandoquidem ad actum humanum ſufficiat advertentia virtualis. Ratio autem negationis eſt, quia nihil poteſt eſſe voluntarium niſi cognitum.

Hic Lector paululum requieſce.

ET inſpectâ voluntatis tua infirmitate ad bonum, & pronitate ad malum, dic cum S. Auguſtino in ſuis ſoliloquiis, heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt ; habitavi, cum habitantibus cadar, multum incola fuit anima mea Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Da mihi Domine, donec his fragilibus aſſiſto membris, voluntate meâ tibi ſoli adhærere ; prout ſcriptum eſt ; qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt cum eo : præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volem ſurſum ; & quia omne ſiniſtrum deorſum jacet, tene voluntatem meam, ne ad ima tenebroſa vallis corruat, & ne interveniente umbrâ terræ, à te, vero juſtitiæ ſole, ſeparetur : non enim eſt hominis velle quod poſſit, aut poſſe quod velit; vel ſcire quid velit & poſſit, ſed potius à te greſſus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non à ſe, ſed à te dirigi ſe confitentur: tu enim es qui operaris in nobis velle & perficere pro bona tua voluntate.

TRACTATUS V.
De Libero Arbitrio.

DUBIUM PRIMUM.

De Multiplici acceptione libertatis.

PRÆNOTANDUM ex S. Bernardo lib. de gratia & libero arbitrio triplicem à Theologis paſſim diſtingui libertatem ſcilicet à peccato, à miſeria, & à naturali neceſſitate. De prima loquitur Apoſtolus 2. ad Cor. cap. 3 *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* De ſecunda loquitur Apoſtolus ad Rom. 8. *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De tertia loquitur Eccleſiaſticus cap. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Antè hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Nos omiſsâ libertate à peccato & à miſeria, tamquam ſignificatis metaphoricis, agemus hic de libertate à naturali neceſſitate, à qua propriè voluntas denominatur libera. Quamvis autem fidei ſit dari liberum arbitrium, ſine tamen fidei præjudicio controvertitur in quo ejus eſſentia conſiſtat: eo modo quo eſt de fide in tribus Sacramentis, quæ iterari non poſſunt, imprimi characterem; diſputatur tamen à Theologis, ſine fidei præjudicio, in quo eſſentia characteris conſiſtat: eapropter doctores hanc de libertate quæſtionem tractantes abierunt in diverſas ſententias pro diverſitate opinionum, quas habent in materia de gratia ſufficiente & efficaci.

Et quidem aliqui eſſentiam libertatis conſtituunt in voluntario perfecto; ita ut omne id quod procedit a potentia ſemetipſam determinante ad actum prævio rationis judicio, appellent liberum: ſecundùm quos libertas eſſentialiter conſiſtit in modo quo actio egreditur à potentia ſemetipſam determinante prævio rationis judicio, quam vocant libertatem Dei & beatorum; quo modo loquuntur plures Patres, & auctores ſcholaſtici antiquiores: & quidem hoc primo modo loquitur. S. Auguſtinus Enchridio, cap. 105. „ Sic opportebat prius hominem fieri ut & bene velle poſſet, „ & male: nec gratis ſi benè, nec „ impunè ſi male: poſteà vero ſic „ erit

„erit ut male velle non poſſit, nec „ideo libero carebit arbitrio. Multo quippè liberius erit arbitrium „quod omnino non poterit ſervire „peccato. Neque enim culpanda „eſt voluntas, aut voluntas non eſt, „aut libera dicenda non eſt qua „beati ſic eſſe volumus ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed ne„quaquam prorſus velle poſſimus„ Ita quoque loquitur S.Thom q. 10. de potentia, art. 2. dum ait; „voluntas liberè appetit fœlicitatem, licet neceſſario appetat „illam.„ Sic & Deus liberè amat ſeipſum; liberè quoque Spiritus S. procedit à patre. Ita quoque loquuntur complures alii Scholaſtici; ut Scotus in quæſtionibus quodlibeticis quodlib. 16. art. 2. Henricus à Gandavo. Gabriël diſtinctione 10. quæſt. 2. S. Bonaventura & complures alii, à quorum verbis recenſendis ſuperſedemus.

Et de hac quidem libertate conſiſtente in voluntario perfecto (niſi ſit quæſtio de nomine) non movetur difficultas; eam enim cuncti, etiam moderni Theologi ſine ulla controverſia admittent in quocumque actu humano, ut ſuprà diximus, eamque poſſe ſtare cum actûs neceſſitate libenter fatebuntur: quo modo cenſent Deum & beatos etiam quoad viſionem beatificam eſſe liberos. Præcipua difficultas quæ movetur hic eſt ſuper libertate à neceſſitate, in quo illa conſiſtat; & an hæc homini viatori ſit neceſſaria ad merendum vel demerendum; quæ in ſequentibus tractabimus.

DUBIUM II.

An ultra hanc libertatem eſſentialem ſit in homine viatore alia libertas à neceſſitate tanquam neceſſaria ad merendum vel demerendum.

Reſp. affirmativè. Et probabatur. 1. Eccli. 15 *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum. Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi,* Ex quo patet in homine eſſe libertatem tam contradictionis, quam contrarietatis.

2. Probatur ex Patribus; ſignanter ex S. Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum: „Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec „ad vitia neceſſitate trahimur: alio„qui ubi neceſſitas, nec corona eſt.

3. Probatur ex S. Aug. in libris tam ante, quam poſt exortam Pelagianam hæreſim; & præſertim lib. de duabus animabus cap. 11. ubi, poſtquam definivit peccatum, eſſe voluntatem retinendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere; dein addit „Nonne iſta „cantant & in montibus paſtores,

„&

„ & in theatris poëtæ, & indocti „ in circulis, & docti in bibliothe„ cis, & magiſtri in ſcholis, & „ Antiſtites in ſacris locis, & in „ orbe terrarum genus humanum.

4. Probatur ex S. Thoma quæſt. 6. de malo art. unico; ubi referens quorumdam ſententiam docentium, voluntatem ex neceſſitate moveri ad aliquid eligendum, abſque eo tamen quod cogatur, addit „ Hæc opinio eſt hæretica; tol„ lit enim rationem meriti & de„ meriti in humanis actibus.

5. Probatur ex Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

6. Probatur ex Bulla Innocentii X. quâ damnat hanc propoſitionem *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate: ſed ſufficit libertas à coactione.*

7. Probatur experientiâ; quæ tam clara & evidens eſt, ut non ſit opus alio argumento ad probandum libertatem à neceſſitate; nam quiſque in ſe experitur quod pro libitu ſuo poſſit loqui, tacere, ambulare &c. Unde rectè dixit Scotus, contra negantes liberum arbitrium non rationibus ſed verberibus eſſe agendum, tamdiu illos eſſe verberandos, donec fateantur in noſtra poteſtate eſſe abſtinere à verberibus: & quod ſi conquerantur, reſpondendum, quid de me conquereris quod te percutiam, cum fatearis non eſſe in mea poteſtate deſiſtere.

Cum autem hæc libertas à neceſſitate ſit eximia quædam perfectio, ſecundum quam homo creatus eſt ad imaginem Dei, hæcque dividatur in eam, quæ eſt contrarietatis, & in eam, quæ eſt contradictionis: notare oportet quod poſſe eligere malum non ſit virtus liberi arbitrii, ſed defectus; quia non eſt aliud quam poſſe in agendo errare: unde hoc defectu remoto non perit, ſed fortius efficitur liberum arbitrium: ex quo patet quod potentia peccandi, ſeu contrarietatis tantum pertineat ad ſtatum accidentalem hominis lapſi viatoris, imperfectionibus & miſeriis involuti, quæ eapropter neque reperitur in Chriſto, neque in beatis, neque in confirmatis in grâtia.

Itaque hanc libertatem à neceſſitate tamquam immobilem baſim in homine viatore fatemur imprimis contra Stoicos Philoſophos, qui dicebant voluntatem humanam neceſſitari à fato, ſeu influxu cœlorum & ſtellarum. 2. Contra Manichæos dicentes illam neceſſitari ad malum à malo principio. 3. Contra Calviniſtas & alios hujus temporis hæreticos aſſerentes voluntatem neceſſitari à præmotione gratiæ

Digitized by Google

gratiæ efficacis in tantum, ut non habeat poteſtatem diſſentiendi.

DUBIUM III.

Quid Liberum arbitrium à neceſſitate.

RESp. eſt potentia prævio rationis judicio indifferens ad oppoſita, ſive illa ſint contraria, ſive contradictoria: & hæc à parte rei eſt ipſa voluntas inadæquatè concepta, in quantum nimirum eſt indifferens ad oppoſita. Undè libertas quoad actus voluntatis elicitos, non ſupperaddit ipſis, niſi habitudinem ad cauſam indifferentem; quæ habitudo non eſt à parte rei aliud, quam dependentia talis actus à cauſa indifferenti: in actibus verò a voluntate imperatis libertas tantum ſupperaddit illis denominationem extrinſecam, ab actu videlicet voluntatis libero & elicito, à quo imperantur: nam actus imperati reſpectu propriorum principiorum procedunt ab illis neceſſariò.

Petes, undè radicaliter oriatur illa voluntatis indifferentia.

Reſp. ex indifferentia intellectus, qui in uno & eodem objecto poteſt invenire rationem aliquam boni cur poſſit appeti, & rationem aliquam mali cur poſſit rejici; & hoc ideo, quia poteſt unam & eandem rem variè voluntati repræſentare, modò ſub ratione boni, modò ſub ratione mali; nam in eo differt intellectus à ſenſu, quod hic tantùm percipiat præſentia, nec conſiderare valeat circumſtantias rei propoſitæ, ac proinde juxta diverſas circumſtantias non poſſit diverſimodè de eâdem re judicare; intellectus verò non tantum præſentia, ſed & futura: non tantum rei naturam, ſed & ſingulas circumſtantias perpendit.

Petes, an tanta voluntatis indifferentia inſit hominibus modò in ſtatu naturæ lapſæ, qualis fuit in ſtatu naturæ integræ.

Reſp. nequaquam, ſiquidem æquilibrium pleniſſimum primi noſtri parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt, quo voluntas pleno in omnia dominio, nullo ad bonum vel malum trahente, ſed gratiâ dumtaxat invitante, pro ſuo nutu ferebatur ut volebat, quod modò per peccatum periit, ut rectè S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 2. dum ait; ,, Libertas ,, quidem periit per peccatum, ſed ,, illa quæ in paradiſo fuit. ,, Et Enchir, cap. 3. ,, Libero arbitrio malò ,, utens homo, & ſe perdidit, & ip- ,, ſum: quod & docuit Conc. Arauſicanum; dum ait Can. 13. ,, Arbi- ,, trium voluntatis in primo homi- ,, ne infirmatum, niſi per gratiam ,, Baptiſmi non poteſt reparari. Quæ omnia & ſimilia loca intellige, non quaſi liberum arbitrium, quoad ſuam ſubſtantiam ſit deperditum, ſed quod perfectio & ſummus ille apex libertatis quâ voluntas quaſi pleniſſimo æquilibrio frue-

fruebatur, ſit deperditus; ita ut voluntas, cui omnia erant antea ſubjecta, nunc faciendo bonum trahatur à gratia,& faciendo malum trahatur à concupiſcentia.

Proximam proindè in ſtatu innocentiæ habebat homo indifferentiam ad bonum & malum: modò ad bonum habet tantum remotam; & quidem malum nunc facere poteſt per vires naturæ, bonum verò non ſine auxilio ſupernaturali & merè gratuito ejus, qui dicit; *Sine me nihil poteſtis facere*: undè nec ſpiritus ille ſemper, ſed ubi vult ſpirat: quod pulchrè S. Thom. 2. 2. quæſt. art. 5. docet his verbis: „Quod quidem auxilium cuicumque datur, „ miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati.

Petes, an homo in ſtatu naturæ lapſæ ſit indifferens ad peccandum ſine gratia Dei.

Reſp. omninò; tam quoad ſpeciem, quam quoad exercitium: poteſt enim facere peccatum hujus vel illius ſpeciei, item unum & idem peccàtum facere vel omittere v. g. dum tentatur ad ebrietatem vel luxuriam, poterit ex timore infamiæ, vel vanâ gloriâ omittere, & & clavum clavo pellere, idque etiam ſine ulla Dei gratia; poterit quoque obtinere victoriam ab omni prorſus peccato, ſed non ſine ſpeciali Dei gratia, quæ licet nobis non ſemper adſit dum volumus, eſt tamen in noſtra quodammodo poteſtate: nam quod poſſumus per amicos, per nos poſſumus, de quibus plura in materia de gratia.

DUBIUM IV.

Quotuplex ſit liberum arbitrium.

RESP. duplex; actu nimirum & potentiâ; quo modo viſus alius eſt actu, alius potentiâ: hunc habet, qui de nocte incluſus tenebricoſo cubiculo oculos habet, quibus, cum lux adfuerit, poterit videre: iſtum habet, cui ſuppetunt omnia prærequiſita, etiam ipſum lumen, ad hic & nunc videndum.

Petes, quid ſit liberum arbitrium actu.

Reſp. eſt potentia, quæ omnibus ad agendum prærequiſitis ex parte principii activi & antecedentis ſic agit, ut ſimul retineat poteſtatem non agendi.

Petes, quid ſit liberum arbitrium potentiâ.

Reſp. eſt naturalis facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere.

Petes, an utraque definitio ſit intelligenda in ſenſu compoſito, vel diviſo.

Reſp. hac in parte diverſos diverſimodè ſentire; & quidem aliqui exiſtimant quaſi certum has definitio-

finitiones debere intelligi in ſenſu compoſito; ita quidem ut cum omnibus ad agendum prærequiſitis ſimul ſtet componi conſenſum vel diſſenſum, adeoque verificari hoc poſſit; Omnia ad agendum prærequiſita adſunt, & cauſa libera non agit. Perinde ad hæc; omnia ad agendum prærequiſita adſunt, & cauſa libera agit.

Pro quorum majori explicatione præmittendum, tunc propoſitionē aliquam habere ſenſum compoſitum, quando duæ formæ per extrema propoſitionis ſignificatæ intelliguntur ſimul poni in eodem ſubjecto: tunc vero ſenſum diviſum, quando ſubjectum ſub una forma intelligitur eſſe in potentia in ordine ad aliam.

Ex quo ſequitur hanc propoſitionem eſſe falſam in ſenſu compoſito, Poſſibile eſt ſedentem currere: quia nimirum hoc ſenſu ſignificatur ſeſſionem ſimul poſſe componi cum curſu in eodem homine: ſicuti & hanc; „Poſſibile eſt voluntatem „ humanam divinâ gratiâ præven„tam diſſentire: „ quia ſignificatur hoc ſenſu motionem Divinæ gratiæ ſimul poſſe componi cum diſſenſu

Sequitur 2. dictas propoſitiones eſſe veras in ſenſu diviſo, quo ſignificatur; Sedentem cum ſua ſeſſione ſimul retinere potentiam currendi: item, præventum Divinâ gratiâ ſimul retinere potentiam diſſentiendi.

Petes, quo ſenſu ſit vera hæc propoſitio; Juſtus non poteſt peccare mortaliter.

Reſp. in ſenſu compoſito, quo nimirum ſignificabitur ipſum non poſſe conjungere juſtitiam ſimul cum peccato mortali.

Petes, an indè non ſequatur ipſum non eſſe liberum ad peccandum mortaliter.

Reſp. nequaquam: quia eſto neceſſitetur in ſenſu compoſito ad non peccandum, nequaquam tamen in diviſo. Unde hæc propoſitio; juſtus poteſt peccare mortaliter; eſt vera in ſenſu diviſo, quo ſignificatur, quod juſtus, manens juſtus, retineat potentiam peccandi mortaliter.

His præſuppoſitis: nequaquam adhæremus iis qui exiſtimant has definitiones intelligendas eſſe in ſenſu compoſito; quin è contra aſſerimus illas intelligendas eſſe in ſolo ſenſu diviſo, idque ob ſequentes rationes.

1. Quia in ſenſu compoſito intellectæ contrariantur plurimis fidei noſtræ articulis; nam ſi ad utrumque oppoſitorū oporteat voluntatem noſtram in ſtatu naturæ lapſæ æque proximè eſſe completam ad agendum & non agendum ad hoc ut ſit libera, poſſitque cum omnibus ad agendum prærequiſitis componere conſenſum & diſſenſum, ſequitur per lapſum Adæ nullam contractam eſſe voluntatis infirmitatem, & con-

L 2 ſequen-

ſequentes adhuc integras exiſtere voluntatis vires, quod profectò capitaliter medicinali Chriſti gratiæ adverſatur; prout hoc in omnibus ſuis ſcriptis mordicus defendit S. Auguſtinus, aſſerens proximam indifferentiam quam habebat homo in ſtatu naturæ integræ per Adæ peccatum eſſe deperditam.

2. Sequitur nullum eſſe diſcrimen inter gratiam hominis ſani & hominis infirmi; quo ſublato, corruit totum ædificium gratiæ Chriſti: quam S. Auguſt lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12 appellat, *Adjutorium quo*, ſive *actionis*, nimirum quod infallibiliter infert actionem; alterum verò quod nempè datum fuerat homini ſano, appellat, *Adjutorium ſine quo non* quod illi dabat poteſtatem proximè indifferentem ad agendum & non agendum. „tale quippè erat adjutorium quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit ut homo habeat juſtitiam ſi velit: Secunda ergo plus poteſt, quia etiam fit ut velit. „ Et lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. cum loqueretur de perſeverantia in bono & ſuperandis tentationibus ait „non eſt hoc in viribus liberi arbitrii quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet. „

3. Medicinalis Chriſti gratia infaillibiter infert actum, utpotè ab eo inſeparabilis, dicente S. Aug. lib. de Corrept. & gratia cap. 10. „Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter operetur: cum illa proinde non conſiſtit proxima potentia ad agendum & non agendum, ita ut ſimul poſſint hæc duo componi; *Omnia ad agendum prærequiſita adſunt; & voluntas non agit.*

Quomodò autem prædeterminatio phyſica non deſtruat, ſed potius adſtruat diſcrimen inter adjutorium quo, & ſine quo non, pulchrè demonſtrat Philaletes in ſuo Thomiſtarum triumpho.

4. Sequetur mundum cum omnibus creaturis quæ in eo ſunt non eſſe creatum à Deo liberè; eoquod unum ex prærequiſitis ad illum in tempore creandum fuerit æternum Dei decretum de illo condendo; cum quo tamen impoſſibile eſt poni non creationem mundi.

5. Sequetur omnibus deberi gratiam proximè ſufficentem ad obſervationem præceptorum, quorum alioqui violatio ipſis imputari non poſſet, ut potè non libera.

6. Sequetur voluntatem eo inſtanti quo agit, ut ſalvetur illius libertas, debere eſſe inſtructam duplici judicio, nempè ad agendum, & non agendum; quod perindè eſſet ac ſi diceretur, viatorem in bivio conſtitutum, poſtquam ſe deter-

determinavit quam viam velit ingredi non poſſe libere illam ingredi, niſi perpetuò reſpiciat aliquam viam, quod falſum eſſe docet experientia.

7. Sequetur quod plurimæ actiones, quæ paſſim vocantur humanæ & liberæ, eſſent neceſſariæ; & peſſimorum hominum acta, quæ nimirum cum tanto fervore perpetrant, ut de contrario non cogitent, non eſſe peccata; prout nec piarum animarum in meditatione vel contemplatione abſorptarũ orationes, non eſſe meritorias vel liberas; eoquod de contrario non cogitent.

Alio proinde ſenſu in hoc ſtatu naturæ lapſæ liberum noſtrum arbitrium habet indifferentiam contrarietatis & contradictionis, nempè remotam: undè quantumvis aliquis gratiæ delectatione determinetur ad bonum, retinet tamen ſimul poteſtatem ad faciendum malum in ſenſu diviſo. Pari modo, qui deſtitutus eſt divinâ gratiâ, poteſt bene facere, non quidem proximè, quaſi gratiâ ſufficiente ſemper præmunitus, ſed quia quâcumque tandem peccati voluptate trahatur, remanet nihilominus in illo naturalis capacitas & potentia ad credendum, ſperandum, & amandum Deum: & hoc ſenſu alloquimur & adhortamur peccatores, ut ſperent, credant, & ament, & doleant de peccatis ſuis; non quaſi per hoc velimus ſignificare illis adeſſe illam immediatam poteſtatem bene agendi, quam tribuit divina gratia, ita ut quaſi ſolo nutu voluntatis accedente, ſequatur ejus influxus; ſed ut ſignificemus eos, quos alloquimur & adhortamur, habere liberum arbitrium, quo præceptum fieri, vel non fieri poſſit; & mediante noſtrâ exhortatione ſciant, quo debeant ſuam voluntatem convertere.

Ex quibus omnibus patet, quod quamvis omnes Catholici ad eſſentiam libertatis à neceſſitate requirant indifferentiam, diverſimodè tamen illam à diverſis explicari; quibuſdam ad illius eſſentiam requirentibus indifferentiam proximam ad agendum, & non agendum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis; aliis verò requirentibus ſolam remotã: quæ poſterior, cum ſit conformior Scripturæ Sacræ, & SS. Patrimus, illi adhæremus.

Dices; ſi in ſtatu naturæ lapſæ ſufficiat indifferentia remota ad libertatem, & ſatis ſit quod homo, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit agere & non agere in ſenſu diviſo, voluntas non erit magis libera reſpectu actus ad quẽ à Deo movetur, quam ignis ad calefaciendum, vel candela ad lucẽdum; ſic enim ignis calefacit, & candela lucet ut poſſint in ſenſu diviſo non calefacere, & non lucere.

Reſp. negando antedecens cum ſua confirmatione: nam ignis eo ipſo quo calefacit, & candela eo ipſo

quo lucet, non habent ſimul potentiam ad non lucendum, vel non calefaciendum: nec refert quod poſtmodum non calefaciant, neque luceant, ſi unum ex prærequiſitis deſit v. g. approximatio: quia illa potentia non calefaciendi, vel non lucendi, non eſt ſimul cum igne calefaciente, vel candelâ lucente; ſed eſt potius impotentia agendi proveniens ex defectu alicujus ad agendum prærequiſiti: & ita ceſſatio ab actu non provenit ex intrinſeca vi & poteſtate; quod tamen requiritur ut agens ſit liberum. Undè voluntas, poſitâ divinâ motione per gratiam efficacem, adhuc manet libera, quia retinet intrinſecam potentiam ad diſſentiendum in ſenſu diviſo, id eſt voluntas etiã ſub gratiæ efficacis motione conſtituta, verè poteſt diſſentire quia habet potentiam diſſentiendi, ſed nunquam diſſentiet ſtante illa gratia quæ operatur conſenſum. Sicuti homo ſtans habet veram potentiam ad ſedendum: ſed quæ non exibit unquam in actum quamdiu in homine illo manet ſtatio. Et ſicuti homo ſtans actu poteſt ſedere abijciendo ſtationem: ita actu poteſt diſſentire abijciendo ſeu relinquendo actionem gratiæ ſequendo cupiditatem. Talem potentiam non habet ignis, dum ardet vel candela, dum lucet.

Dices: hæc propoſitio; *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat; liberè tamen fit*; eſt à Pio V. in Bayo damnata; ergo.

Reſp. dictam propoſitionem pati diverſos ſenſus juxta diverſam acceptionem vocis, *neceſſariò*; quæ ſi accipiatur pro neceſſitate naturali, qualem patiuntur bruta in actionibus ſuis, meritò illam damnavit Pontifex: quo ſenſu ea olim in Manichæis, Petro Abaillardo, & Wicleffo damnata eſt: ſi verò illa vox, *neceſſariò*, importet ſolam neceſſitatem in ſenſu compoſito, prout nos ſumimus, eſt veriſſima: nec à Pio V. in hoc ſenſu damnata, utpotè in Scholis Tomiſtarum receptiſſima.

Petes: quo ſenſu hæc propoſitio eſt damnata; *Sola violentia repugnat hominis libertati naturali.*

Reſp. hoc; ſi violentia ſumatur rigorosè pro eo, quod fit à principio extrinſeco, paſſo reſiſtente; quo modo eam accipit Calvinus: quia non tantum hæc, ſed & mollior quædam coactio, qualem patiuntur bruta à natura, dum determinantur ad unum, repugnat hominis libertati.

Petes, an liberum arbitrium actu ſit reſpectu præſentium, an verò reſpectu futurorum.

Reſp. etiam reſpectu præſentium; alioquin enim nullæ actiones fierent liberè: cum nullæ fiant niſi actu præſentes: inſuper tunc homo propriè exercet libertatem actu, quando in præſenti vult, vel eligit aliquid, quod poteſt non velle, vel non eligere; proindè voluntas ſic eſt libera, ut eo inſtanti

quo

Digitized by Google

quo actionem eligit, poſſit eam non eligere.

Petes: ſi libertas à neceſſitate conſiſtat in indifferentia ad oppoſita, ut explicatum eſt, quomodo ſalvabitur libertas Dei, quæ nullo unquam tempore fuit indifferens; utpotè, qui ab æterno quidquid voluit, fecit ſeque ab æterno ad hoc determinavit.

Reſp. ipſum velle Dei duobus modis poſſe conſiderari; primò, ut idem ſit quod liberum, quomodo non eſt quid liberum, ſed neceſſarium: ſecundò prout dicit ordinem ad objectum creatum: hinc dum dicimus, *Deus vult liberè hoc vel illud*; non ſignificamus rem illam, quæ eſt *velle* in Deo, eſſe liberam; ſed ſignificamus Dei *velle* non neceſſariò terminari ad rem iſtam; nec refert voluntatem divinam ab æterno eſſe determinatam quoad ſe abſolutè; quia reſpectu objecti creati non eſt niſi determinata ex hypotheſi: cum qua neceſſitate benè conſiſtit, quod aliter circa illud objectum potuerit ſe habere.

Dices: arbitrii libertas conſiſtit in velle, & non velle idem; ſed hoc repugnat Dei immutabilitati.

Reſp. velle, & non velle in Deo non ſignificant mutationem actus, ſed quod terminetur, vel non terminetur ad tale objectum.

Pro majori elucidatione divinæ libertatis notandum, non eſſe de eſſentia liberi arbitrii poſſe velle bonum & malum, ut diximus antè; item poſſe nunc velle aliquid & poſtea non velle; aut non poſſe eligere niſi præcedat conſultatio; ſed ſatis eſt quod quis habeat optionem, & electio fiat cum pleno rationis judicio. Quarè velle bonum & malum, ſpectat ad liberum arbitrium, prout eſt in natura creata, quæ, quia ex nihilo facta eſt, poteſt deficere & peccare: idem dicendum de actus mutatione; poſſe ſiquidem actum mutare, & nunc nolle, quod antea volui, eſt liberi arbitrii in natura creata, quæ quia ex nihilo facta eſt, obnoxia eſt mutationi: denique quod electionem præcedat conſultatio, ſpectat ſolùm ad illam naturam, quæ parat ſibi ſcientiam ratiocinando: undè angeli, qui ſimul cognoſcunt effectum & cauſam, non egent conſultatione, ſed ſimul conſilium capiunt, judicant, & eligunt.

DUBIUM V.

An indifferentia ad libertatem hominis viatoris requiſita excludat omnem omnino præviam prædeterminationem ab extrinſeco.

Reſp. negativè, ſed tantum violentam, & naturalis neceſſitatis: licet enim ſit contra rationem cauſæ liberæ determinari ſolū ab extrinſeco, eoquod per conſilium & deliberationem debeat ſemetip-

metipſam determinare ad actum; non eſt tamen contra naturam ejus antecedenter determinari ab aliquo, quod eam determinat ſecundùm ſuam naturam: quo modo eam movet & determinat Deus, qui tamquam cauſa prima ut inquit S. Thom. movet quamlibet cauſam ſecundam ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ; quippè qui non ſit deſtructor, ſed conſervator naturæ; ac proinde cauſam ſecundam liberam movet liberè, contingentem contingenter, neceſſariam movet neceſſariò, non tantum attingens ipſam actus ſubſtantiam, ſed & modum ipſius actus, ſcilicet libertatem, neceſſitatem, & contingentiam; adeoque efficit ut voluntas hominis liberè operetur, & appetitus bruti neceſſariò; quod pulchrè S. Ambroſius lib. 10. Epiſtolarum epiſt. 84. ad Demetriadem declarat, dum ait; quamvis omnium ſit auctor Deus, ita ut illi dicere poſſimus cum Iſaia; *Omnia opera noſtra operatus es Domine*; ac eapropter videatur tolli liberum arbitrium, hoc ſcias, inquit, dum in te operatur Deus, tuam movens voluntatem, eamque efficaciter ad bonum determinat, non tibi liberum tollit arbitrium; ſed illud adjuvat, fovet, ac corroborat, ut poſſis id quod ſine illius gratia tibi foret impoſſibile: ipſo operante, inquit: adjuvatur, non aufertur liberum arbitrium; quod idem S. Doctor pulchrè oſtendit in figura ſolis, qui tamquam cauſa quædam univerſalis per ſuas influentias movet omnes cauſas ſublunares ſecundum exigentiam ſuarum naturarum v. g. in arbore pyro, producens pyra; in ceraſo, ceraſa; non deſtruendo naturas arborum, ſed illas conſervando: quamvis enim arbor ſit quę realiter flores & fructus germinat, non aliter tamen id facit niſi virtute ſolis, ita ut totum quod arbor operatur & agit, totum agat fota, mota, & adjuta à ſole, qui per ſuas influentias illam intrinſecè movet. Quid ergo mirum, vel quæ implicantia in hoc, quod Deus, qui eſt infinitæ potentiæ, voluntatem humanam antecedenter determinet, & tamen illam faciat liberè operari ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ.

DUBIUM VI.

An Voluntas in liberis ſuis actionibus pendeat ab ultimo judicio practico dictante hoc vel illud hic & nunc eſſe faciendum vel omittendum.

RESp. Affirmativè. Ratio eſt; quia cum voluntas ſit appetitus rationalis, non poteſt aliquid eligere niſi prævio rationis judicio, eò quod objectum electionis ſit bonum judicatum ut conveniens; proinde ſi illud judicium ſit indeterminatum, ipſa quoque voluntas erit inde-

indeterminata, ac proinde nec procedet ad electionem : ſi verò illud judicium ſit determinatum, voluntas quoque erit determinata ; nam alioqui daretur electio ſine objecto : ex quo ſequitur voluntatem neceſſariò debere eligere quod judicium practicum dictat eligendum, ne alioqui detur actio voluntatis ſine objecto ; quod probatur à ſimili ; quia ideo appetitus ſenſitivus tam in homine quam in bruto eſt ad unum determinatus, quia ipſa imaginativa eſt ad unum determinata.

Petes, quomodo cum hoc judicio practico conſiſtat voluntatis libertas.

Reſp. ex eo quod cum hoc judicio voluntas adhuc retineat facultatem ad non agendum , licet non proximam ; eoquod intellectus poſſit adinvenire rationes ob quas voluntas poterit facere oppoſitum , ad quas indagandas voluntas poterit imperare intellectui : facilius tamen reſpondetur hoc judicium practicum non officere libertati, eoquod illud ipſum ſubſit imperio voluntatis, quæ illud ita imperat de hoc medio eligendo , ut aliud de alio medio eligendo poſſit imperare.

Pro quo notandum intellectum plerumque non determinari ad judicium practicum ab ipſa terminorum evidentia , vel vi conſequentiæ ſyllogiſticæ , ſed ex imperio voluntatis mandantis intellectui ut ita judicet : hinc habitus prudentiæ , quo utitur intellectus in formando judicio practico , ſubeſt imperio voluntatis : ex quo natum illud Axioma , *Quilibet judicat prout eſt affectus* ; ſic enim voluntas hominis caſti vel ſobrii movet intellectum ut judicet , non tantùm ſpeculativè bonum eſſe ſobriè & caſtè vivere , ſed & ut practicè judicet ſibi eſſe ſobriè & caſtè vivendum : luxurioſus verò & ebrioſus , etſi ſpeculativè optimè noverit bonum eſſe ſobrie & caſtè vivere, voluntas tamen ejus , per concupiſcentias corrupta , flectit intellectum ut judicet hic & nunc, contra dictamen prudentiæ & conſcientiæ, luxurioſè & ebrioſè vivendum.

Dices: ſi voluntas imperet intellectui judicium practicum, indigebit alio judicio practico ad illud imperium, & ſic dabitur progreſſus in infinitum.

Reſp. non ad omnes actiones voluntatis debere præcedere judicium practicum , ſed tantum ad electionem mediorum , & intentionem finis , ſuper quorum bonitate intellectus ſeſe expreſsè reflectit : hinc ubi anima per intellectum utilitatem medii eligibilis ſpeculativè cognovit, poteſt ſtatim imperare intellectui ut judicium practicum de tali medio eligendo eliciat.

Dices : experientià conſtat quod voluntas ſæpè non ſequatur

TRACTATUS VI.

De Cauſis impedientibus voluntarium & liberum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Violentia.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Violentum.

RESP. quamvis violentum & coactum ſæpe ſumantur pro eiſdem, tamen in rigore habent ſe ut magis & minus communia; ita ut violentum latius pateat quam coactum.

Quid violentum. Violentum latè ſumptum, eſt quod procedit à principio extrinſeco reſiſtente paſſo: vel clarius ſic; eſt quod fit à principio extrinſeco contra appetitum innatum vel elicitum ipſius paſſi; ſic enim motus lapidis ſurſum eſt illi violentus, quia infertur à cauſa extrinſeca contra ejus appetitum innatum, nempè contra naturalem inclinationem quà propendet deorſum.

Quid coactū. Coactum eſt, quod procedit à principio extrinſeco contra appetitum elicitum ipſius paſſi: unde habet ſolum locum in brutis, hominibus, & angelis: bruta etiamſi in appetitu ſuo elicito non patiuntur rigoroſam aliquam coactionem, patiuntur tamen laxiorem aliquam & molliorem; quatenus nimirum vim patiuntur à natura, dum eorum actiones effræni quodam impetu ab ipſis egrediuntur nullo exſpectato, imperio, qualem voluntas humana relicto ſuo connaturali agendi modo, pati non poteſt; in actibus ſuis elicitis; quæ nihilominus tamen moralem quamdam coactionem contra quamdam imperfectam & inefficacem voluntatem pati poteſt: talem enim habuit S. Petrus dum Chriſtum negavit; talem quoque habet voluntas humana quotieſcūque prævio rationis judicio in actibus ſuis imperatis impellitur à cauſa extrinſeca ad aliquid faciendum vel omittendum; hæcque coactio premit, ſed non perimit voluntatem.

DUBIUM II.

An voluntati poſſit inferri violentia.

RESP. voluntatem in actibus ſuis elicitis non poſſe pati violentiam; ſiquidem actus à volun- Voluntas humana

in actibus ſuis elicitis cogi non poteſt.

luntate elicitus eſt eſſentialiter voluntarius, & conſequenter ſecundùm inclinationem voluntatis: inſuper, quia violentum debet à principio cauſari tantum extrinſeco, actus autem à voluntate elicitus eſt vitalis, ac proinde procedens à principio intrinſeco.

Petes, an voluntas ſaltem non poſſit neceſſitari ad actus elicitos, ita ut illos eliciat ſine indifferentia ad oppoſitum.

Poteſt tamen neceſſitari.

Reſp. Affirmativè abſolute loquendo: idque duplici modò, nempè ab intrinſeco & extrinſeco: prior modus patet in anima beata neceſſitata ad amandum Deum: poſterior modus non repugnat divinæ potentiæ; ſiquidem voluntas creata non minus ſubditur divino imperio, quam reliquæ potentiæ naturales: ſed hæ ita ſubduntur ut neceſſitentur ad executionem; nam ſic Deus poteſt imperare igni ut non ardeat, aquæ frigidæ ut calefaciat; ergo & idem poteſt voluntati imperare; quo caſu illa ſe non determinabit ad operandum, ſed determinabitur à Deo illam movente & applicante.

Petes, in quo differat hæc motio ab ea quâ Deus cauſam ſecundam efficaciter determinat & movet ad aliquem actum.

Reſp. in hoc, quod hæc attemperetur naturæ ipſius voluntatis, & modo operandi qui illi convenit ſecundùm ſuam naturam; ita ut quamvis ex illa motione infallibiliter ſequatur actio voluntatis, non tamen hæc ſequatur à voluntate ad unum determinatâ more brutorum, ſed ſemetipſam determinante prævio rationis judicio; prior verò motio voluntatem ad unum determinaret nullum ipſi relinquendo indifferentiam.

Petes, an voluntas in actibus ſuis elicitis poſſit à Deo impediri.

Poteſt voluntas impediri quo minus actum eliciat

Reſp. Affirmativè, idque duobus modis: quod ut intelligas, nota voluntatem ad hoc ut actum aliquem eliciat indigere duobus, ſcilicet objecto ſibi propoſito, & motione cauſæ primæ; ſed hæc duo illi poſſunt per Deum auferri; & quidem quoad primùm poteſt Deus vel diſtrahere intellectum, vel illi auferre ſpecies, ita ut non cogitet de objecto: ſecundò licet intellectus objectum proponat voluntati, poterit Deus ſubſtrahere ſuam motionem, quo caſu voluntas non magis feretur in objectum, quam ignis fornacis Babylonicæ in tres pueros: quo modo quidam Doctores putant confirmatos in gratia non poſſe peccare; etſi enim bonum delectabile apprehendant, & voluntas ad illud ab appetitu ſenſitivo ſollicitetur, tamē Deo illam non movente, illa non poterit conſentire.

Petes, an voluntas hiſce duobus modis non patiatur violentiam.

Reſp. nequaquam quoad primum;

mum; eoquod ſit naturale cuique potentiæ non operari ſubſtracto objecto; undè non eſt violentum viſui non videre, ſubſtracto viſibili. Quod verò attinet ad ſecundum modum, putant Almainus, & alii Doctores voluntatem pati violentiam; nam ſicuti poteſt vis alicui rei inferri, inquiunt, inferendo ei ab extrinſeco aliquod poſitivum contra appetitum ejus innatum vel elicitum; ita quoque poteſt vis illi inferri, aiunt, auferendo aliquid poſitivum contra propriam ipſius inclinationem, quod fit per potentiam cauſæ ſuperioris ſuſpendentis influxum quem cauſa inferior poſtulabat; quo modo dici poteſt ignem Babylonicum per vim prohibitum ab urendo parvulos.

Dices: ſecundùm hæc nulla quoque potentia vitalis poterit cogi in actibus ſuis; adeoque nihil particulare dicetur de voluntate; nam omnes actus eliciti ab ejuſmodi potentiis vitalibus procedunt efficienter ab ipſis, & ſunt quædam inclinationes in ſua objecta.

Duplex potentiarum voluntati ſubordinatarum inclinatio.

Reſp. duas in potentiis voluntati ſubordinatis diſtinguendas eſſe inclinationes; nempè unam particularem, quæ eſt propenſio ad propriam perfectionem & ad proprium actum, (nam quælibet res naturalem habet inclinationem ad propriam perfectionem) alteram verò univerſalem, quæ eſt inclinatio ab bonum totius ſuppoſiti, & ad obediendum voluntati, cui, ut dominæ, reliquæ potentiæ naturaliter ſubordinantur: reſpectu prioris inclinationis cogi non poſſunt, nam omnis actus alicujus potentiæ eſt ſecundum particularem ipſius inclinationem: reſpectu verò poſterioris cogi poſſunt & coguntur eo ipſo quo operantur contra inclinationem & imperium voluntatis: v. g. pedes alicujus vi compelluntur progredi ad adorandum idolum, quod voluntas non vult; quo caſu potentia progreſſiva habet naturalem inclinationem ad producendum greſſum; operatur tamen contra naturalem inclinationem, quam habet ad obediendum voluntati; & ita potentia illa ſimpliciter dicitur cogi, in quantum agit contra imperium voluntatis: nam cum actiones ſint ſuppoſitorum, illa operatio vocatur naturalis, vel violenta, quæ fit ſecundum vel contra inclinationem ipſius ſuppoſiti, quæ eſt inclinatio ipſius voluntatis.

Dices: poteſt per Deum in voluntate poni aliquis habitus ipſâ actu elicito repugnante: v. g. habitus charitatis, vel fidei; vel illa ſeſe merè paſſivè habente.

Reſp. concedendo totum; quod tamen dictis noſtris non contrariatur, quia cum ille actus, vel habitus non ſit à voluntate elicitus; ipſa in actu ſuo elicito non patietur violentiam.

Petes, an voluntas poſſit pati vio-

violentiam in actibus ſuis imperatis.

Reſp. Affirmativè : non quaſi actus aliqui poſſit à voluntate imperari, & illi eſſe violentus, nam eoipſo quo pendet à voluntatis imperio, jam non eſt à principio voluntati tantum extrinſeco; ſed alio ſenſu, nimirum quod actus illi qui ſolent ad imperium voluntatis in aliis potentiis animæ cauſari, poſſint à principio extrinſeco contra reniſum ipſius voluntatis cauſari; ſic enim poteſt voluntas pati violentiam in viſu, auditu, odoratu, intellectu, imaginativâ &c. Ratio horum eſt, quia motus illi qui à voluntate ſolent imperari, ordinariè non pendent phyſicè à voluntate, ſed ab aliis potentiis, à quibus producuntur; quæ ab agente extrinſeco poſſunt applicari ad actum voluntate retinente, ſic enim vis per violentiam infertur manibus, pedibus, auribus &c.

DUBIUM III.

An violentia cauſet involuntarium abſolutum.

RESP. Affirmativè: ſenſus eſt, quod effectus in nobis violenter cauſatus nobis ſit abſolutè involuntarius, prout patet ex definitione violenti.

Dixi abſolutè; quia duplex eſt involuntarium; ſcilicet ſimpliciter & ſecundum quid: prius eſt, quod omnibus conſideratis & attentis, voluntas non vult; poſterius verò eſt, quod voluntas non vellet, ſi abeſſent aliquæ circumſtantiæ, quibus tamen poſitis illud vult. Itaque violentum eſt ſimpliciter & abſolutè involuntarium. Ratio eſt, quia ut dicatur violentum debet procedere à principio tantum extrinſeco, id autem quod voluntarium eſt debet à voluntate procedere, adeoq; non poteſt illud quod eſt ſimpliciter violentum eſſe voluntarium. Quid in voluntarium ſimpliciter & involuntarium ſecundum quid.

Ex quo infer, quod quidquid agimus vel patimur ab externa aliqua cauſa compulſi, repugnante voluntate quantum poteſt & debet, nobis non imputari ad peccatum, utpotè violentum, adeoque involuntarium.

Petes, quid ſi puella per vim & violentiam ſtupretur, & illa non clamet, nec renitatur cum commodè poſſit, an ſtuprum illud non imputabitur illi ad peccatum? ſimiliter ſi quis violentè cogatur flectere ante idolum, adire templa & conciones hæreticorum?

Reſp. in omnibus hiſce exemplis bene eſſe notandum non eſſe ſatis quod aliquis voluntate & animo interno diſſentiat ad hoc ut cenſeatur non peccaſſe, ſed oportere inſuper quod ab actu externo intrinſecè malo abſtineat quantum poſſibile eſt: proinde tunc ſolùm quis erit immunis à peccato quando non ſolùm volũtate repugnabit, ſed & cæteras corporis vires ab actu externo ma-

malo, quantum ipſi poſſibile eſt, removebit: quod ſi verò ipſis mẽbris externis vis inferatur, nullum erit peccatum. Ex his collige quod ſi quis voluntate diſſentiat, & interim actu externo idola veneretur, indubiè peccabit mortaliter, ſi verò thuribulum per violentiam manibus ejus imponatur, & per vim illæ agitentur ad thurificandum idolo, erit ipſe immunis à culpa: idem dic de puella conſtuprata, ſi enim illa obniti clamore, manibus, pedibus, vel alio modo poſſit, non erit ſatis animo & voluntate reniti, ut hoc ſtuprum illi non imputetur ad culpam; quam ut evadat neceſſe erit clamore, manibus, vel alio quocumque corporis motu vim illatam depellere.

Petes, quid ſi ex vociferatione, vel aliâ corporis reſiſtentiâ immineat illi periculum vitæ vel infamiæ, an tenebitur vociferari vel alio quovis modo reſiſtere, ut ſit immunis à peccato.

Quandonam puella, cui ſtuprum intentatur teneatur vociferari &c

Reſp. ſi ſubſit in illa periculum conſenſus, quale ordinariè in tam fragili ſexu ſubeſt, eam teneri cum periculo vitæ & infamiæ vociferari, vel alio quovis modo reſiſtere; eo quod exponere ſeſe proximo periculo conſenſus in pecatum ſit prohibitum præcepto naturali negativò, quod ſemper obligat: quod ſi verò puella procul abſit à conſenſu (quod tamen in praxi eſt difficillimum, nec facilè credibile) tunc ſi ex vociferatione, vel aliâ corporis reſiſtentiâ timeretur periculum vitæ vel infamiæ, poſſet ſeſe ob hanc juſtam cauſam permiſſivè habere; quod quia in fœminis in hiſce circumſtantiis eſt rariſſimum, quod ſe non exponant periculo conſentiendi, ideo illis à Confeſſario ſemper eſt conſulendnm ut viriliter, & quantum poſſunt reſiſtant, & cum manifeſto mortis periculo caſtitatem & Dei amicitiam corruptibili vitæ proponendo, dicant cum B. Lucia; *ſi invitam juſſeris violari, caſtitas reputabitur mihi ad coronam.*

Ex dictis patet, eſtque pro praxi bene notandum, quod voluntas poſſit frequenter phyſicè repugnare & reniti, & interim moraliter conſentire in actum quem violenter videtur pati, qui illi, utpote voluntarius, imputabitur; ut patet in antedicto puellæ exemplo per vim ſtupratæ, interno quidem voluntatis actu renitentis, non tamen externo actu reſiſtentis, ſed permiſſivè ſe habentis; patet quoque hoc in illis, qui aliquando in corpore patiuntur motus inhoneſtos voluntate quidem phyſicè repugnante, ſed negligente tollere cauſam in qua dicti motus illi ſunt voluntarii.

In foro externo violentia debet probari.

Adverte hic pro foro externo numquam præſumi violentiam niſi probetur; ſi enim delictum ſecundum jura numquam præſumatur, neque hoc delictum, quod naturæ contrarium eſt, erit præſumendum.

QUÆS-

fit ex metu acceptum cum omnibus ſuis circumſtantiis eſt abſolutè volitum : quod indè patet, quia ex vi illius volitionis homo abſolutè ſe applicat ad opus externum v. g. ad ejectionem mercium in mare ex navi metu naufragii ; ad traditionem burſæ militibus metu mortis : eapropter hæc, ejectio mercium, & traditio burſæ, in hiſce circumſtantiis, nempe tali loco, & tali tempore, ſunt abſolutè voluntaria ; & tamen ſecundum quid etiam ſunt involuntaria : quia nempè nudè, extra haſce circumſtantias conſiderata, diſciplent voluntati.

Petes, an hæc regula ſit generalis, nempè quod omne id, quod ex metu fit, ſit involuntarium ſecundum quid.

Quod fit ex puto metu ſemper eſt involuntarium ſecundum quid.

Reſp. affirmativè : nimirum intelligendo regulam de eo quod fit ex puro metu, nullo alio adjecto motivo ; & hoc ideo, quia id quod fit ex puro metu non habet aliquam rationem boni præterquam evaſionem mali, ob quam appetatur; vel certe ſi habeat aliam, illa non attenditur. Adeoque ſi metus abeſſet voluntas illud non vellet.

Præterea, in actu ex puro metu facto, reperitur ratio boni & mali, ut patet in exemplo projectionis mercium in mare ; nam quatenus mercator ex hoc actu incurrit grave damnum, ſubeſt ratio mali ; quatenus verò hic actus aſſumitur à mercatore tanquam medium ad conſervandam vitam, reperitur ratio boni ; ac proinde in eodem actu reperiuntur motiva ad volendum & nolendum quæ ſunt principia voluntarii & involuntarii.

Petes ; quid ergo dicendum ad diſtinctionem aſſignatam à Wiggers, quâ ſtatuit id quod fit ex metu tunc tantum eſſe involuntarium ſecundum quid, quando id nullam habet rationem boni, ſaltem quæ voluntati probetur, præter evaſionem mali : tunc verò non eſſe involuntarium ſecundùm quid, quando opus quod ex metu fit, habet aliquam rationem boni, quæ voluntati probetur ultra evaſionem mali.

Reſp. diſtinctionem illam quidem eſſe bonam, ſed, ſalvo meliori, non eſſe ad rem ; ſiquidem hic ſolùm agimus de eo quod fit ex puro metu, quod dicimus ſemper habere conjunctum involuntarium ſecundum quid : nam ſi inſuper aliquo ratio boni voluntatem moveat, eatenus opus non fit ex metu, ſiquidem metus tunc tantum habet rationem cauſæ impulſivæ, bonitas verò ipſius actus habet rationem cauſæ motivæ.

Pro majori hujus dubii elucidatione nota, metum dupliciter ſe poſſe habere ad actionem, nempè cauſaliter & concomitanter ; metus concomitanter ſe habet quando reperitur ſimul cum actione, ſed non eſt cauſa movens ad illam;

N ſicuti

ſicuti dum quis ex Dei amore ſubit martyrium concomitante timore mortis: tunc verò metus cauſaliter ſe habet ad actionem, quando in illam influit, non quidem phyſicè, ſed moraliter: quatenus videlicet ex propoſitione objecti mali movet voluntatem ad ſic operandum.

DUBIUM III.

An dolor ortus ex ſolo metu gehennæ ſit involuntarius ſecundum quid; & conſequenter inſufficiens ad remiſſionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ.

Dolor ortus ex puro metu gehennę non eſt ſufficiens cumSacramẽto pœnitentiæ.

RESp. Affirmativè; & patet ex ratione ante data: ſicuti enim in projectione mercium in mare ex metu naufragii remanet adhuc aliquis affectus erga merces, ratione cujus illa projectio eſt involuntaria ſecundum quid; ita quoque in abjectione peccatorum ex puro metu inferni remanet adhuc quidam affectus, & ſimplex complacentia erga illa: hinc ait S. Proſper ſententiâ 117. „Qui timore non „peccat, quamvis non noceat illi „cui vult nocere, ſibi ipſi tamen „plurimum nocet; & abſtinens ab „iniquo opere, ſolâ reus eſt vo„luntate:„ inſuper ſententiâ 234. „Quantum ad opera attinet, in„quit, quæ extrinſecus aguntur, „& qui timet pœnam, & qui a„mat juſtitiam, non facit contra „mandatum; & ideò quidem pa„res ſunt manu, ſed diſpares corde; „ſimiles actione, diſſimiles verò „voluntate:„ & S. Auguſt. Epiſt. 144. „Qui gehennam metuit, non „metuit peccare, ſed ardere:„ & Sermone 15. de verbis Apoſtoli. „Qui timore pœnæ, inquit, non „concupiſcit, puto quia concupiſ„cit; & inimicus juſtitiæ efficitur, „qui timore pœnæ non peccat.„

Ex quibus patet neminem ex ſolo pœnæ timore peccatum aliquod ſic poſſe effugere, ut non incidat in aliud.

Dices; Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. approbat contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quæ vel ex turpidinis peccati conſideratione, vel ex metu pœnarum & gehennæ communiter concipitur; diciteque eſſe donum Dei, & Spiritus S. impulſum; & quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe peccatorem ad juſtificationem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.

Reſp. Tridentinum minimè adverſari noſtris dictis; quia non agit de dolore orto ex puro metu gehennæ, ſed de illo, cui metus fuit cauſa impulſiva, ſic tamen ut eliciatur ab altiori motivo; quod patet ex ſeſſ. 6. cap. 6. ubi recenſens modum, quo quis gradatim pervenit ad juſtificationem, poſtulat dolorem

rem ortum ex dilectione Dei tamquam omnis juſtitiæ fontis, eamque dilectionem tamquam diſpoſitionem neceſſariam ad remiſſionem peccati in baptiſmo requirit. Diligere autem Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem, eſt illum diligere non propter rivulos beneficiorum ab ipſo tamquam fonte emanantes; ſed propter ipſum Deum tamquam fontem; hoc eſt, propter intrinſecam ejus bonitatẽ. Sed diſpoſitio requiſita ad remiſſionem peccati in baptiſmo non eſt major illâ, quæ requiritur ad remiſſionem peccati per Sacramentum pœnitentiæ; ergo.

Quid diligere Deum tamquã omnis juſtitiæ fontem.

Præterea quod bene notandum Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. agens de contritione imperfecta, ſeu de attritione, non aſſerit omnem dolorem ortum ex metu gehennæ eſſe donum Spiritus S. & ſufficere cum Sacramento pœnitentiæ; ſed illum ſolùm, qui voluntatem peccandi excludit; qualis nullatenus eſt ille qui oritur ex ſolo metu gehennæ; quia dolor excludens voluntatem peccandi debet eſſe talis, ut cum eo non poſſit ſtare voluntas peccandi; ſed cum attritione ſervili ſimul poteſt ſtare voluntas peccandi, eoquod nullam habeat repugnantiam ſeu oppoſitionem cum voluntate peccandi; ſiquidem eſt actus ſpei; quid verò vetat aliquem ſperare, & ſimul mortaliter peccare? ſicuti quid vetat aliquem credere, & ſimul mortaliter peccare? etenim ſpes Theologica, eſtò habeat oppoſitionem cum deſperatione, nullatenus tamen cum ebrietate, luxuria, aut aliis peccatis.

Sola attritio excludens voluntatem peccandi ſufficit cum Sacramento pœnitentiæ.

Actus ſpei conſiſtit cũ voluntate peccandi, ſicuti & actus fidei.

Præterea attritio ſervilis oritur ex amore ſui ipſius, ſeu concupiſcentiæ, qui non excludit voluntatem peccandi; quia poteſt quis intenſiſſimè ſemetipſum diligere, & nihilominus Deum ſimul mortaliter offendere: ergo & cum attritione ſervili poteſt ſimul conjungi voluntas peccandi; quandoquidem illa non ſit efficacior ſuâ causâ ex qua oritur.

Amor concupiſcentiæ non excludit voluntatem peccãdi.

Præterea, voluntas peccandi nequit excludi niſi per averſionem à peccato; averſio autem à peccato nequit fieri niſi per converſionem ad Deum, quæ fit per ſolum Dei amorem. Solus enim actus charitatis poſitivam habet oppoſitionem ſeu repugnantiam cum quocumque peccato mortali; ſiquidem repugnat Deum per actum charitatis appretiativè ſummè diligere, ſeu omnibus creaturis præferre, & ſimul alicui creaturæ poſtponere: undè ſi amans Deum peccaret mortaliter, ſequeretur hæc oppoſitio, quod amaret Deum ſuper omnia, & non amaret Deum ſuper omnia: Quos actus cum ſit impoſſibile ſimul poni, neceſſe eſt excludi voluntatem peccandi mortaliter, dum adeſt amor Dei ſuper omnia.

Sola charitas excludit voluntatem peccandi.

Ulterius, peccatum, quandocumque diſplicet, debet diſplicere ſub ratione mali; diſplicentia verò

mali oritur ex amore boni oppoſiti: eapropter quando peccatum ſolùm diſplicet ex timore pœnæ, diplicet ſolùm ex amore boni creati, qui amor non poteſt rectificare voluntatem, quippè quæ tantum rectificatur per converſionem ad Deum.

Dices: Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. apertè ſupponit dari poſſe attritionem quæ voluntatem peccandi excludat; dum ait; *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat* &c.

Attritio de qua agit Concil. Trid. non oritur ex puro metu gehennæ.

Reſp. id eſſe verum, ſed negamus illam attritionem, de qua Concil. ibidem agit, pro adæquato motivo ſuo habere ſolum metum gehennæ: quod inde patet, quia dolor, de quo loquitur Trident. talis fuit, *Quo*, ut ait dicto capite, *ſimiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Deo impetrarunt*; qualis nullatenus poteſt eſſe dolor ortus ex puro metu gehennæ, eò quod, conſentientibus etiam adverſariis, ille non ſufficiat ſine Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, neque unquam ſuffecerit.

Præterea aſſerit Concil. Trid. cap. 8. contritionis motum omni tempore ad impetrandam veniam pecccatorum fuiſſe neceſſarium: quod profectò dici non poteſt de dolore orto ex puro metu gehennæ: eapropter dicendum Concilium citato capite agere de dolore qui ſit vera contritio, quam in initio capitis definit eſſe deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero: & quidem hanc contritionem ait quandoque eſſe charitate perfectam, hominemque Deo reconciliare ante ſuſceptionem Sacramenti: hoc ipſo indicans illam ſæpè non eſſe charitate perfectam ante Sacramenti ſuſceptionem: quod aliam ob cauſam non dicit, niſi quia adhuc eſt alia veri nominis contritio, quæ non niſi cum Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum ſufficit: & hæc eſt illa à Concilio deſcripta attritio, ſive contritio imperfecta.

Dices: ſi dolor ortus ex timore gehennæ habeat conjunctam voluntatem peccandi, monendi erunt homines ne ex hoc motivo ſua peccata deteſtentur: malè quoque facient concionatores hæc proponentes.

Quomodo cócionatores debeât inſtruere populum quoad doloré ortum ex metu gehennæ.

Reſp. concedendo totum; intelligendo videlicet, ut antè, de dolore orto ex puro metu: unde potius inſtruendi ſunt, quomodo quidem principium omnis pœnitentiæ fere ſit ex timore, ſed quod in eo non oporteat ſiſtere, ſed gradatim aſcendere ad amorem Dei: prout monet Tridentinum Seſſ. 6. cap. 6. agens de diſpoſitionibus ad juſtificationem requiſitis: qua-

propter

propter dum Trid. Seſſ. 14. cap. 4. attritionem quæ diſponit ad juſtificationem cum Sacramento pœnitentiæ ait communiter concipi ex timore pœnarum, numquam dicit illum concipi ex hoc ſolo motivo; quod patet ex allegato exemplo Ninivitarum, à quibus non eſt impetrata peccatorum venia ſine ullo charitatis affectu: proinde dicto loco agit Concilium de dolore orto ex metu pœnarum, tamquam ex cauſa impulſiva; ex amore verò, tamquam ex cauſa motiva. Quod ulterius probatur; quia recta ratio inſtructa lumine fidei dictat dolorem qui tendit ad reconciliationem debere procedere ex benevolo affectu erga perſonam offenſam; quis enim etiam rudis umquam judicabit bene diſpoſitum famulum furem, non tantum ad delicti veniam ſed etiam ad amicitiam ab hero recuperandam, qui hoc vel ſimili modo ab hero peteret veniam, *Domine, doleo quod te offenderim, eò quod metuam à te puniri & verberari; cæterum de injuria, & de amicitia tua perdita nullum habeo dolorem.* Certè Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. ſatis innuit pœnitentiam chriſtianam ex amore Dei debere procedere, dum fidei, ſpei, & charitati ſubjicit pœnitentiam quaſi ex illis emanantem: nam ut bene ait S. Auguſt. lib. 2. contra adverſ. leg. & proph. c. 7. „Deſiderium „peccandi non exſtinguitur niſi „contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem „operatur.„ Quod alibi clarius explicat, dicens; „Veram pœnitentiam non faciunt niſi odium peccati, & amor Dei.„ Quod inſuper probatur hac ratione; quia voluntas peccandi non excluditur niſi per averſionem à peccato; nemo verò poteſt averti à peccato, niſi per converſionem ad Deum; quæ converſio fieri non poteſt, niſi per amorem Dei; ut adhuc ſupra diximus: ſolus enim affectus charitatis eſt qui poſitivè excludit peccatum, utpote ſolus illi repugnans, & cum illo incompatibilis: quod inde ulterius patet; quia qui amat Deum ſuper omnia, eum quoque ſuper omnia æſtimat, & eum omnibus creaturis anteponit; qui verò mortaliter peccat, Deum creaturæ poſtponit; implicat verò quod unus & idem uno & eodem tempore Deum rebus creatis anteponat, & etiam poſtponat; Deum præ omnibus rebus creatis æſtimet, & non præ omnibus æſtimet; Deum contemnat, & Deum non contemnat: nam in eo conſiſtit propria ratio amoris Dei ſuper omnia, quod Deum omnibus rebus creatis anteponat; ſicuti è contra ratio peccati mortalis in eo conſiſtit, quod creatura præponatur creatori. Quare ut probetur timorem gehennæ poſitivè excludere peccandi voluntatem, oportebit in illo invenire aliquid, quod ſuper omnia æſtimetur, & omnibus præferatur; hoc autem vel

Dolor tendēs ad reconciliationem debet procedere ex benevolo affectu erga perſonam offenſam.

Averſio à peccato non fit niſi per cōverſionem ad Deum.

Quomodo affectus charitatis ſit incompoſſibilis cū quolibet peccato mortali.

vel erit Deus, vel creatura; ſi Deus ecce actum manifeſtum charitatis; ſi creatura, ecce manifeſtum peccatum.

Dices: timor patibuli eſt efficax fuga & deteſtatio omnium peccatorum in fure quibus pœna illa incurritur; ergo & timor gehennæ erit efficax fuga & deteſtatio omnium peccatorum tam internorum quam externorum, quibus illa incurritur.

Pœna patibuli ex natura ſua nó eſt efficax ad fugienda peccata furti, quibus illa incurritur.

Reſp. pœnam patibuli poſitivè non excludere peccatum quo pœna illa incurritur, eoquod non habeat formalem cum illa oppoſitionem, adeoque ex ſe & naturâ ſuâ non eſſe efficacem ad ejuſmodi peccata vitanda: ſed hoc plerumque fieri ex vehementiori & magis intenſo affectu, quo fur fugit patibulum, quam ſit ille, quo afficitur actui externo capiendæ rei alienæ: quod inde patet; quia eo non obſtante quandoque affectus erga rem alienam poteſt eſſe tam vehemens ut ſuperet timorem patibuli,& actus externus furti mandetur executioni. Eodem modo ſi quis ex ſolo motivo timoris gehennæ ſeſe cohiberet ab omni peccato (quod tamen fieri non poteſt) cohibitio illa non proveniret ex poſitiva repugnantia quæ intercedit inter ejuſmodi affectum timoris & affectũ peccati mortalis ſed ex vehementiori & inteſiori affectu, quo quis magis fugit pœnam gehennæ, quam quo afficitur ipſis peccatorum actibus; quod inde patet, quia, ſtante ejuſmodi timoris imperio, poteſt voluntas elicere vehementius imperium, quo præcipiat ipſum actum peccaminoſum ob voluptatem aut delectationem conjunctam; prout videre eſt in hominibus luxurioſis & carnalibus, qui, non obſtante metu gehennæ, actus externos carnales audent perpetrare.

Metus gehennæ de ſe non eſt efficax ad fugiendum omne peccatum.

Ea propter ſicuti is qui ex affectu ſolius amoris Dei naturalis ſibi imperaret abſtinentiam ab omni peccato, illam propterea non conſequeretur, quippe quam obtinere non poteſt ſine adminiculo divinæ gratiæ; ita neque qui ex motivo timoris: ratio eſt, quia non imperat ex motivo quod habet oppoſitionem cum omni peccato.

Dices: timor gehennæ eſt actus ſpei; ſed ille movet ad executionem mediorum; ergo poterit imperare voluntati ut abſtineat ab omni prorſus peccato; eoquod hoc ſit medium omninò neceſſarium ad perveniendum ad æternam beatitudinem.

Reſp. id verum quidem eſſe mediante actu charitatis; falſum verò ſi actus ſpei ſe ſolo conſideretur. Pro quo notandum quod ſpes Chriſtiana quandoque imperet charitati ut medium illud aſſumat quo peccandi voluntas excludatur, nempè actum charitatis; quod tamen ſpes ſe ſolâ facere non poteſt; quia nimirum non habet ſe ſolâ

Actus ſpei ſe ſolo nequit imperare abſtinentiam ab omni peccato.

ſolâ poſitivam cum peccato mortali repugnantiam.

Dices : intentio efficax conſequendæ beatitudinis eſt actus ſpei, ſed hæc excludit voluntatem peccandi;ergo actus ſpei poterit excludere voluntatem peccandi,& conſequenter metus gehennæ.

Reſp. actum voluntatis dupliciter denominari efficacem. 1. quia per media efficit id quod intendit. 2. quia dat ſolum conatum ad executionem faciendam. Intentio efficax priori modo ſumpta, non tantum eſt actus ſpei, ſed & charitatis ,quatenus videlicet dicit eſſentialem ordinem ad actum charitatis, quem tamquam medium aſſumit ad excludendum omne peccatum: intentio verò efficax, poſteriori modo ſumpta, ſe ſolâ quidem eſt actus ſpei, ſed non excludens omne peccatum; quod patet experientiâ in peccatoribus aliquò uſque quidem conantibus reſurgere ex vi iſtius, non tamen abſolutè valentibus.

Petes, quare actus ſpei, qualis eſt metus gehennæ, minus poſſit excludere voluntatem peccandi, quam actus charitatis ſeu amoris Dei ſuper omnia.

Quare actus ſpei minus excludat voluntatē peccandi quã actus charitatis.

Reſp. ex eò quod in actu charitatis reperiatur ſpecialis repugnantia & incompatibilitas cum omni peccato mortali, quæ non reperitur in deſiderio beatitudinis, vel fugâ damnationis æternæ, quamdiu hæc non informantur charitate; ſiquidem amor Dei ſuper omnia non ſolum opponitur odio Dei, quatenus eſt ſpeciale peccatum, ſed & omni peccato mortali, quatenus nimirum illud, ut tale, in ſe continet virtualem contemptum divinæ amicitiæ, & creaturam Deo præponit, quam charitas Deo poſtponit.

Metus pœnarum alius impellens, alius retrahens.

Dices: alius eſt metus pœnarum retrahens ab opere quod de factò ponitur, alius verò eſt impellens ſeu alliciens ad opus ponendum; & primus quidem cauſat involuntarium ſecundum quid, quia inclinat voluntatem in id quod eſt oppoſitum illi quod operatur, ut patet in metu patibuli; ſecus verò metus poſterior, qualis eſt metus gehennæ.

Reſp. quidquid ſit de illa metus diſtinctione, dicimus illam eſſe naturam metus pœnarum, ſemper ſe ſolo cauſare involuntarium ſecundum quid, ut ſupra notavimus; & quod ſpecialiter attinet ad metum impellentem ſeu allicientem, cum nihil alliciat niſi ſub ratione boni: conſequenter hic præter evaſionem mali, intervenire debere quamdam rationem boni quæ allicit; undè conſequenter negamus metum gehennæ ſe ſolo eſſe metum impellentem ſeu allicientem reſpectu attritionis.

Quæres, an metus gehennæ ſit malus.

Metus gehennit

Reſp. nequaquam; ſed è contra bonus eſt & ſalutaris, prout defi-

nx eſt bonus & ſalutaris. nit Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 8. ubi dicit anathema aſſerenti metum gehennæ per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, peccatum eſſe. Quod probatur quoque hac ratione: quia metus teſte S. Auguſtino non eſt aliud quam amor fugiens malum imminens quod ſibi adverſatur; ſeu fuga mali probabiliter imminentis, quæ ſpecificam ſuam bonitatem ſumit à bono cui adverſatur; ſiquidem ex amore boni fugimus malum illi oppoſitum: jam verò bonum, cui contrariatur metus gehennæ, licitè appeti poteſt, non ſecus ac cibus vel potus; eſt enim membrorum integritas, & quies naturæ; & quamvis talis metus animum à peccato nequeat cohibere, habet tamen multos bonos fructus; ſiquidem poteſt cohibere potentias externas ne in actus proſiliant; adeoque impedire hominem, ne actus peccatorum delectabilium ſæpius perpetrãdo catenas ineluctabiles concupiſcentiæ ſibi etiam injiciat; nam hoc malum habet peccatum externum præ interno, quod animum fortiſſimè affigat expertis delectationibus, ut patet in peccatis carnis; è quibus ſe homo poſteà nullo conatu, ſed ſolâ Dei gratiâ valet expedire: quod expertus S. Auguſt. ante ſuam converſionem ſic dicit lib. 1. confeſſ. cap. 5. „ Ex voluntate perverſa facta eſt libido; & „ dum ſervitur libidini, facta eſt „ conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.

Metus mali oritur ex amore boni oppoſiti.

Ex quibus patet quam providè à Concilio Trid. ſit definitum metum gehennæ per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, non eſſe peccatum, nec peccatores pejores facere: quod utique intelligitur de illo metu, qui cauſat contritionem imperfectam; non verò de illo, quo non tam doletur de peccato, quam de effectu & pœnâ peccati, qui purè ſervilis eſt; qui licet quoad ſubſtantiam ſuam adhuc bonus ſit, tamen ſervilitas ejus mala eſt; eo modo quo anima peccatrix bona eſt quatenus anima eſt, mala verò quatenus peccatrix: ſic hic in quantum ſervilis conjunctam habet velleitatem peccandi. Nec mirum eſt quod aliquis poſſit diligere peccati ſubſtantiam, & interim deteſtari peccati pœnam, hoc ipſum etiam patet in aliis animæ affectionibus; ſic enim qui odio habet perſonam propter ebrietatem, ſubſtantiam perſonæ amat, ſed odit ipſius ebrietatem ac vitium.

Metus gehennæ non eſt peccatum ſecundum ſubſtantiam.

Servilitas ejus mala eſt.

Petes, an non ſufficiat peccatorem habitualiter converti ad Deum per gratiam ſanctificantem quam accipit in Sacramento pœnitentiæ mediante attritione.

Reſp. nequaquam; eoquod actualis averſio à Deo facta per peccatum, tolli debeat per actualem

lem converſionem ad Deum; definiente Tridentino, *Juſtificationem hominis adulti, eſſe renovationem hominis interioris per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*: & certè apparet valde incongruum, quod, cum Deus nulli adulto ſtatuerit conferre habitum fidei vel ſpei, ſine ullo actu prævio fidei vel ſpei vellet conferre habitum charitatis ſine ullo actu charitatis.

Dices ultimò, ſi ad Sacramentum pœnitentiæ non ſufficiat dolor ortus ex puro metu gehennæ, ſed inſuper requiratur aliqua Dei dilectio; ergo ſequitur conditionem hominum Chriſtianorum eſſe multò deteriorem, quam Judæorum; utpotè quibus gravius onus ſit impoſitum, quam Judæis; quandoquidem hi dolore orto ex ſola dilectione Dei ſuper omnia poterant conſequi remiſſionem peccatorum, illi verò ultrà dilectionem adhuc opus habent Sacramento pœnitentiæ.

Conditio christianorum nō fit deterior judæorū per hoc quod illi ultra dilectionem Dei opus habeant

Reſp. cum S. Bonaventura duplex eſſe onus; unum onerans, & alterum allevians: ſic enim alæ columbarum & volucrum ſunt onera quidem, ſed allevantia; quo modo quoque Sacramenta novæ legis ſunt quidem onera Chriſtianis impoſita non onerantia, ſed ſublevantia, quatenus dant gratiam ex opere operato, noſque moraliter certos faciunt de peccato remiſſio.

Certè nimis indignum eſt quod aliqui, ſub prætextu libertatis Chriſtianæ; velint pœnitentes excipere à lege divini amoris, cum tota lex Evangelica non ſit niſi lex amoris, neque juxta S. Auguſtinum ulla alia ſit differentia inter legem novam & veterem, quam illa, quæ eſt inter amorem & timorem.

Sacramento ad remiſſionem peccatorū.

DUBIUM IV.

An Metus gravis damni ut mortis, incarcerationis &c. Excuſent à violatione præcepti humani.

SEnſus eſt an illa, quæ fiunt metu gravi contra præceptum legis humauæ, ſint peccata.

Reſp quod non: & ratio eſt, quia vel in legiſlatore humano non eſt tanta poteſtas ad obligandum cum illo rigore, vel ſi ſit non eſt veroſimile quod legiſlator velit ſubditum ſuum obligari in tali periculo conſtitutum: hinc infer metu gravis mali non jejunantem, vel non audientem ſacrum in die feſto, excuſari à peccato.

Petes quid ſi ergo quis minetur alicui mortem niſi comedat carnes in die jejunii, vel niſi celebret ſine veſtibus ſacerdotalibus, idque in contemptum religionis chriſtianæ.

Comeſtio carnium extorta in die je

Reſp. talem tunc potius obligari mori, quam comedere carnes vel celebrare ſine habitu ſacerdotali, obligatione promanante

junii ob contēptum Relgionis aut gravis ſcandali obligat cum periculo vitæ.

non ex præcepto humano, ſed divino naturali ad tuendam religionis chriſtianæ æſtimationem, & tollendum ipſius contemptum; eo enim caſu obtemperare eſſet virtualiter & interpretativè fidem chriſtianam negare juxta illud Chriſti Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.* Siquidem contemptus ille tunc cedit in præjudicium divini honoris, qui omnibus rebus creatis eſt anteponendus, ita nimirum ut caſu quo Deus eſſet inhonorandus, vel vita propria aut bona omnia fortunæ vel famæ amittenda; potius hæc omnia perdantur, quam Deus inhonoretur.

Petes, an ad occultandam fidem liceat Catholico omittere præcepta Eccleſiæ cum gravi periculo vitæ, infamiæ, aut notabilis jacturæ bonorum temporalium.

Reſp. per ſe loquendo affirmativè, dummodò tamen abſit ſcandalum, nec urgeat obligatio profeſſionis fidei; quod patet ex ante dictis.

Petes, an liceat diebus ab Eccleſia vetitis Catholico veſci carnibus apud hæreticos.

Reſp. id nequaquam licere in partibus in quibus non viget perſecutio, nec imminet periculum gravis mali: ſecus verò in partibus in quibus viget perſecutio, aut imminet periculum carceris, aut gravis mulctæ; dummodò rurſum abſit ſcandalum, nec urgeat obligatio profeſſionis fidei: quod addo, quia fieri poteſt quod adſint tales circumſtantiæ perſonarum temporis, & loci ut talis carnis comeſtio cenſeatur fidei negatio, vel hæreticæ fidei profeſſio; quo caſu nec periculum vitæ, nec famæ, nec bonorum temporalium excuſant; quâ ratione Eleazarus, ut habetur Machab. 2. cap. 6. noluit fingere ſe comedere carnes porcinas ut mortem evaderet. Et S. Auguſt lib. de bono conjugali, ſatius ait fame mori, quam idolothytis veſci; ſcilicet cum ſcandalo, vel religionis contemptu.

Petes, an metu mortis ſit licitum contrahere matrimonium cum conſanguinea in ſecundo gradu.

Reſp. Affirmativè: dummodo ille non incutiatur in contemptum vel odium religionis: non licebit tamen illud metu mortis conſummare. Ratio diverſitatis eſt; quia primùm eſt ſolâ lege humanâ vetitum; ſecundùm verò interdictum lege naturæ, eo modo quo fornicatio.

Dices: ſicuti jus humanum prohibens contrahi matrimonium cum impedimento dirimente non obligat cum periculo vitæ, ut dictum eſt, ita nec jus humanum obligat irritans talem contractum matrimonialem.

Reſp. negando aſſumptum pro

pefte-

Digitized by Google

poſteriori parte: & ratio diſparitatis eſt, quod jus prohibens iniri matrimonium non ſit tanti momenti ut obliget cum periculo vitæ, quia non multum adverſatur bono communi, jus verò humanum tale matrimonium irritans eſt maximi momenti, plurimumque cedens ad commune bonum, ne alioqui plurima matrimonia metu mortis contraherentur, & conſummarentur ut eſſent valida. Undè nota, in legiſlatore eccleſiaſtico vel ſæculari quandoque eſſe poteſtatem obligandi per accidens cum periculo vitæ vel gravis mali.

Eſt in legiſlatore humano poteſtas obligandi cum periculi vitæ ſecundū duas ſubjectas regulas,

Ad dignoſcendum autem quādonam lex humana obliget cum periculo vitæ, ſervient hæ ſubſequentes regulæ.

1. Quando ex omiſſione legis civilis vel Eccleſiaſticæ majus incommodum timeretur, quam æſtimari poſſit vita hominis privati, fama, aut bona ipſius temporalia, tunc lex humana obligat cum illorum periculo.

2. Quandocumque ex præcepti humani obſervatione majus commodum exſpectari poteſt pro gloria Dei, fide catholica, aut bono eccleſiæ, quam ſit propria vita hominis privati, fama, aut bona ejus temporalia, tunc lex humana obligat etiam cum horum periculo.

Ex quo collige quomodò miles in neceſſitate teneatur ſervare ſtationem cum periculo vitæ; & Paſtor miniſtrare infirmis peſte laborantibus cum eodem periculo: cum enim quilibet ſubditus ſit pars totius communitatis & pars ſit propter totum, ſequitur rempublicam aut Eccleſiam poſſe ordinare cujuſlibet particularis vitam ad conſervationem boni communis.

DUBIUM V.

An lex naturalis prohibens rem intrinſece malam obliget cum periculo mortis.

Lex naturalis prohibens aliqnid intrinſecè malum ſemper obligat cum periculo vitæ

RESp. Affirmativè. Ratio eſt, quia cum malitia à tali opere ſit inſeparabilis, implicat illud aliquo caſu eſſe licitum: & ita metu mortis numquam licet mentiri, fornicari, promovere indignos ad beneficia aut officia.

Dices: implere votum eſt de jure divino naturali, prout & conferre eleëmoſynam extremè indigenti; & tamen hæc non obligant cum periculo vitæ.

Reſp. hæc non eſſe de numero eorum, quorum omiſſio ſit jure naturæ prohibita & ita intrinſecè mala, ut nullâ circumſtantiâ cohoneſtari poſſint: undè neque integritas confeſſionis, quæ eſt juris divini, neque præceptum ſumendæ Euchariſtiæ, obligant cum metu mortis.

DUBIUM VI

An venditiones, emptiones, promiſſiones, & generaliter omnes contractus per gravem metum extorti, ſint jure naturæ & poſitivo validi,

Contractus gravi metu extorti ſunt jure naturæ validi

RESP. Affirmativè.

Probatur quoad jus naturale: quia qui metu conſentit, abſolutè conſentit, etiamſi illi adjungatur nolleitas quædam, ſeu actus voluntatis inefficax, quo nollet, ſi timor mali abeſſet, quæ nullatenus influit in opus. Nec refert ipſi contrahenti factam eſſe injuriam, quia etſi hæc poſſet eſſe ſufficiens cauſa ad invalidandum contractum, non tamen ſufficit ut ipſum de facto reddat invalidum; ut patet in contractu cui dolus cauſam dedit qui non eſt irritus, ſed irritandus.

Probatur 2. quia jure naturæ non requiritur aliud voluntarium ad valorem contractus, quam ad hoc ut fiat peccatum mortale; ſed voluntarium ex metu ſufficit ad peccatum mortale; ergo etiam ſufficit ad valorem contractus,

Prout & jure poſitivo.

Probatur etiam quoad jus poſitivum: quia paſſim in jure dicitur, quæ vi & metu fiunt, debent in irritum revocari, debent robore firmitatis carere; nam qui metum alicui incutit, injuriam ipſi facit; undè tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere, & alter jus habet hanc reſtitutionem exigendi: undè patet dictos contractus poſſe reſcindi arbitrio ejus qui injuriam paſſus eſt, adeoque illos non eſſe ipſo jure poſitivo irritos, ſed irritandos,

Attamen invalidandi.

Petes; quid ſi metus ſit incuſſus non à parte cum qua contrahitur, ſed ab aliqua tertia perſona.

Reſp. & talem contractum poſſe reſcindi,ut patet ex diverſis juribus; plerique tamen ſentiunt id provenire ex jure naturæ, eoquod ratione injuriæ illatæ res maneat obligata priori domino, ac conſequenter cum eodem onere tranſeat ad quemcumque.

Petes, quid ſi ex metu injuſtè quidem incuſſo, non tamen in ordine ad eliciendum contractum, ſed potius ad malum aliquod evadendum, contractus ſit ſpontaneè initus; v. g. ſi cadens in mare causâ periculi mortis, ſeu metu mortis, promittat centum ei qui ſe extrahat, an ille quoque poſſit reſcindi.

Reſp. nequaquam: quia qui tecum contractum init, non infert metum, ſed aliunde contractum & illatum aufert.

Petes; quid ſi juſtè metus fuerit incuſſus ad eliciendum contractum, an ille poterit irritari? Juſtè autem metus incutitur, quando malum quod quis minatur jure poteſt inferre; ſic enim qui violavit virginem

virginem, compellitur vel eam dotare, vel ducere.

Reſp. nequaquam: quia illi contractus tantum poſſunt irritari ratione injuriæ illatæ; quæ hic non ſubeſt.

Petes, an qui hujuſmodi contractu metu gravi inito, aliquid eſt lucratus, teneatur ad reſtitutionem.

Reſp. Affirmativè, ſi metum ipſe intulerit; quia ratione injuriæ illatæ ipſe tenetur omnia in ſtatum priſtinum reſtituere, ac proinde reddere quod accepit; ſi verò in vim ſimilis contractus rem alterius habeat, nec ſit particeps injuriæ, tunc tenebitur ratione juris poſitivi quamvis tamen forte non ante reſciſſionem contractus, ſi bonâ fide proceſſerit.

Ex dictis infer ea quæ ſolo metu reverentiali injuſte incuſſo ſunt inita poſſe reſcindi, & ille qui commodum inde accepit teneri ad reſtitutionem; ut ſi v. g. nepos non audens metu reverentiali contradicere ſuo patruo renunciet alicui ſuo juri. Excipè ab his contractum matrimonialem metu injuſto incuſſum à causâ libera in ordine ad illum contrahendum, quod ipſo jure de facto eſt nullum, prout & votum ſolemne. Quod ſi verò metus gravis incutiatur à cauſa naturali, ut ſi quis in naufragio exiſtens metu mortis voveat religionem, caſtitatem, vel preſbyterium, valebit votum; ſecus verò ſi injuſtè incutiatur à cauſa libera ad extorquendum tale votum.

Dices: juramentum gravi metu extortum obligat; ergo & votum.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod alia ſit ratio voti, alia juramenti, nam in voto ſpectatur an executio ejus ſit Deo gratior quam omiſſio ejus; in juramento verò tantum attenditur an executio ſit licita & promiſſario commoda: unde non refert an id quod juraſti ſit materia virtutis, an non; ſufficit enim quod ſit res indifferens quam ſine peccato potes exequi; quia jure naturæ teneris efficere ut verum ſit quod juraſti, ne Deum facias teſtem falſi; hinc ſolvere uſuras obligaris; ſi juramento promiſeris; ut habetur cap. *Debitores* in ſexto.

Dices: promiſſio metu gravi extorta eſt irrita; ergo & juramentum ei appoſitum; nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

Reſp. juramentum tamquam acceſſorium ſequi naturam contractus, non quoad eſſe firmum & validum, ſed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas ipſum principale de jure vel conſuetudine habet.

Pro foro externo nota, quod metum alleganti incumbat onus probandi; quia nemo præſumitur deli-

delictum commiſiſſe niſi probetur; tum quia metus eſt res facti, factum autem non præſumitur niſi probetur.

Dices: promiſſio metu elicita habet hanc tacitam conditionem, niſi ob injuriam illatam revocavero.

Reſp. juramentum exigi eo fine ut conditio, quæ alias jure naturæ ineſt, excludatur: hinc infer, ſi pro ſalvanda vitâ militi promiſeris centum cum juramento, te obligari ſolvere; nam etſi miles ex hac promiſſione nihil juris acquiſiverit, Deus tamen jus habet ut illud verifices, ad quod eum in teſtem adduxiſti.

QUÆSTIO III.

Quomodò ſe habeat concupiſcentia ad voluntarium.

DUBIUM PRIMUM

Quotuplex ſit concupiſcentia.

Quid concupiſcentia habitualis.

Concupiſcentia alia eſt actualis, & alia habitualis: hæc eſt habituale quoddam pondus ſeu inclinatio potentiarum noſtrarum, nempè appetitus ſenſitivi, rationalis, vel intellectûs &c. ad actus repugnantes rectæ rationi; illa verò eſt actualis potentiarum noſtrarum motus in objectum rectæ rationi repugnans: ſecundum S. Auguſt. concupiſcentia habitualis eſt habituale quoddam pondus quo anima inclinatur ad fruendum creaturis; actualis verò concupiſcentia eſt motus ſeu inclinatio actualis appetitus ad fruendum creaturis; & quia mediantibus aliis potentiis illud deſiderium impletur, hinc juxta diverſitatem illarum potentiarum, quæ diverſa bona reſpiciunt, etiam diverſæ libidines ſeu concupiſcentiæ oriuntur, quæ tamen omnes ad tres ſpecies revocari poſſunt, ut una quidem libido ſit ſentiendi, quæ in quinque alias ſpecies juxta quinque ſenſus externos dividitur. 2. Libido ſciendi, quæ non tantum per intellectum, ſed etiam per omnes ſenſus externos erumpit. 3. & maximè imperioſa eſt libido ſeu concupiſcentia excellendi.

Quid actualis.

Concupiſcentia ſumpta pro appetitu ſenſitivo, eſt illa animæ potentia qua proſequitur bonum, vel fugit malum ſibi ab imaginativa propoſitum: ſumpta verò pro actu, eſt motus appetitus ſenſitivi in bonũ ſenſibile apprehenſum ut naturæ conveniens: vel in malum ſenſibile ut diſconveniens; hæc in ſe ſpectata non eſt vitioſa, ſed quatenus fræno juſtitiæ originalis deſtituta inclinatur in objectum rectæ rationi repugnans.

Vitioſa hæc concupiſcentia non tantum dicit inordinationem (ut ſupra notavimus) appetitus, ſed etiam inordinationem intellectus & voluntatis, in quantum dictæ potentiæ deſtitutæ originali juſtitiâ, inordinatè moventur in objecta rectæ

Concupiſcentia vitioſa eſt propenſio omnium poten-

tiarum ad actus rectæ rationi repugnátes.

rectæ rationi repugnantia: hinc concupiſcentia tam latæ ſumpta eſt propenſio appetitus ſenſitivi intellectus & voluntatis ad actus rectæ rationi repugnantes; & quidem appetitus ſenſitivus movetur ad objecta ſenſualia illicita, ut carnalitates, ebrietates, gulam &c. intellectus ad errores, ad hæreſim, malas ſuſpiciones &c. voluntas ad odium, invidiam &c. & quia, ut ſupra diximus, appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis in eadem ſimplici animæ eſſentia radicantur, fit ut ſe mutuò moveant: quamvis diſpari modo: nam ſenſitiva movet rationalem ſuadendo, & procurando ut objectum intellectui videatur expetendum; rationalis movet ſenſitivam politicè imperando: & hinc ſuboritur alia diſtinctio concupiſcentiæ, in antecedentem, & conſequentem.

Alia eſt antecedens alia conſequens

Antecedens eſt motus appetitus ſenſitivi alliciens voluntatem ad motum ſuæ potentiæ conformem: conſequens eſt motus appetitus ſenſitivi deliberatus à voluntate imperatus, ut patet in homine voluntariè excitante appetitum ſuum ſenſitivum ad libidinem, ad iram, ad vindictam &c.

DUBIUM II.

An concupiſcentia cauſet involuntarium.

Concupiſcentia ſubinde

RESP. & dico primò, concupiſcentiam ſeu paſſionem antecedentem ſubindè eſſe tam vehementem ut tollat omnem libertatem, utpotè abſorbens totam rationem: ut patet in illis, qui ex inſanâ paſſione amoris vel iræ, ad amentiam adiguntur; quorum actus, ex tam vehementi paſſione procedentes, non ſunt voluntarii quippè qui non procedunt à principio intrinſeco prævià rationis advertentiâ, ſed à ſolo appetitu per imaginationem.

abſorbet omne liberum.

Antecedens auget voluntarium ſed minuit liberum.

Dico 2. paſſio ſeu concupiſcentia antecedens, quæ non eſt adeò vehemens ut tollat uſum rationis, auget quidem voluntarium, ſed minuit liberum.

Prius probatur: quia concupiſcentia ſeu paſſio ſuaviter alliciendo inclinat voluntatem rationalem ad illud volendum magno conatu, ad quod illa inclinatur; juxta illud *quilibet judicat prout eſt affectus*; in quantum facit ut intellectus magis æſtimet rationes quæ favent parti ad quam paſſio inclinatur, idque ob naturalem ſympathiam, quæ eſt inter potentiam rationalem & ſenſitivam.

Dices: concupiſcentia perturbat uſum rationis; ergo non tantum minuit liberum, ſed & voluntarium eoquod uſus rationis ſit principium voluntarii.

Reſp. duo in voluntate eſſe ſpectanda, nempe impetum voluntatis in objectum, & objecti notitiam: & prius quidem augetur; poſterius partim augetur, partim minuitur; minuitur in quantum judicium

cium rationis perturbatur, augetur verò quatenus augetur apprehenſio objecti; nam concupiſcentia ex una parte facit ut intellectus perfectè in objecto conſideret id quod eſt delectabile, ac proinde proponat voluntati ſub ratione majoris boni, & conſequenter voluntas illud intenſius appetat; quâ ratione concupiſcentia auget voluntarium.

Conſequens nec auget, nec minuit voluntarium.

Dico 3. Concupiſcentia conſequens nec auget, nec minuit voluntarium; eò quod hæc non ſit cauſa cur velimus, ſed tantum effectus; atque ideo tantum ſignum intenſæ noſtræ voluntatis.

Antecedens ſemper minuit ipſam potentiæ indifferētiam ad agēdum.

Dico 4. Quamvis paſſio augeat voluntarium, minuit tamen ipſam potentiæ indifferentiam ad agendum; & non agendum; eoquod trahat & inclinet voluntatem ad unam partem: ex quo ſequitur quod quis tentatione pulſatus citius peccet quam ille qui eſt liber ab illâ, eo modo quo æquilibrium ſtateræ inclinatur ad illam partem in qua ponitur pondus.

Habitus ſive boni ſive mali, item gratiæ, prævenientes augent voluntarium; ſed minuūt indifferentiā.

Petes, an habitus ſive boni ſive mali, item bonæ vel malæ conſuetudines, item gratiæ prævenientes augeant voluntarium.

Reſp. Affirmativè; quia efficiunt ut voluntas intenſiori conatu operetur, eo ipſo quo adferunt majorem facilitatem operandi, minuunt tamen ipſam potentiæ indifferentiam, eoquod illam magis inclinent in unam partem, cum ſint principia naturaliter ad unum inclinata: prout & movent intellectum ad unam partem ſpecioſus proponendam; ſic habitus malus excitat rationem, occultans malum quod in opere latet, & rem delectabilem facit apparere magis delectabilem quam à parte rei ſit; prout & habitus bonus facit ut honeſtas operis magis eluceat: ex quo ſequitur quod avari, luxurioſi, ſuperbi &c. perpetuis ſimilium vitiorum volvantur & revolvantur cogitationibus, & omnibus ferè momentis vel corpore vel animo operentur, prævio habitu facultatem miniſtrante, quinimo ſæpius neceſſitante; quod & locum habet in bonis habitibus: & hinc fit quod anima in bono tam profundas agat radices ut certa peccatorum genera non niſi vim inferendo bonæ conſuetudini perpetrare valeat.

Dices: ſi per ſimiles habitus bonos vel malos minuatur libertas in quantum minuitur indifferentia; ergo per illos minuetur ratio meriti vel demeriti.

Per illos tamen non diminuitur ratio meriti, vel demeriti.

Reſp. negando conſequentiam; eoquod ejuſmodi habitus in æſtimatione morali non tollant libertatem quando per actus liberos ſunt acquiſiti.

Petes, quomodò peccet qui habet conſuetudinem pejerandi, quam advertit ſe habere, & tamen non conatur repellere.

Reſp.

Reſp. mortaliter, propter proximā occaſionem cui ſe exponit, dictā conſuetudinem non tollendo.

Petes, quomodò poſſit ſe à tali conſuetudine liberare.

Reſp. ex intimo cordis affectu de illa in ſacramentali confeſſione dolendo, & proponendo ſe non amplius pejeraturum: ex quo fit, ut ſi contingat talem poſt hanc conſuetudinem efficaciter retractatam inadvertenter pejerare, eum non peccaturum mortaliter; non quidem in ſe, quia caret ſufficienti advertentiâ; neque in cauſa, cum illa per dolorem ſit retractata.

Petes, quid ſi hominem malæ conſuetudinis contractæ non pœniteat; an motus ex illa etiam inadvertenter ſuborti erunt voluntarii, & conſequenter peccata.

Reſp. ita, quippè voluntàrii in cauſa, nempè in conſuetudine non retractata.

QUÆSTIO IV.

De Ignorantia.

Quomodò illa ſe habeat ad voluntarium.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit ignorantia; & quotuplex.

Definitio ignorantiæ.

IGnorantia definitur carentia cognitionis in ſubjecto capaci

Dividitur quintupliciter.

1. Ratione ſui, in ignorantiam puræ negationis ad quam quoque reducitur ignorantia privativa: & ignorantiam pravæ diſpoſitionis.

Ignorantia alia negativa alia prava diſpoſitionis.

Ignorantia negativa vocatur carentia cognitionis in ſubjecto capaci, cui tamen non debet ineſſe; talis eſt ignorantia juris canonici, vel theologiæ in ruſtico.

Ignorantia privativa eſt carentia cognitionis in ſubjecto, cui illa debet ineſſe, talis eſt ignorantia articulorum fidei in homine chriſtiano.

Ignorantia pravæ diſpoſitionis eſt judicium falſum, ſeu aſſenſus intellectus aſſentientis falſo, quod putat verum, vel diſſentientis vero, quod putat falſum.

2. Dividitur ignorantia ratione objecti, in ignorantiam juris, & facti.

alia juris, alia facti.

Ignorantia juris eſt carentia cognitionis legis vel conſuetudinis, quam quis ſcire debebat: talis eſt ignorantia decalogi, præceptorum Eccleſiæ &c.

Ignorantia facti eſt illa, quâ neſcitur factum, vel circumſtantia facti: ut ſi quis ſciat latam eſſe cenſuram contra percutientes clericos, ignorat tamen eum, quem percutit, eſſe clericum.

3. Dividitur ignorantia ratione ſubjecti ſui, in vincibilem, & invincibilem.

alia vincibilis, alia invincibilis.

Vincibilis eſt quam quis poteſt deponere faciendo quod tenetur facere, adhibendo nempè diligen-

tiam requiſitam pro qualitate negotii & ſtatus ſui.

Subdividitur hæc in affectatam, ſupinam ſeu craſſam, & vincibilem ſtrictè dictam.

Alia affectata alia ſupina. alia vincibilis ſtrictè dicta.

Ignorantia affectata eſt ignorantia directè volita, de qua pſalmiſta Pſalmo 35. *Noluit intelligere ut benè ageret.* Et hæc contingit dum quis non vult ſcire aliquod præceptum ut liberius agat: v. g. non vult ſcire jejunia quatuor temporum, ut liberius indulgeat ventri: eandem cenſetur habere qui dubitat an tactus impudici ſint peccatum, & non vult inquirere, ut minorem habeat conſcientiæ ſcrupulum in tactum exercendo.

Ignorantia craſſa ſeu ſupina eſt illa, quæ oritur ex culpa lata ignorantis, ſeu ex ſumma ejus negligentia; ut contingit dum quis vel nullam, vel modicam adhibet diligentiam ad dignoſcenda ea quæ ratione officii ſui tenetur ſcire. quia verò hujuſmodi ignorantia ex deſidia naſcitur, vocatur craſſa; eò quod homines craſſi & pingues ſæpe ſoleant eſſe deſides & pigri; quo modo quoque vocatur ſupina, quia eſt in illis, qui jacent quaſi ſupini dormientes & nihil curantes: hâc ignorantiâ ordinariè laborant fideles ignorantes neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

Ignorantia vincibilis ſtrictè dicta eſt illa, quando quis aliquam quidem diligentiam adhibuit ad ſciendum id quod tenetur, ſed non tantam quantam debebat pro gravitate negotii.

Ignorantia invincibilis eſt illa, quam quis vincere & ſuperare non poteſt adhibitis omnibus quæ poteſt & debet adhibere ad illam ſuperandam: hâc laborat ruſticus, qui dubitans aliquem contractum eſſe illicitum, conſulit deſuper confeſſarium ac paſtorem, qui reſpondet illum eſſe licitum, cum tamen ſit uſurarius. Talis quoque eſt ignorantia quâ quis nullo modo advertere poteſt malitiam alicujus rei: quomodo myſteria fidei invincibiliter ignorantur ab illis qui numquam audiverunt de illis tractari. Talis quoque eſt in illis qui dubitant an aliquid ſit malum, & ad ſciendum illud adhibent tale ſtudium & diligentiam quæ ſpectatis circumſtantiis perſonæ & rei judicatur humano modo ſufficiens ad competentem cognitionem conſequendam.

4. Dividitur ignorantia in ordine ad opus, in antecedentem, & concomitantem.

Alia antecedens, alia concomitans in ordine ad opus

Antecedens vocatur, quæ eſt cauſa operis: hoc eſt, quæ, ſi abeſſet, opus non fieret: quali laborat Petrus, qui putans occidere inimicum, occidit patrem: talis quoque fuit ignorantia Jacob dormientis cum Lia ſuppoſitâ loco Rachelis.

Ignorantia concomitans eſt, quæ quidem eſt operi conjuncta, nullo

nullo tamen modo cauſa operis; quod inde patet, quia equidem opus factum fuiſſet etiamſi ignorantia non adfuiſſet: talis eſt ignorantia ejus, qui putans occidere feram occidit inimicum, quem & voluiſſet occidere ſi ſciviſſet: tali quoque ignorantiâ laborant, qui violant fœminam conjugatam, conſanguineam, vel monialem, quas ut tales ignorant, ita tamèn ſunt conſtituti, ut, etſi ſciviſſent, equidem violaſſent.

Ignorantia alia antecedēs alia cōſequens in ordine ad voluntatem.

5. Dividitur ignorantia in ordine ad voluntatem, in antecedentem, & conſequentem.

Antecedens vocatur, quæ nullo modo eſt voluntaria, adeoque coincidit cum ignorantia invincibili.

Conſequens vocatur, quæ vel directè eſt voluntaria, qualis eſt affectata; vel indirectè voluntaria, qualis eſt craſſa & ſupina, vel quælibet alia vincibilis.

DUBIUM II.

Quænam ſint requiſita ad hoc ut ignorantia ſit invincibilis, ſeu ut excuſet à peccato.

Quia dubium iſtud generale eſt, quippè quod poteſt intelligi, vel de ignorantia juris humani, divini, naturalis, vel de ignorantia facti: de ſingulis ſingulatim agemus, poſtquam hic primò expoſuerimus quænam quilibet adultus obligetur ſcire; eoquod ex majori vel minori obligatione ſciendi, oriatur major aut minor malitia ignorantiæ. Itaque dico.

1. Quilibet adultus obligatur ſcire univerſalia juris naturæ præcepta, qualia ſunt bonum faciendum; malum fugiendum; Deum colendum, nulli nocendum; jus ſuum cuique tribuendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.

2. Tenetur ſcire illas concluſiones quæ per evidentem conſequentiam facilè ex primis illis principiis lumine naturæ notis deducuntur; prout ſunt præcepta Decalogi Ratio horum eſt, quia quilibet obligatur omnia illa ſervare; nemo verò poteſt obſervare quod ignorat: eapropter eodem præcepto quo quis illa obligatur adimplere, obligatur quoque ſcire: nam eâdem lege quâ quis obligatur ad finem. obligatur quoque ad medium neceſſarium ad illum conſequendum.

Quilibet obligatur ſcire quod obligatur facere ſub eodem præcepto.

3. Obligatur explicitè credere articulos fidei contentos in ſymbolo Apoſtolorum, qui eapropter tamquam prima fidei chriſtianæ fundamenta omnibus ab eccleſia proponuntur.

4. Obligatur ſcire ſubſtantiam Sacramentorum. quæ vult, aut obligatur ſuſcipere, prout & communia Eccleſiæ præcepta; ob rationem ante datam.

Non eſt obligatio ſub mortali ſciendi credo aut decem præcepta iiſdẽ verbis quibus proponuntur.

Hic tamen bene venit notandum, non eſſe obligationem ſub mortali omnia illa ſcire memoriter iiſdem verbis quibus proponuntur, ſed ſufficere ſi cognoſcatur illorum ſubſtantia & ſignificatio, ut dum de illis interrogantur rectè reſpondeant, quippè *Cum ſcire leges* (ut axioma habet) *non ſit verba eorum tenere ſed vim & virtutem.*

Synodalia decreta deſuper lata tãtum obligant ſub veniali.

Nec refert extare quædam decreta ſynodalia, prout & conſuetudines, addiſcendi memoriter ſymbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi, orationem Dominicam, ſeptem Sacramenta, prout & præcepta Eccleſiæ; quæ videntur obligare ſub mortali attentâ gravitate materiæ: quia conſuetudo Doctorum & piorum ejuſmodi decreta interpretatur tantum obligare ſub veniali; quæ ſicuti habet vim obligandi, ita & leges interpretandi.

5. Quilibet obligatur ſcire illa quæ ſpectant ad proprium ſtatum, munus, aut officium quod ſubit aut adminiſtrat; nam cum quilibet teneatur exequi & facere ea quæ ſunt proprii muneris aut officii ſui, quod facere non poteſt niſi ſciat, ſequitur eodem præcepto obligari illa ſcire, quo tenetur illa facere.

Quia verò plura ſpectant ad officium Epiſcopi, item ad munus Paſtoris, Confeſſarii, Sacerdotis, Religioſi, quam ad officium ſimplicis laici, civis, aut ruſtici, evidenter ſequitur ejuſmodi perſonas obligari ad plura ſcienda, & conſequenter ad majorem diligentiam adhibendam pro acquirenda ſcientia muneri ſuo reſpectivè debita.

Undè, cui plus datum eſt, plus exigetur ab eo; & potentes potenter tormenta patientur, pro ratione negligentiæ in procuranda ſcientia ſtatui ſuo neceſſaria. — *cui plus datum, plus exigetur ab eo.*

Quale verò peccatum ſit ignorare ea quæ ſpectant ad proprium officium in ſequentibus dicemus.

DUBIUM III.

Quot modis aliqua Ignorantia poſſit vinci ſeu ſuperari.

Sicuti certum eſt quod is qui aliquid ignorat, illud poſſit ſcire à tribus, nempè, 1. à Deo, 2. à lumine naturæ propriæ, 3. ab aliis hominibus: ita tres ſunt modi acquirendæ ſcientiæ & pellendæ ignorantiæ. — Tribus modis acquiritur ſcientia.

1. Proprio marte, adhibendo diligentiam pro indaganda veritate talem, qualis ſpectatis circumſtantiis perſonæ, muneris ſeu officii ſui, prudenter judicatur ſufficiens pro cognitione acquirenda.

2. Si ſcientiam illam proprio marte obtinere non poſſit, conſulendo pro negotii gravitate plures aut pauciores viros doctos & pios, eo modo quo in periculoſo morbo pro illius gravitate adhiberet plures aut pauciores medicos: addo ſignanter, pios; quia ut habetur Eccli. 37. *Anima viri Sancti enuntiat aliquando*

Digitized by Google

Quandoque ignorantia invincibilis requirit recurſum ad Deum.

do vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.

3. Si quis neque per ſe, neque per magiſtros poſſit invenire veritatem debet habere recurſum ſuum ad Deum per emundationem propriæ conſcientiæ, & juges orationes; quia *In malevolam animam non introibit Sapientia; nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* Sap. 1. & ut habetur Jacobi cap. 1. *Si quis autem veſtrum indiget Sapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.*

Ignorantia alia eſt vincibilis in ſe alia in ſua cauſa.

Porrò hic bene notandum, ignorantiam aliquam dupliciter poſſe eſſe vincibilem, ſeu culpabilem; nimitum in ſe, & in ſua cauſa.

Vincibilis in ſe eſt, quam habet is, qui ex propria ſocordia, negligentia, aut malitia negligit ſcire quod debet.

Vincibilis in cauſa eſt, quam habet is, qui, dum potuit, non didicit, id, quod poſtmodum ratione ſui officii in eodem conſtitutus ignorat: prout quoque habet is qui ſe privat mediis ad ſciendum, aut ponit poſitivum obſtaculum, ut poſtmodum ſcire non poſſit, cui proinde ejuſmodi ignorantiæ eodem modo ſunt voluntariæ in cauſa, quo peccata in ebrietate commiſſa ſunt voluntaria illi, qui ſuâ culpâ in ebriatur potens prævidere talia inebrietate ſecutura.

Et quidem tali ignorantiâ laborant milites v. g. qui proprio motu cum navibus hæreticorum tendunt habitatum in Indias Orientales aut Occidentales, ubi ſciunt ſe neceſſariis ad ſalutem imbui non poſſe, nec à ſuis erroribus liberari: qui etſi poſtmodum bonæ voluntatis fiant, & deſideriis ſuis velint in bonum ferri, cauſam tamen ſuæ ignorantiæ dederunt, dum talem habitationem elegerunt, ex qua poſtmodum ſuboritur impoſſibilitas notitiæ credendorum.

Petes, qualis & quanta ſit adhibenda diligentia ad indagandam quamcumque veritatem, ut illius ignorantia cenſeatur invincibilis.

Reſp. hoc certò definiri non poſſe, ſed judicio prudentis id relinquendum, qui judicabit hominem laborare ignorantia invincibili, qui ſecundùm conditionem ſui ſtatus, & attentâ gravitate negotii, adhibuit per ſe illam diligentiam quam potuit adhibere etiam conſulendo doctos & pios in ea materia verſatos, & ubi opus fuerit habendo quoque recurſum ſuum ad Deum; quibus adhibitis, ſi remaneat ignorantia, cenſebitur illa invincibilis: neque enim ad hoc neceſſe eſt ut quis adhibeat diligentiam ſimpliciter ſummam.

DUBIUM IV.
An dari poſſit ignorantia invincibilis juris humani.

RESP. Affirmativè: quia fieri poteſt quod nequidem ulla dubitatio aut cogitatio iſtius legis inciderit; aut ſi certè talis interve-

venerit, adhibita fuerit illa diligentia quam quis juxta conditionem ſui ſtatus & qualitatem negotii tenetur adhibere.

Ignorātia in vincibilis ruſtico, quā doq; eſt vincibilis confeſſario

Dixi ſignanter (juxta conditionem ſui ſtatus) quia quod alicui indocto reputatur pro ignorantia invincibili, hoc homini docto ut Confeſſario, Paſtori, Sacerdoti reputabitur pro vincibili; eoquod illi ex vi muneris & officii ſui obligentur ad majorem diligentiam quam ſimplex laicus in indaganda veritate juris humani; eapropter indoctus debet inſuper pro qualitate negotii conſulere doctos & peritos in illa materia, & quidem tales qui ſunt boni nominis & famæ, quique nec ex malitia aut negligentia volent fallere: doctus verò debet per ſe evolvere libros, dein ſuper materiâ dubia conferre cum doctis & piis, pluribus aut paucioribus, juxta negotii gravitatem, antequam ignorantia reputetur ipſi invincibilis.

Petes, quâ ignorantiâ laboret ruſticus qui, dubitans an in hanc hebdomadam incidat aliquis dies feſtus, veritatem inquirit ab eis qui interfuerunt die Dominicâ concioni Paſtoris, ſub qua ſolent ejuſmodi feſta publicari, a quibus accepit nullum in hanc hebdomadam incidere feſtum, cum tamen, reverâ incidat.

Reſp. dictum ruſticum laborare ignorantia invincibili iſtius feſti adeoque non peccare mortaliter omittendo ſacrum; eoquod adhibuerit diligentiam quam prudentes in ſimili negotio, juxta facti qualitatem & circumſtantiās, ſolent adhibere.

Et hâc eâdem ignorantiâ laborat communis laïcus, qui prævio conſilio ſui Paſtoris facit aliquem contractum jure humano illicitum, quem Paſtor aſſerit licitum, eoquod adhibuerit diligentiam quam, juxta conditionem ſtatus ſui, debebat adhibere pro indaganda veritate, putans Paſtorem ſuum ſufficienter inſtructum.

Petes an omnis ignorantia quæ reſpectu juris divini vel *naturalis eſt mortaliter culpabilis, etiam ſtatim ſit talis reſpectu juris humani.

Non omnis ignorātia mortaliter culpabilis reſpectu juris divini, eſt talis reſpectu juris humani.

Reſp. negativè: ſed è contra frequenter contingere quod ejuſmodi ignorantia reſpectu legis humanæ ſit tantum venialis poſitis hiſce conditionibus.

1. Quod ignorantia illa non ſit craſſa aut ſupina, qualis eſt illorum qui nullam, vel valde modicam adhibent diligentiam in examinanda cauſa excuſante.

2. Quod tranſgrediens ejuſmodi præceptum ſit in bona fide ſe habere juſtam cauſam.

3. Ut ita ſit conſtitutus, ut ſi ſciret ejuſmodi cauſam non eſſe ſufficientem, minimè illud tranſgrederetur.

Ratio hujus deſumitur ex benignitate legiſlatoris humani non poſcentis tantam diligentiam in inda-

indaganda cauſa excuſante à ſua lege, quantam exigit jus divinum poſitivum, aut naturale: & eapropter leges humanæ benigniorem in animæ favorem admittunt interpretationem quam divinæ.

Huic doctrinæ innixi Doctores paſſim excuſant à mortali violantem præceptum jejunii, audiendi miſſam, legendi horas, aut aliud hujuſmodi, dummodò is bonâ intentione, ex cauſa, quæ bona fide ipſi putatur ſufficiens, eſto à parte rei ſit inſufficiens, ejuſmodi præceptum non obſervet, ſepoſitâ quâvis fraude.

DUBIUM V.

An detur ignorantia invincibilis juris divini excuſans à peccato.

Datur ignorãtia invincibilis juris divini.

RESP. Affirmativè: quia cum hujuſmodi leges non niſi revelatione, & debita promulgatione cognoſcantur, fieri poteſt quod neque revelationis, neque promulgationis illius ulla unquam inciderit cogitatio aut notitia, vel ſi inciderit, quod adhibuerit omnia quæ pro conditione ſui ſtatus tenebatur adhibere ad ſciendum: tales ſunt leges fidei, ſpei, charitatis, baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſuſcipiendorum.

Requiſita ad ignorãtiam invincibilem juris divini.

Petes, quæ requirantur ut quis cenſeatur laborare ignorantia invincibili legis divinæ.

Reſp. hæc tria.

1. Ut quis cauſam ejuſmodi ignorantiæ non dederit fugiendo, vel poſitivè repellendo ejuſmodi doctrinam pro ſtatu & conditione ſua ſibi neceſſariam.

2. Ut omnia adhibuerit quæ ejuſmodi conditionis homines prudenter ſolent adhibere pro indaganda fidei veritate.

3. Quod non laboret pertinacia, ſed ſit in eo humilis voluntas ad aſſentiendum veritati quoties illa debitè illi proponetur.

Defectu primi requiſiti non laborat ignorantia invincibili credendorum miles, in exemplo dubio 3. ſupra poſito, ad naves hæreticorum proprio motu operam collocans.

Defectu ſecundi requiſiti non laborat ignorantiâ invincibili qui, ex negligentia & ſocordia, non curat diſcere ad ſalutem neceſſaria defectu catheciſmi, concionis &c.

Defectu tertii non laborat ignorantiâ invincibili qui, audiens veritatem ſibi debitè propoſitam, illi non vult acquieſcere, ſive ex humano reſpectu, timore, aut pravâ aliquâ diſpoſitione.

Datur ignorãtia invincibilis ſidei neceſſariæ ad ſalutem.

Petes, an dari poſſit ignorantia invincibilis articulorum explicitè neceſſitate medii credendorum ad ſalutem.

Reſp. Affirmativè: quod quidem quoad infideles qui de fide catholica numquam audiverunt, aut

aut quibus Evangelium numquam eſt promultagatum, eſt certum, undè hæc propoſitio, *Infidelitas purè negativa in his quibus Chriſtus non eſt annuntiatus, eſt peccatum*: eſt à PIO V. damnata.

Petes, an ejuſmodi ignorantia invincibilis, quoque poſſit dari in partibus catholicis.

Reſp. Affirmativè: quia poteſt quorumdam fidelium præſertim parvulorum eſſe tanta hebetudo; & paſtorum, item parentum eſſe tanta negligentia, ut non ſtet per ipſos quod ignorent neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, & eapropter illa ſine ſua culpa ignorent: quid enim vetat quod puer aliquis ſingulis diebus dominicis & feſtivis frequentet eccleſiam, ſed per incuriam paſtoris, nunquam catnecizantis vel concionantis, illa nunquam proponantur: accedit, fideles quandoque educari inter infideles, aut inter hæreticos, ubi de illis myſteriis nihil illos contingit unquam audire.

Præterea nemo poteſt credere ſine prædicante, teſte Apoſtolo ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Ergo qui nihil audiverunt unquam de Evangelio non poſſunt credere: & per conſequens excuſantur: eapropter Chriſtus Joann. 15. ait *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*. Nempè illud ut explicat S. Auguſtinus, quod commiſerunt non credendo in Chriſtum.

Petes, an hinc non ſequatur quod quis poſſit ſalutem conſequi ſine fide aut Baptiſmo..

Reſp. negativè: quia hujuſmodi barbari qui de fide aut Religione Catholica nihil unquam audiverūt non damnabuntur quidem ob peccatum infidelitatis, ſed propter idolotatriam, vel alia crimina, quæ contra legem naturæ commiſerunt.

Notandum tamen inter Catholicos non facilè admittendam ignorantiam invincibilem articulorum fidei: unde ait S. Thomas Lectione 4. in Epiſt. 1. ad Cor. 11. quod nullus fidelis propter ſuam ſimplicitatem excuſatur ſi habeat errorem circa miſteria fidei quæ ſolemniter in eccleſia celebrantur, & quæ communiter verſantur in ore fidelium; ut ſunt myſterium SS. Trinitatis, nativitatis, reſurrectionis Chriſti: loquitur autem de hujuſmodi fidelibus, qui habitant in illis locis ubi talia myſteria celebrantur & prædicantur. Rariſſima inter fideles datur ejuſmodi ignorandi invincibilis.

Petes, an ſi quis interrogatus à confeſſario ſuper numero & ſpecie peccatorum, reſpondeat ſe deſuper nunquam à confeſſariis fuiſſe interrogatum, an poſſit laborare illius ignorantiâ invincibili?

Reſp. Affirmativè: quia legis divinæ poteſt dari ignorantia invincibilis; prout quoque quandoque excuſari poteſt ab obligatione repetendæ confeſſionis, qui peccatum

catum aliquod ſcienter omiſit confiteri in ſua juventute, invincibiliter tunc ignorans divinum præceptum, quo obligabatur ſimul omnia ſua mortalia in eadem confeſſione exprimere.

Idem dic de illo, qui in ſua juventute ſcienter omiſit in confeſſione peccatum mortale, ſciens quidem debere ſe omnia ſimul in eadem confeſſione exprimere, ſed in ſequentibus confeſſionibus illud bonâ fide huc uſque omiſit, eoquod nullum hucuſque de ejuſmodi peccato ipſi inciderit dubium; dic, inquam, ejuſmodi pœnitentem non debere repetere omnes confeſſiones hactenus factas, quippe qui excuſetur ratione ignorantiæ invincibilis; debere tamen ipſum repetere confeſſionem illam, in qua ejuſmodi peccatum culpabiliter omiſit.

Non ſemper prærequiritur recurſus ad Deũ ut ignorantia juris divini cenſeatur invincibilis.

Petes, an, ut ignorantia juris divini poſitivi cenſeatur invincibilis, ultra hactenus requiſita non prærequiratur recurſus ad Deum per emundationem propriæ conſcientiæ & orationes quibus petatur illuminatio & inſtructio ſuper veritate cognoſcendâ.

Reſp. generaliter hoc non eſſe neceſſarium, ſed bene in caſibus particularibus, ut quando opus eſt aliqua ſcire, quæ viâ ordinariâ & communi ſciri non poſſunt, ſed particulari Dei illuminatione, prout contingit quando agitur de deciſione alicujus propoſitionis ad fidem pertinentis; nam quamvis Chriſtus promiſerit eccleſiæ aſſiſtentiam ſuam, vult illam tamen orationibus implorari: idem uſuvenit in dubio de ſtatu vitæ eligendo, aut ſimili negotio, unde ſalus animæ dependet; neque enim tunc ſufficit conſulere confeſſarium, aut virum aliquem pium & doctum, ſed inſuper oportet ejuſmodi negotium Deo ſimul per preces prævias commendare, ut dignetur nos dirigere ſive aliorum conſilio, ſive internâ motione ad illud acceptandum quod futurum eſt maximè ſalutare.

Petes, an in dubiis circa jus divinum non liceat petere à Deo manifeſtationem veritatis prætermiſſis humanis mediis quæ ſuppetunt.

Reſp. negativè: ſiquidem hoc eſſet tentare Deum, & accederet ad ſpiritum privatum hæreticorum.

DUBIUM VI.

An detur ignorantia invincibilis Statutorum particularium ad officium ignorantis pertinentium.

Reſp. & dico 1. horum ignorantiam per ſe reputari vincibilem & culpabilem; utpotè eorum quæ quis ſciri poteſt ac debet, nam præceptum quo quis ex officio aliquid præſtare debet,

conſequenter obligat illum ad illud ſciendum.

Dico 2. per accidens tamen poſſe contingere qui hujuſmodi particularis legis ſpectantis ad proprium officium, habeatur ignorantia invincibilis; tunc nimirum quando quis juxta negotii gravitatem & qualitatem perſonæ ſuæ & officii, adhibuit ſufficientem diligentiam ad ea ſcienda quæ ſpectant ad ſuum officium, ac nihilominus aliquid ignorat, aut ne quidem umquam per modum dubii ipſi inciderit: eapropter ſicuti is, qui nihil unquam audivit, dubitavit, vel cogitavit de cenſura hæreſi annexa, cenſetur habere ignorantiam invincibilem ejuſmodi cenſuræ, ita quoque qui nihil unquam audivit, cogitavit, aut potuit cogitare de aliqua lege particulari concernente ejus officium, dicitur laborare illius ignorantiâ invincibili. Si autem dubium aliquod, vel cogitatio illius occurrat tenebitur adhibere diligentiam debitam, etiam inquirendo à peritioribus ſe, an ſit hujuſmodi lex, antequam illa cenſeatur invincibilis.

Eapropter ut confeſſarius valeat cognoſcere, an ejuſmodi ignorantia, quâ laborat pœnitens ſit invincibilis, debet ab eo inquirere an communem & generalem diligentiam, juxta conditionem ſui ſtatus, adhibuerit ad ea ſcienda quæ ſunt ſui officii, & an nullum dubium, aut cogitatio illi inciderit de particulari illo præcepto quod ignoranti & quod ſi nulla talis cogitatio aut dubium inciderit, reputabitur ejuſmodi ignorantia in foro conſcientiæ invincibilis: prout & ſi quæ inciderit, & ille diligenter quæſiverit, nec invenerit. Quamquam in foro externo omnes ejuſmodi ignorantiæ præſumantur culpabiles.

DUBIUM VII.

An detur ignorantia invincibilis facti.

Reſp affirmat. idque in omni materia, ſive illa ſit juris humani, ſive divini, ſive naturalis: & hoc ideo, quia ignorantia facti eſt ſemper reſpectu alicujus particularis concernentis materiam actus vel illius circumſtantiam, quod facilè poteſt ignorari: & ita Jacob Gen. 29 laborabat ignorantiâ facti invincibili, quia eſto ſciret non licere accedere ad non ſuam, invincibiliter tamen ignorabat Liam eſſe non ſuam. Adeòque non peccavit accedendo ad illam.

Petes, quid ſi quis voluntariè perpetret actum peccaminoſum, cui conjungitur aliqua circumſtantia mala; an illius circumſtantiæ ignorantia poſſet eſſe invincilis?

Reſp. Affirmativè: ita enim Judas Gen. 38. ingreſſus ad Thamar nurum ſuam, putans eſſe ſcortum, quamvis peccaverit peccato fornicationis, non tamen peccato inceſtus; quia circumſtantia nurûs illi erat invincibilis.

Pe-

Digitized by Google

Petes, an ignorantia facti excuſet à pœnis & cenſuris?

Reſp. affirmativè, ſi ſit invincibilis, quippè quæ excuſet à culpa, & conſequenter à pœna: præterea quia ignorans invincibiliter factum, non cenſetur contumax; pœna autem eccleſiaſtica non fertur niſi in contumaces.

Ex quo patet quod confeſſarius frequenter poſſit abſolvere ab excommunicatione aut aliis cenſuris eccleſiaſticis clericos vel laïcos, eò quod illas ſæpè invincibiliter ignorent.

Petes, an peccans invincibiliter ignorans caſum aliquem reſervatum, illius reſervationem incurrat?

Reſp. Affirmarivè: eoquod talis reſervatio non ſtatuatur ut pœna, ſed ut medicina, & quaſi medium neceſſarium ad bonam eccleſiæ gubernationem: ex quo collige ignorantiam reſervationis in pœnitente non tribuere facultatem confeſſario ipſum à tali peccato abſolvendi.

Petes, an ignorantia invincibilis pœnæ excuſet à peccato.

Reſp. negat: quia non tollit voluntarium reſpectu actus illiciti.

Petes, an qui ſcienter legem naturalem, poſitivam divinam, aut civilem tranſgreditur, invincibiliter ignarus pœnæ illi annexæ, illam incurrat.

Reſp. Affirmativè: eoquod pœna non pendeat à conſenſu delinquentis, ſed à voluntate legiſlatoris.

DUBIUM VIII.

An dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturæ excuſans à peccato.

Dico 1. non poſſe dari in adultis ejuſmodi ignorantiam invincibilem in univerſaliſſimis principiis juris naturæ: qualia ſunt; jus ſuum cuique tribuendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; declina à malo, & fac bonum: cum enim hæc & ſimilia ſint maximè perſpicua, utpotè lumine naturæ nota, nemo ratione utens poteſt illud ignorare; cum, ut ait Pſalmiſta, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Et S. Joann. cap. 1. *Illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et eatenus lex naturalis eſt eadem apud omnes gentes. *Non datur in adulto ignorãtia invincibilis in primis principiis juris naturæ.*

Dico 2. præcepta juris naturæ quæ ex primis illis principiis, tamquam concluſiones, evidenter, & nullo quaſi negotio ab adulto poſſunt deduci, qualia ſunt præcepta Decalogi, non poſſunt quoque invincibiliter ignorari; ſunt enim ita naturæ humanæ conſentanea, ut lumen rationis latere non poſſint. Ex quo efficitur, non eſſe veroſimile, quod aliqui hiſtorici tradiderunt, apud aliquas gentes licuiſſe furta; apud alias adulteria apud alias promiſcuos concubitus; apud alias homicidia: ſed bene ejuſmodi ſcelera apud certas nationes fuiſſe permiſſa, aut impunita, causâ vitandi ma- *Neque in concluſionibus inde evidenter deductis.*

juris mali: vel certè ſi apud quaſdam ſimilia æſtimata fuerint licita, id factum fuiſſe ex errore & ignorantia ipſis vincibili.

Quandoque datur ignorantia invincibilis in concluſionibus quæ remotè ex primis principiis educuntur.

Dico 3. dantur aliqua præcepta juris naturæ, quæ licet ex primis illis principiis deducantur, non tamen clarè & perſpicuè, ſed remotè & obſcurè; qualia ſunt lucrum ex mutuo exigere; plures uxores habere; furari ad dandam eleëmoſynam; mentiri ad liberandum aliquem à morte; tyrannum propria auctoritate occidere; metu mortis promovere indignum ad beneficium eccl: & alia hujuſmodi: circa quæ dicimus dari poſſe ignorantiam invincibilem, præſertim dum teguntur aliquâ circumſtantiâ bonâ & honeſtâ; nam licet hujuſmodi mala ex principiis per ſe notis deducantur, dubitari tamen non poteſt quin opus ſit magno rationis acumine ad ejuſmodi concluſiones ex primis principiis educendas: eapropter non ſolum ethnici, aut etiam chriſtiani indocti, ſed & inter illos quidam doctiſſimi horum nonnulla jure naturali licita ſunt arbitrati. Certè Caſſianus collatione 18. cap. 17. Item Origenes lib. 7. Strom. putaverunt mendacium quandoque licitum ad majus malum evitandum.

Rariſſima apud fideles datur juris naturæ ignorantia invincibilis.

Eſt tamen advertendum apud fideles rariſſimam dari horum ignorantiam invincibilem, eò quod apud ipſos ſit frequens divini verbi prædicatio, vitiorum reprehenſio, virtutum commendatio, quibus mendacia, fraudes, furta, uſuræ, multitudo uxorum &c. tamquam per ſe mala condemnantur.

Confeſſarius nō facilè credet pœnitenti aſſerēti ſe quidpiam invinciliter ignoraſſe in jure naturæ.

Quare prudens confeſſarius non facilè credet pœnitentibus aſſerentibus ſe ignoraſſe actus impudicos, pollutiones, & ſimiles immunditias eſſe peccata; ac proinde, ſi ſimilia peccata in ſua juventute in confeſſione ſubticuerint, inducet illos pro majori ſecuritate ad faciendam confeſſionem generalem; quia quotidianâ experientiâ conſtat magis ex verecundia, quam ex ignorantia eos hujuſmodi ſordes in confeſſione ſubticere: qui, ut ſuper his convincantur, interrogandi ſunt an ejuſmodi immunditias auſi fuiſſent perpetrare in conſpectu parentum, aut aliorum hominum proborum, qui procul dubio reſpondebunt negativè; ex quo apparet eos in hujuſmodi immundis actibus ſciviſſe latere aliquid mali, cum nemo verecundetur in conſpectu aliorum facere bona, ſed mala.

Sed quid ſi replicent ſe in conſpectu parentum aut aliorum hominum proborum verecundari quoque facere opus naturæ, quod tamen non eſt malum.

Reſp. tunc ulterius interrogandos, an ſaltem non auderent dicere parentibus, aut aliis probis hominibus, ſe iviſſe ad opus naturæ: aſſerent id procul dubio: petendum igitur ulterius; an ſimiliter aude-

aude-

auderent dicere parentibus aut aliis probis hominibus ſeſe hujuſmodi immunditias commiſiſſe : procul dubio reſpondebunt negativè ; ex quo convincuntur ſe in hujuſmodi actibus immundis animadvertiſſe aliquam rationem mali, adeoque non laboraſſe ignorantiâ invincibili circa hujuſmodi mala jure naturæ illicita.

Porrò quod dari poſſit ignorantia invincibilis excuſans à peccato quoad præcepta juris naturæ recenſita in tertia concluſione, probari poteſt hoc modo.

1. Quia nulla ratio diverſitatis adferri poteſt cur ignorantia invincibilis potius habeat locum in iis quæ ſunt juris divini poſitivi aut humani, quam in iis quæ ita remotè, & cum difficultate deducuntur ex principiis juris naturæ: quod enim aſſeritur ignorantiam juris naturæ procedere ex peccato primi parentis, idem dicemus de ignorantia juris poſitivi aut facti; ſi enim Adam non peccaſſet, poſteri ejus non laboraſſent tali ignorantiâ, quali modo laborant, quippè quæ ſit pœna peccati; quinimo quod Evangelium non ſit omnibus promulgatum, nec omnes calleant neceſſaria ad ſalutem eſt pœna peccati originalis.

2. Præterea Doctores Theologi, prout & utriuſque juris, item paſtores, & confeſſarii in quæſtionibus dubiis concernentibus materiam juſtitiæ, non exiſtimant ſe peccare dicendo ſententiam ſuam, eſto nihil appareat certi pro alterutra parte : & hi quoque paſſim approbant emptionem cenſuum perſonalium, quam tamen ex jure naturæ non eſſe niſi probabiliter licitam, inde patet, quod complures Doctores inſignes hujuſmodi emptiones habeant pro uſurariis. Idem quoque ſit judicium de montibus pietatis, quos approbarunt plerique Epiſcopi & Doctores Belgii, cum tamen juſtitia illorum non ſit jure naturæ certa ; eò quod complures etiam viri doctiſſimi, in eorum erectione deſuper conſulti, aſſeruerint illos eſſe uſurarios.

Quare ſi nulla daretur ignorantia invincibilis juris naturæ excuſans à peccato, nullus Paſtor aut confeſſarius, interrogatus ſuper dubio juris naturæ, deſuper poſſet reſpondere, niſi evidens, clara, & certa pateret illius ſolutio; cum ſe exponeret periculo alterutri inferendi injuriam : nec quiſquam unquam poterit ſe conformare huic principio, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, ne ſe exponat periculo retinendi rem alienam ſed ſemper in ejuſmodi dubio debebit ſequi partem tutiorem.

Inſuper ſequitur complures antiquos Doctores, qui docuerunt dari invincibilem ignorantiam juris naturæ, vincibiliter erraſſe; & in ea opinione mortuos, eſſe propter illam puniendos.

Q 3 Dices:

Dices: S. Auguſt. lib. 1. retract. cap. 15 ait; omne peccatum contra jus naturæ commiſſum eſſe voluntarium voluntate facti, eſto non voluntate peccati; ergo non datur ignorantia invincibilis juris naturæ: eò quod lumen naturæ nobis inſitum, permittat illud malum ſemper aliquo modo à nobis ſciri: quamvis enim qui hac ignorantiâ laborat, v. g. qui officiosè mentitur ad aliquod malum avertendum, qui furatur ad dandam eleëmoſynam egeno, poſſit ignorare malum illud ſub ratione generis id eſt ſub ratione peccati, ſemper tamen cognoſcit ſub ratione ſpeciei ut inquit Eſtius, id eſt, quamvis mendacium tale, vel furtum ignoret eſſe peccatum, ſcit tamen mendacium eſſe, vel furtum.

Reſp. quando S. Auguſtinus ait peccantem ex ignorantia contra jus naturæ peccare voluntate facti, & non peccati, idem dicit ac ſi diceret, terminis nobis in ſcholis uſitatis, quod peccet materialiter, & non formaliter contra jus naturæ: quo modo plurima S. Auguſtini loca poſſunt explicari: prout & quod intelligantur de primis principiis juris naturæ, vel de concluſionibus inde propinquè deductis: in quibus libenter concedimus, & aſſerimus nullam dari ignorantiam juris naturæ invincibilem: quod ſi verò S. Auguſt. dicat illa quoque eſſe voluntaria, quæ valde remotè ex principiis juris naturæ deducuntur, reſpondebimus eſſe voluntaria voluntate facti, ſed non peccati; id eſt eſſe materialiter peccata, ſed non formaliter.

Dices S. Auguſtinus, lib. de Gratia & libero arbitrio, ſic ait: „ Ignorantia quæ non eſt eorum „ qui ſcire nolunt, ſed eorum qui „ tamquam ſimpliciter neſciunt, „ neminem ſic excuſat ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea „ non credit quia non audivit omnino quod crederet, ſed fortaſſis „ ut mitius ardeat: & iterum Tract. 89. in Joan. ſic ait: „ Ac per hoc „ inexcuſabilis eſt omnis peccator „ vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui „ ignorat, ſive qui judicat, ſive qui „ non judicat; quia & ipſa ignorantia in iis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum „ eſt; In iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.

Reſp. S. Auguſtinum in ejuſmodi locis agere de infidelibus, quos ait nullam poſſe prætendere excuſationem ſuæ damnationis, ſive Chriſtus illis fuerit annuntiatus, ſive ignotus; quia priores damnabuntur propter peccatum infidelitatis; poſteriores verò non propter infidelitatem, ſed ob alia crimina, quæ malè vivendo commiſerunt.

DU-

DUBIUM IX.

An Ignorantia vincibilis eorum quæ quis ſcire tenetur, ſive ſint juris naturæ, ſive poſiti vi, ſecundum ſe ſit peccatum.

PRænotandum aliquid tribus modis dici peccatum: primò formaliter ſeu per denominationem intrinſecam; hoc eſt propter malitiam intrinſecè ipſi actui inexiſtentem; prout contingit in actibus malis à voluntate elicitis. 2. Per denominationem extrinſecam, nempe ob malitiam inexiſtentem alteri actui; quomodò actus aliarum potentiarum voluntati ſubditarum nominantur mali à malitia actus voluntatis, à qua imperantur. 3. Dicitur aliquid peccatum, quia eſt effectus peccati; quomodo omne voluntarium in cauſa denominatur peccatum. His præſuppoſitis.

Ignorantia ſecundum ſe eſt eodem modo peccatum ſicuti furtum.

Reſp. & dico: ignorantia procedens ex culpabili negligentia voluntatis eſt eodem modo peccatum, prout ſunt furtum, homicidium, adulterium, quatenus à libera voluntate procedunt.

Probatur 1. ſicuti enim ad completum peccatum externum furti & adulterii, requiruntur duo actus, internus nempe, & externus; & uterque denominatur peccatum, internus quidem formaliter, externus verò materialiter, per denominationem videlicet extrinſecam; ita quoque ad completum peccatum ignorantiæ requiruntur duo, nempe privatio ſcientiæ debitæ ineſſe ſubjecto, & negligentia ſciendi, ſumpta pro nolitione formali vel interpretativâ ad diſcenda ea, ad quæ quis obligatur.

2. Probatur: quia ad hoc ut aliquid ſit peccatum ſufficit quod ſit actus contrarius legi, qualis eſt ignorantia eorum quæ quis ſcire obligatur.

3. Ejuſmodi ignorantia eſt rationi diſſentanea, ſicut furtum.

Petes, an ignorantia habeat malitiam objectivam, ſeu ſit intrinſecè mala, ſicut adulterium, vel homicidium; an verò omnem deformitatem ſumat à negligentia diſcendi.

Reſp. eam quidem habere malitiam objectivam & intrinſecam, non tamen ſicut adulterium vel homicidium; quia ipſa privatio ſcientiæ non eſt ſecundum ſe mala, ſed ratione adjuncti, nempe quatenus eſt ejus quod quis tenetur ſcire.

Dices, peccata tolluntur per pœnitentiam; ſed ignorantia per eam non tollitur; ergo illa non eſt peccatum.

Reſp. per pœnitentiam tolli formale peccati, non verò materiale; ut patet in homicidio, adulterio, & aliis: prout quoque contingit in ignorantia; nam per pœnitentiam tollitur voluntaria negligen-

gligentia addiſcendi, quæ eſt ipſius formale; ſed non ſtatim tollitur privatio ſcientiæ, quæ eſt ipſius materiale; ut patet experientiâ.

Petes, pro quo tempore incurratur peccatum formale ignorantiæ.

Quandonam incurratur peccatum ignorantiæ.

Reſp. pro illo quo quis ex præcepto obligatur ſcire: cum enim peccatum ignorantiæ conſiſtat in voluntaria omiſſione ſcientiæ debitæ ineſſe, incurritur eo tempore, quo cætera peccata omiſſionis incurruntur, nempè quo præceptum affirmativum ad ſui impletionem eſt obligans.

Petes: an ignorantia ſit ſpeciale peccatum.

Ignorantia eſt ſpeciale peccatum ſed non ſemper.

Reſp. affirmativè: ſi nimirum ignorantia ſit eorum, quorum ſciẽtia præcipitur ratione ſui, quippè quæ opponitur tunc illi virtuti, quæ talium rerum cognitionem præcipit: talis eſt ignorantia myſteriorum fidei oppoſita virtuti fidei. Quod ſi verò ignorantia ſit eorum, quorum ſcientia præcipitur in ordine ad aliquod opus præceptum, tunc hæc non conſtituit ſpeciale peccatum, ſed multiplex; quippè quæ multiplici virtuti opponatur, nimirum illi cujus eſt tranſgreſſio, aut tranſgreſſionis periculum ſecum confert; ſeu ut clarius dicam, opponitur illi virtuti, ad quam pertinet obſervatio illius præcepti: & ita vincibilis ignorantia diei jejunii, opponitur præcepto jejunii; vincibilis ignorantia furti opponitur præcepto, *non furaberis*; vincibilis ignorantia fornicationis, opponitur præcepto, *non mœchaberis*; ita de cæteris: & hoc ideo, quia ejuſmodi ignorantes exponunt ſe periculo committendi hujuſmodi peccati: qui autem exponit ſe periculo alicujus peccati committit peccatum ejuſdem ſpeciei, cum illo cujus periculo ſe exponit; quippè indirectè volens hujuſmodi actum peccaminoſum.

Petes, an, quandocumque quis peccat ex ignorantia, committat duo peccata?

Peccãs ex ignorantia, quando que cõmittit duo peccata quandoque non.

Reſp. id aliquando contingere, ſed non ſemper: tunc autem peccans ex ignorantia committit duo peccata, quando eſt eorum quæ quis obligatur ſcire ratione ſui: ſi quidem ignorantia ſe ipsâ tunc eſt ſpeciale peccatum, & dein aliud quod ex ignorantia committitur. Talis eſt ignorantia myſteriorum fidei, cujus occaſione aliquis incidit in hæreſim: talis quoque eſt ignorantia Paſtoris & Confeſſarii neſcientis ea quæ ſcire tenetur, ex qua aliquem ſacrilegè abſolvit. Quando verò ignorantia eſt eorum quæ quis ſcire tenetur in ordine ad opus præceptum, tunc ignorantia & actus peccaminoſus qui ex ignorantia committitur non ſunt duo peccata: & ita vincibiliter ignorans diem jejunii & eapropter non jejunans, unum tantum peccatum admittit contra præceptum jejunii.

Petes, an peccata ex ignorantia vincibili admiſſa ſint ejuſdem ſpeciei cum illis quæ fiunt ſcienter.

Reſp.

Digitized by Google

Peccatum ex ignorantia commiſſum eſt ejuſdem ſpeciei cum illoquod ſit ſciẽter.

Reſp. affirmativè ſive ſit ignorantia juris naturalis, ſive juris poſitivi divini, ſive poſitivi humani, ſive facti; & hoc ideo, quia opponuntur eidem virtuti & præcepto; quamvis tamen illa aliquouſque ſint leviora propter ignorantiam, dummodò ignorantia non ſit affectata.

Petes, cujus ſpeciei peccatum ſit ignorantia vincibilis.

Reſp. id patere ex antedictis, nempè eſſe peccatum oppoſitum illi præcepto aut virtuti, ex qua tenetur homo aliquid ſcire vel facere.

Petes, an ergo ignorantia craſſa vel ſupina myſteriorum fidei ſit hæreſis,

Reſp. affirmativè ſi habeat conjunctam pertinaciam, ſecus verò ſi habeat adjunctum animum paratum ad errorem illum corrigendum, ubi innotuerit.

Hic pauliſper Lector attende.

ET vitam tuam ante-actam internâ mentis diſcuſſione examinans ſtatue te ante te, & converſus ad te ipſum aſpice abyſſum tenebroſam paſſionum, concupiſcentiarum, & ignorantiarum tuarum, quibus hactenus collo tenus jacuiſti immerſus; & plangendo dic cum Pſalmiſta; delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine: & cum S. Auguſtino pone omnes tranſgreſſiones ignorantiarum tuarum ante oculos tuos, & ſuſpirando exclama; væ præteritis ignorantiis meis, quando non cognoſcebam te Domine. Gratias tibi ago illuminator meus, quoniam tu illuminaſti me. Serò te cognovi veritas antiqua, ſerò te cognovi veritas æterna, ſerò te cognovi lumen verum & indeficiens, quia nubes magna & tenebroſa hactenus offuſcavit oculos vanitatis meæ.

Digitized by Google

TRACTATUS VII.
De circumſtantiis actuum humanorum.

DUBIUM PRIMUM.
Quid Circumſtantia actus humani.

Quia tractatus de circumſtantiis actuũ humanorum complectitur plura. ſcitu maximè neceſſaria omnibus paſtoribus & confeſſariis in ordine ad directionem conſcientiarum in foro interno, nempè ad diſcernendum inter majorem, vel minorem bonitatem, vel malitiam ipſius actus; item ad dignoſcendũ quandonam circumſtantiæ tribuant ſpeciẽ actui humano, vel quandonã illam mutent, vel augeãt, hinc accuratè hic erit de ſingulis agendum.

Pro majori autem elucidatione materiæ prænotandum, actum humanum dupliciter poſſe conſiderari; nempè ſub eſſe naturali, & morali: priori modo ſpectatur, quando conſideratur ſecundùm entitatem ſuam phyſicam; ſecundo verò ſpectatur, dum conſideratur quoad libertatem, & ea quæ in eâ fundantur; ut, eſſe capacem laudis, vel vituperii, meriti, vel demeriti; quod facile oſtendi poteſt in actione externa; v. g. ambulatione S. Petri Apoſtoli ad hortum Getshemani, quæ ſpectata quoad eſſe naturale, eſt ejuſdem ſpeciei cum ambulatione Judæ ad eundem hortum, ſpectata verò in eſſe morali, hoc eſt quatenus liberè fit, & liberè dirigitur in bonum vel malum finem, eſt diverſæ ſpeciei; nam Petrus ambulabat ad hortum Getshemani ut ibidem oraret; Judas verò ut Chriſtum traderet, adeoque ob diverſam circumſtantiam finis; una eſt bona & altera eſt mala in eſſe morali; quæ diverſitas quoque oſtendi poteſt in uno & eodem homine: nam contingit quandoque quempiam incipere ſuam ambulationem ob bonum finem, & in progreſſu finire ob malum; quo caſu erit eadem ambulatio in eſſe naturali, ſed diverſæ ſpeciei in eſſe morali; quippè in initio bona, & in fine mala. Eadem diverſitas oſtendi poteſt in actu voluntatis interno; qui etiam conſiderari poteſt ſecundùm duplex *eſſe*, naturale, & morale: in priori ſunt omnes actus voluntatis indeliberati, in poſteriori verò omnes deliberati.

Petes, an actus humanus habeat cir-

circumſtantiam ſecundùm utrumque *eſſe*.

Reſp. affirmativè: & inprimis quoad *eſſe* morale patet; quia dantur aliquæ conditiones quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe ab actu manente in eâdem ſpecie morali; ſic tamen ut multum conferant quoad bonitatem, vel malitiam actus; ut ſunt intenſio, vel remiſſio actus: quoad *eſſe* naturale quoque patet; quia talis v. g. eſt conditio manus dexteræ, vel ſiniſtræ reſpectu dationis eleëmoſynæ.

Petes, in quotuplici differentia ſint circumſtantiæ actus humani.

Circûſtantiæ ſunt in quadruplici differẽtia.

Reſp. in quadruplici. Aliquæ enim ſunt impertinentes, nempè quæ nec augent, nec minuunt bonitatem, vel malitiam actus; qualis eſt conditio manus dexteræ, vel ſiniſtræ reſpectu furti commiſſi: aliæ ſunt circumſtantiæ notabiliter augentes; qualis eſt intenſio actus; ut ſi quis cum magno zelo & conatu faciat opus bonum. 3. aliæ ſunt minuentes; qualis eſt circumſtantia metus mortis quo quis impellitur ad furtum. Quartò aliæ ſunt mutantes ſpeciem; qualis eſt circumſtantia loci ſacri reſpectu fornicationis in eo commiſſæ.

Quod ſi derivationem grammaticalem hujus vocis, *circumſtantia*, inquiras, deſcendit à verbo, *circumſto*, quia ſcilicet actum humanum quaſi extrinſecùs circumſtat, utpotè exiſtens extra ipſius ſubſtantiam. Definitur hoc modo: eſt qualitas actus

Definitio circumſtantiæ.

humani, illum attingens quoad bonitatem, vel malitiam, ita tamen ut ſit extra ipſius ſubſtantiam. Ex qua definitione patet illam eſſe accidens actus humani; quippè cum poſſit adeſſe, & abeſſe ab eo ſalvâ ipſius ſubſtantiâ: patet quoque circumſtantias impertinentes, propriè loquendo, non eſſe circumſtantias; cum nihil conferant ad bonitatem, vel malitiam actus.

Petes, quomodò dentur circumſtantiæ actus humani conſiderati in *eſſe* morali; quandoquidem, quotquot ſunt tales conditiones, videantur eſſe de illius eſſentia; ut patet in actu temperantiæ, qui, ut ſit bonus, debet fieri ſub certa menſura, convenient itempore, loco, & fine.

Reſp. ſub diſtinctione: ſunt aliquæ conditiones omninò neceſſariæ, ut actus externus ponatur in ſpecie boni vel mali actus moralis, quæ proinde tranſeunt in rationem objecti ipſius actus; & ideo conſequenter ſunt de eſſentia ipſius morali; talis eſt v.g. conditio perſonæ nô ſuæ, reſpectu copulæ fornicariæ; prout & conditio perſonæ ſuæ reſpectu copulæ conjugalis; niſi enim illæ copulæ conſiderentur quatenus reſpectivè fiunt cum non ſuâ, vel cum ſuâ non habent rationem boni vel mali moralis; idem patet in temperata comeſtione, ut enim illa ſit actio honeſta, oportet illam fieri convenienti tempore &c. Præterea dantur aliquæ conditiones actus humani, quæ to-

Aliquæ conditiones ſunt actui morali eſſentiales, aliquæ accidẽtariæ.

Digitized by Google

totam rationem moralem ipſius actus præſupponunt, quæque illi adveniunt in ſuo *eſſe* morali jam conſtituto, adeoque ab eo poſſunt abeſſe ſalvâ ipſius ſubſtantiâ, ſic tamen ut aliquid conferant ad ipſius bonitatem, vel malitiam: & hæ ſunt veræ circumſtantiæ actus humani: ſic v. g. ad concubitum cum non ſuâ, quo ille conſtituitur in actu morali fornicationis, poteſt accedere circumſtantia conſanguineæ, conjugatæ, monialis, ac conſequenter malitiæ fornicationis ſuperadditur malitia adulterii, inceſtus, vel ſacrilegii.

Petes, an circumſtantiæ actus externi, ſint quoque circumſtantiæ actus interni. Ratio dubitandi eſt; quia ut aliqua circumſtantia tribuat actui aliquam bonitatem, vel malitiam, debet eſſe volita; quod ſi verò ſit volita, tunc tranſibit in rationem objecti ipſius volitionis; adeoque definet eſſe circumſtantia: v. g. ſi Petrus rem aliquam furto abripiat è loco ſacro, voluntas ejus fertur in hoc totum, nempè in ablationem rei alienæ è loco ſacro.

Circũſtantiæ actus externi ſunt quoque circumſtantiæ actus interni.

Reſp. actum internum primariò & per ſe terminari ad objectum, à quo accipit ſpeciem; ſecundariò ad accidentia ipſius objecti: ac proinde non omne id quod cenſetur quocumque modo volitum, tranſire in rationem objecti primarii ipſius volitionis, ſed tantum id, quod primariò & per ſe eſt volitum; non verò quod ſecundario, prout ſunt circumſtantiæ actus externi; quæ proinde poſſunt dici circumſtantiæ etiam reſpectu actûs interni, quatenus ille terminatur ad objectum ſuum primarium.

DUBIUM II.

An Circumſtantiæ conferant actui humano aliquam bonitatem, vel malitiam.

Reſp. Affirmativè.

Prob. 1. ex analogia rerum naturalium, quæ ſicuti totam ſuam perfectionem non accipiunt à forma ſua eſſentiali, ſed inſuper aliquam ab accidentibus; v. g. colore, odore, figurâ, &c. ex quorum quoque carentia accipiunt deformitatem: ita etiam actus humani non totam ſuam bonitatem, vel malitiam accipiunt ab objecto; ſed inſuper à circumſtantiis.

Probatur 2. hâc ratione: quia occaſione circumſtantiarum actus humani fiunt magis, vel minus conformes, vel difformes rectæ rationi: undè ſicuti ex conformitate, vel difformitate actus cum rectâ ratione probatur ille bonus, vel malus; ita ex majori conformitate, vel difformitate, probatur ille magis, vel minus bonus, aut malus.

Dices: intenſio actus, duratio, item quantitas, ſunt circumſtantiæ actus humani, & tamen ipſi actui nullam addunt bonitatem,

tem, vel malitiam: quod probatur ulterius, quia ut circumſtantia tribuat has actui, debet eſſe volita. non poteſt autem eſſe volita, niſi ſit cognita, quales non ſunt dictæ circumſtantiæ: nam quod attinet ad intenſionem actus, quilibet experitur ſe non moveri ad operandum intensè ex cognitione intenſionis in actu futuræ; quod ulterius probatur: quia ſunt multæ cauſæ intenſionis in actibus noſtris, quæ non ſunt nobis voluntariæ; ac proinde ſaltem in hoc caſu major intenſio non erit nobis voluntaria.

Probatur antecedens: quia major intenſio actus quandoque poteſt procedere ex majori inclinatione ad virtutem vel ex gratia, vel habitu ſupernaturali.

Reſp. ut intenſio augeat bonitatem actus, non eſt neceſſe ipſam eſſe voluntariam per modum objecti cogniti; ſed ſufficit quod ſit voluntaria per modum actûs, non quidem in gradu particulari, ſed in toto. Ratio eſt; quia intenſio non auget bonitatem actus in ratione objecti; ſed augendo ipſum actum, qui ex objecto bonus eſt, auget actus bonitatem; cum enim ſuperaddat unum gradum moralem; addit & bonitatem tamquam proprietatem inde promanantem.

Ad confirmationem quod attinet; ſi intenſio proveniat ex cauſa quæ nobis non eſt voluntaria nequidem quoad uſum & applicationem, tunc illa nobis non eſt voluntaria; atque ideo ſimilis intenſio non augebit actûs bonitatem, vel malitiam; quod ſi verò intenſio actûs procedat ex cauſa nobis quoad uſum & applicationem voluntaria, illa quoque augebit proportionaliter bonitatem vel malitiam actûs; ſic intenſio actûs proveniens ex vehementia paſſionis abſorbentis uſum rationis ſicuti non eſt voluntaria, ita nec mala: è contra verò intenſio orta ex habitu ſupernaturali, vel gratiâ actuali, eſto hæ nobis divinitus infundantur ſine ulla noſtra cooperatione, eſt nobis voluntaria, adeoque auget bonitatem actus, eoquod habitus ille, aut gratia, eſto non pendeant à noſtra voluntate quoad infuſionem, pendent tamen quoad uſum & applicationem; quia non poſſunt cauſare ſuos actus, niſi nos voluntate noſtra liberè cooperemur.

Petes, an major libertas conferat, cæteris paribus, ad majorem actus bonitatem, vel malitiam.

Reſp. Affirmativè: eſto enim illa non ſit voluntaria per modum objecti cogniti, eſt tamen voluntaria per modum actus; quod ſufficit, ne detur progreſſus in infinitum: undè ſi per exercitium charitatis, quod liberius nunc aliquis exercet abſolutus à vinculis concupiſcentiarum ſuarum, pergat Deum amare, melior fiet iſte

actus amoris; eſto operans per reflexionem non cognoſcat majorem illam libertatem.

Petes; an continuatio operis boni non augeat intrinſecè bonitatem ipſius operis.

Reſp. Affirmativè: & ratio patet ex dictis.

Petes, an quantitas objecti augeat bonitatem, vel malitiam operis.

Reſp. Affirmativè.

Dices, inde ſequi quod actio quæ habet infinitam quantitatem ex parte objecti, habebit quoque infinitam bonitatem, vel malitiam moralem, ut v. g. hæc actio; volo furari infinitos nummos; volo occidere infinitos homines; volo dare eleëmoſynam infinitis pauperibus; volo convertere infinitos infideles; quod verò hoc ſequatur, inde probatur: quia voluntas dandi eleëmoſynam v. g. uni pauperi, habet ex quantitate objecti certum gradum bonitatis, qui ex ſuppoſitione eſt unicus; conſequenter voluntas dandi eleëmoſynam duobus pauperibus, habet inde bonitatem ut duo; nam ſicuti duplicatur cauſa, nempè objecti quantitas, ſic quoque venit duplicandus effectus, nempè actûs bonitas: ex qua ſuppoſitione conſequenter poſſumus procedere in infinitum: undè voluntas dandi eleëmoſynam infinitis hominibus ex parte objecti habebit bonitatem infinitam, quod tamen certò apparet falſum: nam ex infinitate objecti non ſumit actus bonitatem infinitam; ut patet in actu charitatis, quo diligitur Deus ſecundùm ſe infinitus.

Reſp. negandò ſequelam, cujus ratio eſt, quòd quantitas objecti non augeat bonitatem, vel malitiam actus prout eſt in genere rei, ſed prout eſt in genere objecti voluntarii, & conſequenter in quantum eſt cognita: unde quando duplicatur quantitas objecti, quia non duplicantur omnia ea, quæ requiruntur ut ex eo actus ſumat ſuam bonitatem (non enim duplicatur voluntarium neque augetur) idcirco proportionaliter non augetur actûs bonitas; quin imò potius minuitur ex majori quantitate objecti: nam propter imbecillitatem noſtri intellectus non tam diſtinctè & in particulari percipitur objecti quantitas magna, ſicut parva. *Actio pro objecto habens quantitatem infinitam, non accipit ab ea bonitatem, vel malitiam infinitam.*

Interim tamen hic advertendum, ex infinitate objecti ſemper tranſire in actum aliquam infinitatem ſecundùm quid, & extrinſecam, ratione cujus nunquam poteſt aſſimulari actui terminato ad objectum finitum; & ideo circumſtantia infinitæ quantitatis objecti erit ſemper in confeſſione explicanda: undè qui habuit voluntatem occidendi mille homines, non ſatisfacit in confeſſione dicendo, volui occidere multos homines. *Eſt tamen objectum in confeſſione explicandum.*

Petes, an bonitas, vel malitia, à circumſtantiis deſumpta, ſit actui accidentalis, ſpectato, tam ſecundum

Digitized by Google

dum ſuum *eſſe* ſpecificum, quam individuale.

Reſpondent Valentia, & Bonacina aliquas eſſe tales circumſtantias, quoad utrumque *eſſe* actûs moralis: & tales enumerant circumſtantias loci, temporis, durationis, intenſionis; negant tamen id eſſe de ratione circumſtantiæ, ſed ajunt ſufficere, quod conveniat accidentaliter actui ſpectato in *eſſe* ſuo ſpecifico, eſto tranſeat in rationem objecti ipſius actus ſpectati in eſſe ſuo individuali: cujus generis, inquiunt, eſt quantitas objecti, quæ, ſecundum ipſos, eſt de eſſentia actus ſpectati in *eſſe* ſuo individuali. Qui authores, ſalvo meliori, videntur dicere repugnantia: ſiquidem repugnat ad ſubſtantiam actus pertinere quantitatem objecti, & non pertinere ipſam actus intenſionem, vel durationem; cum hæ ſint ipſi actui magis intrinſecæ, quam ipſa objecti quantitas, & ulterius reprobatur illorum aſſertio: quia id vocatur actui eſſentiale ſine quo actus nec poteſt eſſe, nec concipi; ſed remotâ tali quantitate ab actu, re, vel cogitatione, manet equidem tota actus eſſentia in individuo v. g. in quantitate pecuniæ furtivæ, quamvis tollatur aliqua pars minuta iſtius quantitatis, manebit equidem eadem individuatio ſubſtantialis, ſaltem in genere moris.

2. Quamvis quantitas ſit pars individualis ſubſtantiæ ipſius actus, non eſt tamen pars neceſſaria ad actus ſubſtantiam; nam quamvis actus ex parte objecti quoad *eſſe* individuale poſtulet aliquam quantitatem, tamen nullam quantitatis partem determinatam poſtulat: quia quacumque parte poſitâ, poterit hæc ſpecies individua ſubſiſtere in minori; atque adeo de quovis gradu quantitatis verum erit dicere eſſe accidentalem huic ſpeciei, ſpectatæ quoad *eſſe* ſuum individuale, juxta definitionem accidentis, quod adeſt, atque abeſt ſine ſubjecti corruptione.

Dices, circumſtantiæ mutantes ſpeciem dant bonitatem, vel malitiam ſpecificam diſtinctam ab ea, quam dat objectum; & tamen una ſpecies non eſt accidens reſpectu alterius.

Reſp. negando hoc ultimum ſubſumptum: ſiquidem ſecunda ſpecies notoriè eſt accidens reſpectu ſpeciei, quam actus deſumit ab objecto: quod non eſt inconveniens; nam in naturalibus multæ ſunt ſpecies completæ, quæ ſunt accidentia ipſius ſubſtantiæ, ut albedo, nigredo &c.

Dices: quædam circumſtantiæ non mutantes ſpeciem ſunt partes eſſentiæ ipſius actus; ut v. g. continuatio, duratio, intenſio actus; ergo non ſunt accidentia.

Reſp. equidem illa eſſe accidentia; quia illis etiam re, & cogitatione remotis, intelligetur manere tota actus ſubſtantia quoad *eſſe* ſpe-

ſpecificum, licet non quoad totum integrale.

Petes, quomodo circumſtantiæ, tenentes ſe ex parte objecti, debeant eſſe volitæ, directè, an indirectè, ad hoc ut actui tribuant bonitatem vel malitiam.

Reſp. ut tribuant bonitatem, debent eſſe volitæ directè; ut verò malitiam, ſufficit quod indirectè. Ratio eſt; quia malum eſt ex ſingulis defectibus; bonum verò ex integra cauſa.

DUBIUM III.

An Circumſtantia det actui quandoque primam ſpeciem, quandoque verò ſuperaddat novam ſpeciem.

Quandonam circumſtantia det actui primam ſpeciem

CIrcumſtantia tunc dicitur actui dare primam ſpeciem, quando illam conſtituit in *eſſe* boni, vel mali moralis; quod tunc fit, quando actus, ſine circumſtantia appoſitâ, nec eſſet bonus, nec malus, ſed indifferens; & talis eſt circumſtantia finis reſpectu ambulationis: & quamvis tunc circumſtantia non maneat circumſtantia, utpotè de eſſentiâ actus moralis, dicitur tamen talis, quia eſt accidens reſpectu actus exterioris conſiderati in *eſſe* ſuo naturali.

Petes, cur id quod eſt accidens in moralibus, quale eſt circumſtantia, poſſit potius capi ut differentia conſtitutiva ipſius actus moralis, quam accidens in naturalibus.

Reſp. rationem diverſitatis deſumi ex eo quod dictamen rectæ rationis, undè deſumitur ſpecies actus moralis, non ſit determinatum ad unum, ſed quolibet dato poteſt ratio ulterius procedere, unde fit quod in uno & eodem actu, quæ accipitur ut circumſtantia ſuperaddita objecto, poſſit denuò accipi à ratione, tanquam principalis conditio ipſius objecti, ita ut tamen ſecundum hanc rationem ſit de eſſentia ipſius actus: natura verò eſt ad unum determinata, unde in re qualibet naturali neceſſe eſt pervenire ad unam ultimam formam, ex qua ſumatur differentia ſpecifica ipſius actus.

Petes, quandonam circumſtantia dicatur augere bonitatem, vel malitiam actus in eadem ſpecie.

Quid circumſtantia aggravans.

Reſp. quando auget bonitatem, vel malitiam actus ſub eâdem ratione quâ eſt bonus, vel malus; talis eſt major, vel minor quantitas reſpectu eleemoſynæ, item major, vel minor quantitas reſpectu furti: & hoc ideo, quia parvum & magnum, item multum & paucum, non dicunt peculiarem conformitatem vel difformitatē ad rectam rationē.

Dices, multum & paucum quandoque dant actui primam ſpeciem; ergo dicunt peculiarem ordinem ad rectam rationem; nam multum comedere vel bibere faciunt peccatum intemperantiæ per exceſſum: parum verò per defectum.

Reſp. multum & parum poſſe accipi

accipi dupliciter, primò comparative reſpectu operantis; ita ut multum, ſit idem quod nimium, ſeu plus quam natura operantis poſtulet; & hoc modo poteſt actui dare primam ſpeciem moralem; quia ut ſic ſpecialem dicit repugnantiam ad dictamen rectæ rationis: 2. poſſunt illa duo accipi abſolutè, ut ſint idem, quod magna vel parva quantitas; quo modo ſumpta non conſtituunt ſpeciem boni, vel mali moralis; nam fieri poteſt, quod quis multum comedens, temperatè tamen comedat; ſi videlicet illud multum, comedenti non ſit nimium.

Petes, quid ſit circumſtantia mutans ſpeciem.

Quid circumſtantia mutans ſpecië.

Reſp. eſt illa, quæ actui in eſſe morali conſtituto ſuperaddit peculiarem aliquam conformitatem, vel difformitatem cum recta ratione.

Petes, an ut hæc ſuperaddat novam ſpecie malitiam, debeat directè eſſe intenta.

Quandoque debet eſſe directè intenta, ut ſuperaddat novam ſpecië.

Reſp. nequaquam; ſed ſufficit eſſe volitam indirectè. Ut tamen circumſtantia det actui primam ſpeciem, quandoque debet eſſe directæ intenta; tunc nimirum, quando circumſtantia actus peccaminoſi non poteſt in ſua eſſentia conſiſtere, niſi circumſtantia directè intendatur: ſiquidem ad ponendam rei alicujus eſſentiam requiruntur omnia illa, ſine quibus res illa nequit exiſtere: talis eſt circumſtantia ſcandali ſpecialis, formalis inobedientiæ, ingratitudinis; ſiquidem neque formalis ingratitudo erit, niſi directe beneficium contemnatur; nec ſcandalum formale & ſpeciale, niſi directè intendatur ruina proximi; nec inobedientia formalis, niſi quis præceptum violet eo animo ut faciat contrà præceptum: ſicuti enim formalis obedientia non eſt diſtincta à reliquis virtutibus, niſi præceptum ſerves quia præceptum eſt, ſeu cum expreſſa intentione obediendi ſuperiori; nec formalis gratitudo, niſi aliquid facias cum expreſſa intentione compenſandi; ita nec vitia oppoſita, niſi adſit expreſſa ſeu directa intentio; alioquin enim in quolibet peccato duplex reperiretur malitia; una contra virtutem, ad quam refertur res præcepta; altera contra obedientiam. Undè conſequenter, ſicuti correptio, vel miſericordia poſtulant ut quis intēdat bonum proximi, quatenus bonum illius: ita ſcandalum ſpeciale non ſubſiſtet, niſi quis directè velit ruinam proximi; idem dicendum de actu odii; ſicuti enim ſpecialis actus amoris poſtulat, ut quis directe velit bonum alterius, ut ipſi bene ſit; ita odiū intendēdo malum proximi, ut illi malè ſit. Quod ſi verò ſubſtantia actus peccaminoſi poſſit ſubſiſtere non intendendo expreſſè illam circumſtantiam, ſufficiet indirectè tantum & interpretativè illam intendere; quia hoc ſufficit ad rationem voluntarii.

Petes, an omnis actus moraliter

bonus per oppoſitam circumſtantiam malam poſſit fieri malus.

Reſp. negativè: quia non actus fidei, ſpei, vel charitatis: ratio eſt; quia illi actus ſunt talis naturæ, ut non poſſint produci ſine ſupernaturali imperio voluntatis, quod cum ſit ex gratia Dei ſupernaturali, non poteſt eſſe niſi bonum & honeſtum; & conſequenter actus, ab hoc imperio promanantes, non poſſunt eſſe niſi boni & honeſti. Hinc collige cur potius quis poſſit malo fine ſuſpicere Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ, quam elicere actus fidei, ſpei, vel charitatis malo fine: ratio enim diverſitatis eſt; quod voluntas ſuſcipiendi Sacramenta non debeat neceſſariò eſſe ſupernaturalis, vel procedere ex gratia Dei, ſicuti debet voluntas credendi, ſperandi, vel amandi Deū.

DUBIUM IV.

Quot ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem actus; quot item aggravantes malitiam actus intra eandem ſpeciem.

Reſp. ſeptem; quæ hoc verſiculo continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Circumſtantia, *quis*, denotat qualitatem perſonæ peccantis.

Talis mutans ſpeciem eſt qualitas perſonæ voto obſtrictæ, aut conjugatæ, reſpectu fornicationis ab illa commiſſæ.

Talis quoque eſt ſæpe qualitas paſtoris, ſuperioris, reſpectu ebrietatis ab illis commiſſæ; nam ſuperaddit ordinariè malitiam ſcandali.

Circumſtantia, *quis*, aggravans intra eandem ſpeciem, eſt qualitas perſonæ ſæpius relapſæ in idem peccatum; quia illud fit majus ratione majoris ingratitudinis.

Talis quoque eſt circumſtantia perſonæ bis voto ſolemni adſtrictæ reſpectu ſacrilegii, in materia carnali ab ipſa commiſſi.

Talis quoque eſt qualitas perſonæ doctæ reſpectu contractus uſurarii ab ipſa initi.

Circumſtantia, *quid*, denotat qualitatem objecti, aut materiæ, circa quam actio verſatur.

Talis, mutans ſpeciem, eſt circūſtantia patris, matris, ſacerdotis, ſuperioris, dum quis illis detrahit, aut illos percutit; nam ſuperaddit actui ſpecialem malitiam contra pietatem, aut obſervantiam reſpectivè parentibus, aut ſuperioribus debitā.

Talis quoque eſt qualitas perſonæ conſanguineæ, affinis, conjugatæ aut voto obſtrictæ, cum qua quis habuit copulam.

Circumſtantia, *quid*, aggravans intra eandem ſpeciem, eſt v. g. major quantitas in furto, majus nocumentum in damno illato; item conditio perſonæ pauperioris, aut magis innocentis, reſpectu injuriæ, illatæ.

Circumſtantia, *ubi*, deſignat qualitatem loci, in quo delictum eſt patratum.

Talis, mutans ſpeciem, eſt qualitas loci ſacri reſpectu furti in eo com-

commiſſi; ubi notandum, quod hæc quatuor modis immutet ſpeciem peccati. 1. dum effunditur peccaminosè ſanguis humanus in loco ſacro, 2. dum effunditur peccaminosè ſemen humanum in eo. 3. dum extrahitur aliquis è templo gaudens azylo; cum tunc violetur immunitas Eccleſiaſtica. 4. Dum cõmittitur actio furtiva in templo.

Nota, hanc circumſtantiam loci ſacri etiam eſſe exprimendam, dum quis actu interno conſentit in peccatum in loco ſacro perpetrandum; ſecus ſi in eo exiſtens velit illud perpetrare extra eccleſiam. Ratio eſt quia actus internus eſt ejuſdem ſpeciei cum actu externo.

Petes an omne peccatum, eo ipſo quo fit in loco ſacro, habeat circumſtantiam annexam mutantem ſpeciem.

Reſp. negativè; ſed tunc tantum, quando peccatum illud directè adverſatur ſanctitati, aut immunitati loci ſacri, aut quando quis peccatum aliquod in illo committit in contemptum, aut deſpectum loci ſacri.

Circumſtantia, *ubi*, aggravans eſt v. g. circumſtantia loci ſacri reſpectu blaſphemiæ in eo commiſſæ.

Circumſtantia, *quibus auxilius*, denotat qualitatem inſtrumentorum, quibus peccatum perpetratur: talia vero inſtrumenta ſunt, vel animata, vel inanimata. Inſtrumenta animata ordinariè ſuperaddunt novam ſpecie malitiam; & talis eſt circumſtantia ſocii, quem quis ſollicitat ad ineundum duellum ſecum: talis etiam eſt conditio fœminæ mediatricis, quam quis adhibet ad filiam aliquam trahendam in peccatum: talis quoque eſt qualitas diaboli, cujus operâ quis utitur ad alium ſollicitandum ad peccatum.

Aggravans intra eandem ſpeciem, talis eſt circumſtantia baculi quem quis adhibet, ut cum majori opprobrio percutiat virum nobilem. Et quando inſtrumenta, quibus perpetratur peccatum, ſunt inanimata, illa ordinariè non ſuperaddunt actui novam ſpeciem; & eapropter nihil refert quo inſtrumento quis alterum occidat, angladio, lanceâ, bombardâ; vel baculo.

Dixi ordinariè; quia ſi uſus talis inſtrumenti ſit per ſe prohibitus, ſuperaddet actui novam ſpeciem.

Circumſtantia, *Cur*, deſignat qualitatem finis propter quem operamur, quæ cum inter omnes circumſtantias ſit graviſſima & maximis difficultatibus intricata de ea in ſequenti dubio ſpecialiter agemus.

Circumſtantia, *quomodo*, ſignificat qualitatem modi, quo fit actio: hæc auget quandoque bonitatem actus, vel minuit intra eandem ſpeciem; ut dum quis cum magno fervore communicat, item dum quis v. g. ex pura malitia, vel ignorantia vincibili, vel paſſione committit aliquod peccatum.

Hæc quandoque ſuperaddit a-

ctui novam ſpecie malitiam, ut patet in rapina, in calumnia, item homicidio cum ſævitia admiſſo; inſuper in peccato, quod fit ex formali contemptu legis, aut legiſlatoris.

Circumſtantia, *quando*, ſignificat qualitem temporis, quo fit actio: hæc ſi ſumatur pro duratione, ſeu mora temporis, quo actio durat, auget bonitatem, vel malitiam actus accidentaliter; nam melior, ceteris paribus, eſt oratio, quæ durat unâ horâ, quam quæ durat uno quadrante; & pejor eſt diſtractio in oratione durans horâ, quam tantum uno quadrante: ſic quoque gravius peccat qui per annum fovet averſionem à proximo, quam qui uno tantum menſe. Unde duratio ſæpè in confeſſione eſt explicanda, ut confeſſarius inde cognoſcat confusè numerum peccatorum, quem pœnitens aliter alioquin explicare non poteſt.

Petes, an hæc circumſtantia aliquando non ſuperaddat actui novam ſpeciem peccati.

Reſp. affir. ut dnm quis indevotè & diſtractè celebrat poſt prandium; non tamen ſi quis in die feſto ſeſe inebriet, vel fornicetur; eo-quod non ſit ſpeciali præcepto prohibitum in die feſto fornicari, potius quam in die feriato: auget tamen hæc circumſtantia notabiliter malitiam actus intra eandem ſpeciem; prout & hæc, ſi quis fornicetur ipſo die quo communicavit.

DUBIUM V.

Quid Circumſtantia finis.

Agimus hic de fine ſeparatim, tum quia eſt una ex præcipuis circumſtantiis; tum quia graviſſimis intricatur difficultatibus, tum quoque quia non ſolùm circumſtantiæ, ſed & cauſæ moralis in effectum moraliter influentis rationem habet.

Undè prænotandum, in ordine ad actum humanum, duplicem potiſſimum poſſe conſiderari finem; nempè operis, & operantis. Finis operis vocatur iſte, ad quem actio ſeu opus intrinſecum & quaſi eſſentialem ex natura ſua dicit ordinem; eſtque à parte rei idem quod objectum ipſius actionis. Finis alius operis alius operantis.

Finis operantis, qui eſt propriè dicta circumſtantia, *Cur*, eſt is, quem operans ſibi ipſi voluntariè in tali actione præfigit, & ad quem illam dirigit, & proinde eſt actioni extrinſecus: ſic v. g. finis furti intrinſecus, eſt habere rem alienam; extrinſecus verò ut eâ mediante obtineatur conſenſus puellæ ad fornicandum cum eâ; & hoc ultimo modo proprie dicit rationem circumſtantiæ: nec obſtat quod videatur habere rationem objecti formalis, quia actus humani eſſentiam ſuam deſumunt a propriis objectis, non autem generaliter à fine operantis, prout in decurſu oſtendemus, quamvis ſit ratio ſeu motivum applicationis ad actum, Solus finis operantis eſt circumſtantia.

&

& inde poſſit accedere nova ſpecies bonitatis, vel malitiæ.

Petes, an actus humanus deſumat aliquam bonitatem, vel malitiam à fine operantis.

Actus accipit bonitatem vel malitiā à fine.

Reſp. affirmativè: quia actus ex ordine ad finem accipit aliquam conformitatem, vel difformitatem à recta ratione; bonitas autem actus humani formaliter conſiſtit in conformitate illius ad rectam rationem prout quoque malitia in difformitate actus à recta ratione: prout poſteà videbimus. Probatur hoc ipſum manifeſto exemplo: nam melius operatur qui dat eleëmoſynā, non tantum ex affectu miſericordiæ, ſed & inſuper ex amore Chriſti, quam is, qui ex ſolo affectu miſericordiæ. & pejus operatur, qui furatur ad adulterandum, quam qui furatur, ut habeat.

Petes, quomodò actus humanus accipiat bonitatem à fine operantis, quandoquidem amplecti ſacerdotium causâ lucri, item amplecti fidem Chriſtianam ad obtinendam gratiam regis, ſint actus mali; & tamen habeant finem bonum, vel ſaltem non malum.

Ut finis tribuat actui bonitatem, debet eſſe talis in ratione finalizandi.

Reſp. ut finis operantis det actui bonitatem, non ſatis eſſe illum eſſe bonum in ſe, ſed debere eſſe talem in ratione finis; id eſt debere eſſe talem ut recta ratio dictet hunc actum verſantem circa tale objectum, poſſe referri ad talem finem; quales non ſunt fines ſupra mentionati: prout nec bonus eſt actus amoris, quo amo Deum propter meum proprium commodum, ibi ſiſtendo: vel celebro propter lucrum, ibi ſiſtendo: nam eſtò fines illi boni ſint in eſſe rei, nō tamē boni ſunt in ratione finalizandi.

Actus malus relatus ad bonum finē, non accipit ab eo bonitatem.

Dices: actus ex objecto malus relatus ad bonum finem; v. g. furtum ad dandum eleëmoſynam, non accipit bonitatem à bono fine; ergo.

Reſp. finem illum non eſſe bonum hic & nunc; nam eſtò eleëmoſyna danda abſolutè ſit bona, non tamen obtinenda per malum medium; prout nec ullus finis bonus eſt, volitus per malá media: cujus ratio eſt, quia finis dicit relationem ad media; quæ, ſi mala ſint, finis quoque per illa obtinendus erit malus: utpotè infectus ab illa relatione.

Dices, ergo actio furtiva ad dandam eleëmoſynam habebit duas malitias; unam nimirum ab objecto & alteram à fine.

Reſp. negando conſequentiam: quia finis non ſpecificat actum, niſi ſecundùm malitiam objectivam, quam habet; hanc autem accipit ab ordine ad medium.

Dices: hi duo actus; volo jejunare ut dem eleëmoſynam; & volo furari ut dem eleëmoſynam, habent eundem finem; ſed primus accipit ſpeciem boni ex illo; ergo &c.

Reſp. duos illos actus habere eundem finem materialiter; ſeu in eſſe rei, non tamen in ratione

finis

finis; ſub qua tamen ſpécificat actum, undè primùs finis eſt conformis rectæ rationi, & conſequenter bonus; ſecundus verò difformis, & conſequenter malus.

Petes, quid ſi quis ignoret malitiam medii relati ad bonum finem, an finis ille erit malus, & intentio mala.

Reſp. ſi invincibiliter ignoret medii malitiam, intenſio illa erit bona, & finis bonus; eò quod ille non dicat ordinem ad medium formaliter malum: quod ſi verò vincibiliter ignoret malitiam medii, finis erit malus, & intentio mala: hinc collige explicationem hujus ſcripturæ Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, id eſt intentio tua bona fuerit, *totum corpus tuum lucidum erit*, id eſt totum opus inde ſecutum bonum erit. Hinc quoque collige an actio, ex qua virgo aliqua ſe occidit vel ſubmergit ne violetur, ſit bona, an mala.

Petes, an actus ex objecto bonus relatus ad malum finem ſit malus.

Actus ex objecto bonus relatus ad malum finem eſt malus.

Reſp. affirmativè: quia licet verſetur circa objectum bonum in ratione rei, non tamen in ratione objecti boni moralis, ſed mali; quia términatur ad iſtud objectum præcisè, quâtenus ordinatur ad malum finem: undè objectum illud, ſub ratione quâ terminat hunc actum, non eſt conforme rectæ rationi, cum tamen bonitas quam actus deſumit ab objecto, conſiſtat in habitudine ipſius actus ad objectum quatenus conforme rectæ rationi. Quia quando volumus aliquod medium in ordine ad finem à nobis intentum, volumus illud ut inſtrumentum ad finem illũ conſequendum; jam verò repugnat bonum honeſtum eſſe medium proportionatum ad malum finem.

Dices: quando quis vult dare eleëmoſynam ad bonum finem, volitio illa non tantum accipit bonitatem à fine, ſed etiam ab objecto; ergo & illam accipiet, quando vult ob malum finem.

Reſp. negando conſequentiam: quia cum bonum ſit medium proportionatum ad bonum finem, prout & unum malum in ordine ad aliud malum, non repugnat quod res aliqua bona, ut habeat rationem objecti moralis ſit volita propter aliud bonum, prout repugnat quod res bona relata ad malum finem ſit bona, ſiquidem ob reſpectum ad malum finē erit mala.

Dices; quando quis vult dare unicuiq; quod ſuum eſt, eſt actus juſtitiæ, eſto referatur ad malum finem: quod probatur; quia quælibet virtus ibi operatur, ubi invenit ſuum objectum formale proprium nec ab eo poteſt impediri ratione alicujus extrinſeci, quale eſt finis operantis.

Velle alicui dare quod ſuũ eſt

Reſp. negando antecedens; & diſſimulando probationem: dico hic non inveniri objectum formale juſtitiæ; cujus ratio eſt quia objectum formale virtutis debet eſſe con-

conforme rectæ rationi; objectum autem quod refertur ad malum finem, prout fit in hoc caſu, fit difforme rectæ rationi.

ſi referatur ad malum finem non eſt actus, juſtitiæ

Petes, an dum voluntas eligit opus externum per ſe bonum, tamquam medium ad alium finem bonum. v.g. eleemoſynam ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis; habeat illa electio voluntatis duplicem ſpecie bonitatem.

Electio boni medii relata ad bonum finem, quãdoque habet duplicem bonitatem, quãdoque nõ.

Reſp. hanc quæſtionem acriter interTheologos controverti; ſiquidem Vaſques cum nonnullis aliis ſentit omnem actum internum voluntatis, ſeu ſit electio, ſeu intentio, accipere omnem bonitatem ſuam à fine, & nullam à medio. Fundamentum ipſius eſt quia objectum honeſtum, ut actui tribuat bonitatem, debet appeti propter ſuam honeſtatem, ſed quando voluntas eligit bonum medium propter bonum finem, non vult illud, quia honeſtum, ſeu propter propriam ſuam bonitatem, ſed tantum ſub ratione utilis ad finem intentum. Nos ad propoſitam quæſtionem reſpondebimus cum hac diſtinctione: ſi medium, quod ad bonum finem eligitur per ſe quidem bonum ſit, ſed tamen propter ſe nullatenus ametur, tunc cum Vaſques ſentimus quod electio ab eo nullam accipiat bonitatem, ſed totam à fine; quod probat illius ratio; quia nimirum totale motivum volendi eſt bonitas finis: tunc verò cenſendus eſt habere rationem totalis motivi, quando vel in medio, quod eligitur, nulla eſt bonitas, vel ſi ſit, non conſideratur. Cognoſcimus verò voluntatem non curare bonitatem medii, quod eſt dicere, non amare medium propter ſuam intrinſecam bonitatem; cognoſcimus, inquam, vel ex intentione operantis, ſi adſit, vel ex proportione medii ad finem; nam ſi medium ſit fini proportionatum propter bonitatem quam in ſe habet, ſignum eſt illud non eſſe proximè volitum propter finem, ſed propter bonitatem propriam, remotè verò propter bonitatem finis: quod ſi verò bonitas medii nihil conferat ad finem, tunc illa non movebit voluntatem, & conſequenter, electio iſtius medii omnem bonitatem accipiet à fine: quod ſi verò objectum electionis per ſe bonum ſit, & propter ſe ametur, & ſimul referatur ad bonum finem; tunc electio illa duplicem accipiet bonitatem, unam nimirum à medio, & alteram à fine operantis: cui non obſtat argumentum Vaſques: eſtò enim veriſſimum ſit honeſtatem ſeu bonitatem objecti debere appeti propter ſe, ut det actui interno bonitatem; hoc tamen non ita eſt accipiendum, ut non poſſit ſimul, tamquam utilis, ad aliam honeſtatem expeti; neque enim bonum virtutis ut ſi actus honeſtus expeti debet tamquam ultimus finis, ſed inſuper debet

referri

referri ad Deum: quia in vitium degenerabit virtus, ſi ad ſe ipſam, excluſo Deo, referatur Quod multis locis docet. S. Auguſtin. Itaque utilitas illius medii boni, relata ad alium finem, cujdam eſt honeſtas; undè qui ſic eligit opus honeſtum ſimul vult quia honeſtum: quod ulterius declaratur. Quia tale medium eſt utile propter ſuam honeſtatem, ſeu bonitatem ex objecto: eapropter nequit eligi tamquam utile ad finem, niſi ſimul intendatur ejus honeſtas; ſic datio eleëmoſynæ eſt utilis ad placandum Deum, quatenus ipſa eſt opus miſericordiæ; qui proinde illam ob talem finem vult vult quoque bonitatem ejus, quatenus eſt actus miſericordiæ Et ſane niſi hæc diſtinctio admittatur, ſequetur hoc abſurdi: quod actus accipiat omnem ſuam bonitatē ex virtuali relatione ad finem; ex formali verò intentione bonitatis objecti nihil accipiet; ut ſi quis v.g. à menſe deſtinaverit dare eleëmoſynam ad ſatisfaciendum pro peccatis, poſtmodun illam dans in virtute illius præhabitæ intentionis, plenè quidem reflectat ſupra eleëmoſynam, ſed nihil cogitet de ſatisfactione.

Dices: ſi medium ex objecto bonum appetatur propter ſe, & propter aliud; ergo illud ſimul eligitur, & intenditur: eligitur enim in quantum utile ad finem; intenditur verò, quatenus eſt bonum per ſe honeſtum.

Reſp. ideo potius quæſtionem hanc eſſe de nomine, quam de re: nec enim Vaſques contendit aſſerere bonitatem medii, quod eligitur, totam accipi à fine; ſed docet hic intervenire duos actus, nempè unum, quo medium eligitur propter finem, qui eſt electio; & alterū, qui eſt intentio, quā mediū appetitur propter ſuam bonitatem.

Petes, an ex ſententia Vaſques ſequatur, quod ſi duo, intentione pares ad Deum amandum, eligant diverſa media, quorum unum ſit longè præſtantius altero: v. g. unus ſtatum conjugalem, alter ſtatum religioſum, quod duo illi æqualiter benè operabuntur; & conſequenter quod omnes electiones ab eadem intentione profectæ, ſint ſimpliciter æquales in bonitate, ac proinde, ſi quis ex amore Dei velit ſtudere, ambulare, vel aliam actionem indifferentem facere, alter verò ex æquè intenſo amore Dei, velit jejunare, orare, corpus ſuum caſtigare, an illæ electiones ſint futuræ æque bonæ?

Reſp. negative: ſed tantum id ſequi quod volitio, quæ ab Authoribus contrariæ opinionis vocatur electio, à Vaſques vocetur intentio, eo ipſo quo medium ſeu objectum amatur propter ſe.

Petes, an actus imperatus internus ex objecto bonus habeat duplicem bonitatem, nempè unam ex objecto, alteram verò ab actu imperante; & ſimiliter an actus internus

ternus imperatus ab objecto malus habeat duplicem malitiam v. g. an volitio agendi pœnitentiam, imperata ab amore Dei, habeat duas bonitates: & ſimiliter, an ſuperbia, elicita ex contemptu Dei, habeat duas malitias. Ratio dubitandi eſt; quia illi actus habent eſſe morale ex ſe abſque eo quod informentur alio actu interno quo ordinantur ad illum finem; adeoque nequeant accipere ab actu alio eſſe morale, & per conſequens neque bonitatem, vel malitiam. His non obſtantibus.

Actus internus imperatus accipit bonitatem & malitiã ab imperante.

Reſp. Affirmativè: & dico eandem rationem eſſe in hiſce actibus quæ eſt in exteriore imperato, & interiore imperante; quippè qui virtute intenſionis dicat ordinem ad finem, adeoque ab eo accipiat bonitatem, vel malitiam; nec ullatenus repugnat quod uni actui habenti eſſe morale, addatur alia ſpecies bonitatis, vel malitiæ accidentaria.

Petes, quænam bonitas, vel malitia ſit talibus actibus electionis eſſentialis, & quænam accidentalis; quod eſt petere an electio accipiat ſpeciem ſuam à fine.

Reſp. per ſe loquendo negativè: quia omnis actus ſive bonus ſive malus, ſive externus ſive internus accipit primam & eſſentialem ſpeciem ſuam ab objecto ſuo proprio: nam omnibus conſideratis accidit illi ordinari ad finem operantis qui ſit diſtinctus à proprio objecto, & conſequenter accidentaria eſt illi ſpecies quam accipit ex ejuſmodi fine: quod ulterius probatur. Nam talis actus non ordinatur à voluntate in finem operantis niſi conſtitutus in ſua ſpecie: v. g. qui vult furari propter adulterium, non ordinat actum aliquem in communi ad adulterium, ſed aliquem determinatum in ſua ſpecie, nempè furtum; ejuſmodi verò ſpecificatio non tollitur ab actu propter ſupervenientem ordinationem ad finem operantis; ergo manet in eadem ſpecie, prout antè & ſuperveniens ſpecies eſt ipſi accidentalis; inſuper bonitas objecti proprii de ſe ſufficiens eſt dare actui electionis ſpeciem virtutis. Denique illa ſpecies debet cenſeri propria & eſſentialis, quæ non mutatur, illa verò accidentalis quæ mutatur; atqui ſpecies, quam electio deſumit à proprio objecto non mutatur; quam verò accipit à fine, mutatur. Aſſumptum probatur; quia qui vult dare eleëmoſynam ex motivo miſericordiæ, ſive referat illum actum ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſive ad quemcumque alium finem extrinſecum, ſemper equidem actus ille retinebit ſpeciem virtutis miſericordiæ.

Electio accipit ſpeciẽ à proprio objecto.

Petes, quare electio medii per ſe mali ad alium malum finem habeat potius ſemper duplicem ſpeciem malitiam, quam electio medii boni ad finem bonum.

Reſp. rationem diverſitatis eſſe, quia ut actus contrahat mali-

 etiam

tiam non eſt neceſſe illam eſſe directè volitam, vel propter ſe; ſed ſufficit illud eſſe volitum cui illa eſt annexa, nam eoipſo cenſetur interpretativè & indirectè volita: nec mirum duas ſpecie diſtinctas malitias poſſe reperiri in eodem actu, ſiquidem illæ non ſunt niſi accidentia reſpectu entitatis phyſicæ ipſius actus; ut verò electio boni medii ab ipſo accipiat bonitatem, debet illa bonitas eſſe propter ſe & directè volita.

Petes, an quandoque circumſtantia finis non tribuat actui primam ſpeciem in eſſe morali.

Reſponſio Affirmativè: prout adhuc ſupra diximus: ſed tunc non manet circumſtantia, utpote tranſiens in rationem objecti: quod contingit, quotieſcumque actus ex objecto indifferens refertur ad aliquem finem extrinſecum ſive bonum, ſive malum.

Petes, an pœnitens ſemper teneatur circumſtantiam finis diſtinctè ab ipſo actu peccaminoſo explicare.

Reſp. nequaquam; quia poteſt contingere quod finis ex ſe non ſit peccatum, ſed ſolum in quantum dicit habitudinem ad malum medium, v. g. ſi quis in die Dominica omittat ſacrum propter ſtudium.

Petes, quid ſi malitia finis, & malitia medii aſſumpti, ſint ejuſdem ſpeciei, an erit opus utramque malitiam in confeſſione explicare.

Reſp. quandoque debere, ut ſi quis furetur ſcalas Petri ad furandas pecunias Pauli; eo quod talis committat duo peccata ejuſdem ſpeciei, attamen numero diſtincta contra juſtitiam; quandoque verò utraque malitia non debet diſtinctè explicari; ut ſi quis utatur tactibus impudicis in ordine ad fornicationem ſtatim ſecuturam; quo caſu ſufficit in confeſſione explicare ipſam fornicationem, eò quod ordinariè intelligantur eſſe conjuncti; & actu conſummato explicato intelligantur ſufficienter illi præceſſiſſe.

Hic Lector.

Converte te introrſum in fundum animæ tuæ, ubi ceſſante ſtrepitu omnium creaturarum, & profanarum cogitationum ceſſantetu multu; ingentium beneficiorum, quæ in unoquoque myſterio dominicæ paſſionis includuntur, magnitudinem amoroſo cordis affectu recogita, & ſeptenos hoſce circumſtantiarum modos ad quodlibet dominicæ paſſionis myſterium applicando, temetipſum interroga.

Quis patitur? Chriſtus verbum, ſapientia patris.
Quid patitur? ſpinas, verbera, ſputa, crucem.
Pro quibus hæc patitur? pro noſtra, hominumque ſalute.
Cur patitur? ſemper ne patiatur homo.
A quibus hæc patitur? ab amica ſtirpe ſuorum.
Sed quando hæc patitur? quando fuit juvenis.
Hæc ubinam patitur? medio telluris in orbe.
Quomodò tan.a tulit? proferat ipſe modum.

TRAC-

TRACTATUS VIII.

De objecto voluntatis, & quomodò moveatur.

QUÆSTIO PRIMA.
Quodnam ſit objectum Voluntatis.

DUBIUM PRIMUM.
An objectum voluntatis ſit ſolùm bonum.

PRÆMITTENDUM actum voluntatis ſumere eſſentialẽ ſuam differentiam ab objecto, quod eſt duplex; nempè materiale, & formale: materiale, eſt res illa quam voluntas appetit; formale verò, ratio propter quam appetit: ratio verò illa non eſt aliud, quam bonitas objecti materialis; porrò hæc duo objecta aliquando ſunt realiter diſtincta; prout contingit in actu voluntatis verſante circa objectum indifferens, relato ad finem bonum, vel malum; aliquando verò objectum formale, & materiale ſunt quid idem à parte rei, attamen formaliter diſtincta, prout contingit in actu voluntatis qui immediatè verſatur circa finem; ſiquidem materiale tunc erit res illa quæ appetitur per modum finis; formale verò, bonitas illius rei quæ movet voluntatem ad ſui amorem.

Objectum aliud materiale, aliud formale.

Nota 2. actum voluntatis potiſſimum ſpecificari ab objecto formali: ex quo infer omnes actus voluntatis habentes idem objectum formale, eſto habeant diverſum materiale, eſſe ejuſdem ſpeciei moralis; quo modo amor Dei, & amor proximi ſunt ejuſdem ſpeciei: ſequitur quoque omnes actus ſpecie diſtingui qui habent diverſa objecta formalia, eſtò habeant idem materiale; prout ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis.

Actus deſumi ſpeciē ab objecto formali.

His præmiſſis dubium ſuprapoſitum venit intelligendum de objecto formali: nam quod voluntas ferri poſſit in malum materialiter ſumptum, eſt extra controverſiam. Hinc collige quomodò ſit explicandum commune dictum philoſophicum; *Quod nemo intendens ad malum operatur*; quia nimirum nemo unquam peccat appetendo aliquam rem, quin ſpectet in illa aliquid boni, vel ſpeciem boni; ut honorem, laudem, divitias &c. Quibus conformiter docet S. Auguſt.

l. 2. Conf. c. 4 omne peccatum committi appetitu alicujus boni, quãvis infimi. Quod ulterius proba ur ratione: quia appetitus ſũptus pro actu, non eſt aliud, quam inclinatio, ſeu motus appetitûs in aliquod conveniens, ſeu bonum; nam finis voluntatis eſt, ut homo per illam quærat ſibi convenientia, & fugiat diſconvenientia: hinc ſi accepiſſet inclinationem ad tendendum in diſconveniens quatenus tale, directè ſibi ipſi, & fini ſuo repugnaret. Præterea malum, ut malum, nihil habet quod alliciat voluntatem; nam vel in malo conſideratur ipſa formalis malitia, vel entitas cui ipſa malitia ineſt; malitia autem formaliter ſumpta, cum nihil ſit, non habet quod alliciat voluntatem; entitas verò, cui ipſa malitia ineſt, aliquid quidem habet bonitatis phyſicæ: unde, ſi hæc appetitum moveat, hoc facit ratione ſuæ bonitatis.

Dices: ſunt aliqui peccantes ex pura malitia; ergo tales appetunt malum ſub ratione mali.

Reſp. dici aliquos peccare ex pura malitia, eò quod ſcienter peccent, & nullâ præventi paſſione, vel aliquo extrinſecus incitante, ferantur in malum, non quidem ſub ratione mali; ſed ſub ratione boni.

Quia nam peccẽt ex pura malitia.

Dices: voluntas eſt libera; ergo poteſt ferri in oppoſita; juxta illud Eccleſiaſtici 15. *Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Reſp. concedendo totum, ſumendo nimirum, *bonum & malum*, materialiter: hoc eſt, pro rebus illis, quibus ineſt bonitas, vel malitia; in quas tamen ſemper fertur ſub ratione boni; hoc inſuper addito, quod ad rationem libertatis non ſit neceſſe ferri voluntatem in bonum, & malum; ſiquidem Deus, & beati ſunt liberrimi, & tamen non poſſunt ferri in malum.

Dices, dæmones volunt peccata, in quantum ſunt offenſa Dei; ſimiliter ſubditi formaliter inobedientes prævaricantur præcepta, quia præcepta; inſuper, qui Deum odio proſequuntur, volunt ei malum, ut ei malum ſit.

Dæmones volunt peccatum prout eſt offenſa Dei.

Reſp. concedendo totum; ſed hi, & ſimiles non ſiſtunt in malo, ſed omne illud referunt ad aliquid quod habet ſpeciem boni; nam hoc appetunt, ut ſeſe quodammodò de Deo, & ſuperioribus ulciſcantur, quod apprehendunt ſibi tamquam bonum.

Dices: qui odio habet inimicum ſuum, vult illi malum, ut malum: nam in hoc differt odium ab ira, quod odium velit malum quia malum; ira autem velit malum ſub ratione vindictæ.

Reſp. eum qui odio habet inimicum ſuum, velle quidem illi malum, quia malum; ſed ibi non ſiſtere: ſed ratio cur hoc velit eſt, ut ipſi bene ſit.

Dices poteſt quis nolle beatitudinem, & illà velle carere, ſed in

Digitized by Google

in illo appetitu nullum, eſt bonum, quia eſt volitio privationis omnis boni: ergo.

Reſp. beatitudinem ſive in communi conſideratam, ſive in particulari, neminem poſſe nolle ſecundum ſe; quia nihil habet undè poſſit diſplicere: in quantum tamen ſpectatur ut habens adjunctum laborem in acquirendo, vel quatenus ejus acquiſitio impedit bonum aliquod delectabile; ſic poteſt quis nolle beatitudinem: ſic enim multi ad vitandas mortificationes ſenſuum externorum, & ne cogantur abſtinere ab illecebris & voluptatibus carnis, refugiunt beatitudinem, contenti bono umbratili & apparenti; dicentes; *Cælum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* Pſalm. 113.

Dices propoſitis duobus æqualibus bonis poteſt voluntas unum reſpuere neglecto altero, hâc ſolâ ratione, quia ſibi ita placet; ergo poterit quoque aliquid velle in quo nihil eſt boni, tantum, quia ſibi id placet.

Reſp. negando conſequentiam: quia beneplacitum voluntatis, etiamſi eſſet ſufficiens ratio acceptandi unum bonum præ altero, non tamen tunc quando in objecto nulla reperitur ratio boni.

Dices: propoſitis duobus bonis poteſt voluntas eligere minus bonum; ergo propoſitis duobus, quorum unum eſt bonum, & alterum malum poterit eligere malum,

Reſp. concedendo antecedens materialiter loquendo; & negando hoc ipſum loquendo formaliter; nam eligere minus bonum ut ſic, eſt illud eligere ſub ratione mali; eò quod illa formalitas minoris boni, ſit quædam privatio boni: quod ſi tamen voluntas eligat illud quod eſt minus bonum à parte rei, faciet illud majus bonum formaliter: nam, ut docet experientia, imperabit intellectui ad conſiderandum in minori bono aliquam bonitatem, propter quam illud judicabit hic & nunc magis eſſe conveniens, ideoque magis eſſe appetendum quam id, quod à parte rei eſt majus bonum; ſic v. g. eliget minus bonum à parte rei, eò quod ſit magis delectabile, vel magis honorificum, relicto majori bono à parte rei, tamquam minus delectabili, vel honorifico: & hinc colliges quomodò explicandum ſit dictum S. Thomæ; voluntatem ſemper eligere bonum, quod majus eſt.

DUBIUM II.

An voluntas poſſit ferri in objectum ſub conditione.

Ratio dubii eſt; quia actus voluntatis eo ipſo quo eſt, habet eſſe abſolutum, non verò conditionale; ſi enim eſt, debet actu ferri in objectum, eò quod tendentia in objectum ſit actui eſſentialis; ulterius ſi tendat in obje-

ctum, illud debet habere rationem aliquam boni, nam tribuit actui ſpeciem: proinde ſicuti actus habet aliquam ſpeciem boni abſolutè, ita objectum debet habere aliquam rationem boni abſolutè.

Nota pro ſolutione hujus difficultatis, actum voluntatis poſſe ſpectari dupliciter 1. quatenus eſt ſimplex affectus & complacentia erga aliquod objectum & ſic conſideratus actus fertur abſolutè, & nunquam conditionatè, in objectū; quod ratio dubii clarè demonſtrat: & eatenus verum eſt, quod voluntas affectu præſenti nunquam feratur in objectum conſideratum ſub conditione; v. g. ſi eſſet licitum. Secundò poteſt actus voluntatis ſpectari ut efficax, vel inefficax;& hoc modo poteſt ferri in objectum ſub conditione; quod patet experientiâ; nam, poſitâ conditione, voluntas movet ad executionem, quâ ſublatâ, non movet; ita ut efficacia non conveniat actui, niſi ſub conditione: ut v. g. in his exemplis; vellem te inſtituere meum hæredem, ſi eſſes meus nepos; aut vellem te promovere ad paſtoratum, ſi eſſes ſatis doctus: quibus verbis ſignifico quidem me habere abſolutum affectum ad te inſtituendum hæredem, aut ad promovendum ad Paſtoratum, ſed non abſolutè efficacem, ita tamen ut habeat vim cauſandi effectum efficacem poſitâ conditione. Falſum proinde eſt quod aliqui aſſerunt, nullum dari affectum voluntatis præſentem, qui explicetur per verbum, *vellem*; nam, *vellem*, eſt verbum optandi; qui autem optat, habet aliquem affectum ad id quod optat, qui tamen affectus ante poſitam conditionem eſt inefficax, quâ poſitâ, tranſit in efficacem.

Actus voluntatis alius efficax alius inefficax.

Petes, quænam ſit diſtinctio, inter actum voluntatis efficacem, & inefficacem.

Reſp. quod efficax reſpiciat objectum ut executioni mandandum, ac proinde quod feratur in objectum ſecundùm omnes conditiones, & circumſtantias quas habet actus: cujus ratio eſt, quia quando aliquis vult aliquid efficaciter, vult quoque interpretativè & indirectè illa, quæ advertit illi annexa; & hinc intenſio habendi copulam cum uxore alterius, habet eaſdem malitias, quas habet actus externus adulterii: eſto quoque is qui habet talem intentionem, perſonæ alienæ conditionem in mente ſua rejiceret: nam licet phyſicè rejiciat, moraliter tamen appetit.

Distinctio inter hos duos actus.

Actus verò inefficax, cum non feratur in objectum ut executioni mandandum, ſed tantum quatenus illud per intellectum voluntati repreſentatur, ſolùm habet adjunctas illas conditiones & malitias ſecundum quas illud per intellectum voluntati repræſentatur: quare cum poſſit intellectus repræſenta-

Digitized by Google

tare unum aliquod objectum ſub una ratione reſecando alias, ſequitur actum voluntatis inefficacem ſolùm habere illam malitiam, ſecundum quam objectum ejus voluntati repreſentatur. Excipe delectationem moroſam in materia venerea, prout ſuo loco monſtrabimus.

Petes, an ſit peccatum habere actum velleitatis de re aliqua illicita, & intrinſecè mala ſub conditione, quâ, per impoſſibile, vel poſſibile poſitâ, actus ille non eſſet malus.

Reſp. per ſe loquendo non: & ratio eſt ante data; quia nimirum actus ille velleitatis, utpotè inefficax, non verſatur circa objectum prout eſt à parte rei, ſed tantum prout voluntati per intellectum repræſentatur: quod, cum ex ſuppoſito repræſentetur ſub ratione liciti, conſequenter erit licitus.

Quâle & quâdo peccatum deſiderare, rê illicitâ ſub côditione licita.

Petes, an ergo non peccaret qui optaret fornicari, ſi non eſſet ſacerdos.

Reſp. affirmativè: & ratio eſt: quia conditio appoſita non abſtergit malitiam objecti: eſto enim aliquis non eſſet ſacerdos, equidem fornicari eſſet ipſi illicitum, utpotè intrinſecè malum: contrarium dic de illo, qui diceret, vellem comedere carnes, ſi non eſſet jejunium eò quod appoſita conditio abſtergat malitiam actus.

Petes, quid dicendum de his; vellem furari; vellem fornicari; vellem me inebrierare, ſi non eſſet peccatum.

Reſp. cum diſtinctione: vel enim voluntas deliberatè fertur ſub conditione in objectum intrinſecè malum, & tunc admittitur peccatum mortale; eò quod illa velleitas non ſit aliud, quam deſiderium ut ordo & lex naturæ invertantur; quod eſt pejus quam velle fornicari: quod ſi verò intentio dicentis non ſit aliud, quam oſtendere malam propenſionem appetitus ſui ſenſitivi, qui illum in conſenſum circa tale objectum malum traheret, niſi lex divina, vel naturalis obſtaret, tunc non peccabit, ſed tantummodò propenſio appetitus ſenſitivi in malum recordatione divinæ legis tale malum prohibentis reprimitur; prout hoc quandoque contingit animabus piis tentatis ſpiritu fornicationis; quod hic notandum.

DUBIUM III.

Quodnam objectum voluntatis, quatenus eſt potentia.

PRænotandum; quod voluntas, ſumpta pro potentia, non tantum verſetur circa finem, ſed etiam circa media. Ratio eſt: quia quælibet potentia extendit ſe ad omnia, in quibus poteſt reperiri ratio ſui objecti; ſicuti viſus extendit ſe ad omnia quæ ſunt colorata; ſed ratio boni, quæ eſt objectum forma-

malæ voluntatis, non tantum reperitur in fine, ſed & in medio; ergo.

Petes, an ergo omnis actus voluntatis adæquatè verſetur circa finem & media.

Reſp. finem dupliciter accipi 1. ſtrictè; nempè pro bono per media comparabili. 2, latè; pro bono per ſe appetibili: ſi finis ſtrictè ſumatur, tunc non omnis actus voluntatis eſt circa finem, & media; quippè non prima voluntatis complacentia in bono: ſicuti dum quis, concipiendo ſanitatem, illi afficitur ſine intentione adhibendi media; vel dum quis ſibi complacet in ſtatu religioſo, ſed abhorret ab auſteritatibus illius; & generatim quandocumque bonum aliquod expetitur ſimplici voluntatis affectu ſine voluntate adhibendi media: quo modo quoque homo ſibi quandoque complacet in rebus impoſſibilibus, vel cogitando v. g. ſe eſſe angelum, pontificem, epiſcopum &c. quibus caſibus nolumus nos aliquid tamquam medium, ut per ſe conſtat, neque ut finem; quia ſcilicet non appetitur illud, ut per media acquiſibile. Nec mirum videri debet voluntatem actu inefficaci poſſe appetere impoſſibilia, nam & hoc experientiâ conſtat ex ſupradictis; & ratio ſuadet: quia nimirum omnis boni jucundi ratio abſolutè cognita, ſive poſſibilis, ſive apprehenſa ut impoſſibilis, voluntatem poteſt movere & allicere. Quod ſi tamen finis ſumatur latè; ſic omnis actus voluntatis ſumptæ pro potentia erit vel circa finem, vel circa media: ſic enim velle finem, eſt aliquid velle propter ſe, ſeu non propter aliud: & velle aliquid ut medium, eſt velle aliquid propter aliud: quæ cum ſint contradictoria; notorium eſt inter hæc non dari medium. Præterea quidquid voluntas vult, illud vult ſub ratione boni: omne autem bonum eſt tale vel propter ſe, vel propter aliud.

Dico 2. voluntas, prout nominat actum, tantum verſatur circa finem, ratio eſt: quia ſic ſumpta denotat primariũ actum illius potentiæ, illum ſcilicet qui per ſe tendit in id quod eſt objectum illius potentiæ: ſicuti intellectus, dum ſumitur pro actu, ſignificat cognitionem principii per ſe veri.

Petes: an voluntas eodem actu feratur in finem, & media.

Reſp. cum communi Theologorum ſententia, negativè: prout neque eodem actu quo fertur in media, fertur in finem; loquendo de actu voluntatis directo, formali, & expreſſo. Cujus ratio eſt; quia volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum; eapropter, ſi hæc duo eſſent unus & idem actus formalis, idem eſſet cauſa ſui ipſius. Præterea volitio finis, & volitio mediorum, inquit D. Th. habent ſeſe ut aſſenſus præmiſſarum, & conclusionis: ſed hi aſſenſus ſunt diſtincti; ergo & illæ volitiones.

Voluntas eodem actu non fertur in finẽ & media.

Di-

Quandoque tamen indirectè fertur in finem & media.

Dico 3. quando voluntas fertur in finem ſtrictè dictum, ſcilicet prout eſt bonnm per media acquiſibile, tunc voluntas eodem actu indirectè, & virtualiter quoque tendit in media, ſaltem in communi; non verò in particulari: nam intentio finis, utpotè præcedens conſilium, poteſt ſe non extendere ad aliquod medium in particulari, cum determinatio particularis alicujus medii ſequatur poſt ſumptum conſilium: quod adeò verum eſt, ut licet unicum tantum eſſet medium ad finem illum conſequendum, ne ad illud quidem abſoluta finis intentio ſe extenderet ante conſilium: eò quod fieri poſſit ut dum cognoſcitur illud unicum eſſe medium, illud minus placeat, ac conſequenter mutetur intentio. Ratio verò hujus aſſertionis eſt; quia qui formaliter vult cauſam, virtualiter vult effectum; & qui vult antecedens, virtualiter vult conſequens.

Nota tamen, quod intentio finis non ſit cauſa efficiens volitionis mediorum; ſed quod finis: mediante ſui intentione, ſit cauſa finalis volitionis mediorum.

Dico 4. ſi finis latè ſumatur, tunc voluntas, illo actu quo fertur in finem, nequidem virtualiter & indirectè fertur in media, eo quod, ſtante tali voluntatis actu circa finem, nunquam poſſit velle adhibere media, prout patet in exemplo ante dicto; dum quis ſibi complacet in ſtatu religioſo, ad quē acceptandum non vult adhibere media, horrens ejus auſteritates.

Petes ultimò: an voluntas eodem actu, quo vult aliquod objectum, feratur quoque in perſonam cui illud vult.

Voluntas ſimul fertur in finem cujus & finem cui.

Reſp. Affirmativè: nam ſicut objectum aſſenſus alicujus propoſitionis non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum; ſcilicet conſtans ex conceptu ſubjecti, prædicati, & copulæ; ita objectum volitionis noſtræ non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum: quod experientiâ patet; quia nemo poteſt quid velle, niſi ſibi, vel alteri velit; quod non eſt aliud, quam velle illud objectum ſibi vel alteri eſſe conjunctum: proinde intrinſecè, & eſſentialiter omnis volitio reſpicit finem *cujus*, & finem *cui*; qui ſimul ſumpti faciunt unum objectum totale.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint Principia voluntatem moventia.

DUBIUM PRIMUM.

A quo moveatur voluntas ad ſpecificationem ſui actus.

DIximus ſupra voluntatem eſſe dupliciter liberam; ſcilicet libertate contradictionis, & conrarietatis, ſeu ad agendum, & non agendum; item ad agendum actionem hujus, vel

Digitized by Google

illius ſpeciei: ex quo ſequitur eam egere aliquo principio movente ad duo; ſcilicet ad exercitium actus, & ad illius ſpecificationem.

Quid movere quoad ſpecificationem actus.

Notandum quod movere quoad ſpecificationem actus, eſt eſſe cauſam, cur actus voluntatis, ex parte potentiæ indifferens ad varias ſpecies, ſit potius hujus, quam illius ſpeciei.

Quid movere quoad exercitiũ actus.

Movere verò ad exercitium actus, eſt per intrinſecam applicationem ipſius potentiæ ex parte ſubjecti, eſſe cauſam cur potentia hic & nunc potius agat, quam alias. Dico, *Per intrinſecam applicationem potentiæ*: nam qui extrinſecè tantum applicat cauſam; v. g. ignem ligno, non dicitur propriè movere ad exercitium actus. Dixi, *ex parte ſubjecti*, nam qui objectum proponendo eſt cauſa cur potentia hic & nunc agat, non dicitur quoque movere ad actus exercitium. His præſuppoſitis.

Voluntas movetur ab intellectu quo ad ſpecificationem actus, non quoad exercitium.

Reſp. quod voluntas ab intellectu moveatur quo ad actus ſpecificationem; non verò quoad exercitium. Ratio prioris eſt, quia intellectus movet voluntatem ratione objecti quod proponit; ſed objectum ſpecificat actum; ergo. Ratio verò poſterioris eſt, quia intellectus non eſt cauſa cur voluntas hic & nunc agat: nam etſi voluntatem allicere poſſit ad agendum; non tamen illam determinare; juxta illud Poëtæ,

—*Video meliora; proboque:*
Deteriora ſequor.

Hinc S. Auguſtinus, in Pſal. 118. ad illum verſum; Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas; „ prævolat, inquit, in„ tellectus, ſequitur tardus vel nul„ lus affectus. „Quæ omnia patent quotidiana experientiâ.

Petes, an objectum cognitum, aut cognitio objecti, ſint cauſa volitionis ipſius voluntatis.

Cognitio objecti non eſt cauſa volitionis objecti.

Reſp. negativè; ſed cognitionem tantum applicare objectum quod immediatè movet voluntatem; non quidem in genere cauſæ efficientis, ſed adinſtar finis metaphoricè moventis: ſola enim voluntas eſt cauſa efficiens ſui actus: ſiquidem, quod hic bene notare oportet, nullus actus alicujus potentiæ eſt principiũ effectivũ actus alterius potentiæ; eòquod omnes potentiæ ſint in ſeipſis completæ & perfectæ; vel certè compleantur perfectionibus intrinſecis ut ſint integra actionum ſuarum principia.

Dices; verbum in divinis eſt principium productivum amoris, ſive Spiritus Sancti; ergo ſimiliter verbum creatum, ſeu cognitio intellectiva, erit productiva actus voluntatis.

Reſp. negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt; quod verbum in divinis ſit perſona per ſe ſubſiſtens, quæ habet voluntatem per quam producit amorem: ſecus dicendum de verbo creato: undè non

Digitized by Google

non eſt verum, quod ſecunda in divinis perſona producat amorem, ſeu Spiritum Sanctum quatenus verbum, ſeu intellectio patris; nam alioqui non eſſet idem principium cum patre productivũ Spi. S. quippè qui illum producat voluntate.

Dices; idem nequit eſſe principium activum, & paſſivum ſui actus ſed voluntas eſt illius principium paſſivum; ergo non activum.

Reſp. negando aſſumptum; quod fallit in omnibus cauſis immanentibus, quales ſunt, intellectus, voluntas &c.

Dices; omne movens eſt in actu; quod verò movetur eſt in potentia ad actum, ergo voluntas nequit eſſe actu & potentiâ reſpectu ejuſdem, quod fieret ſi moveret ſeipſam.

Idem poteſt eſſe movens & mobile reſpectu ejuſdem actus.

Reſp. diſtinguendo majorem; quæ ſi intelligatur, quod omne movens ſit in actu formali eodem quem cauſat in moto, ſeu in re quæ movetur, apparet manifeſtè falſa: nam piper producit calorem, ſol cauſat omnes formas generabilium & corruptibiliũ, & generaliter quælibet cauſa æquivoca ſuos effectus, quos tamen non continet formaliter: quod ſi tamen intelligatur major, quod nimirum omne movens ſit in actu virtuali per aliquam formam, quæ eminenter, vel virtualiter continet actum, ad quem mobile eſt in potentia, hoc modo concedimus majorem, & dicimus bene conſiſtere iſto ſenſu, quod idem movens ſit & mobile reſpectu ejuſdem actus: nam aqua calida, virtute ſuæ formæ ſubſtantialis, movet ſeipſam ad frigus formale, ad quod eſt in potentia: ſic quoque calx, tamquam virtualiter calida accedente aquâ movet ſe ad calorem formalem: nec hoc mirum, quia hoc non eſt aliud, quam eſſe in actu reſpectu virtutis effectivæ, & eſſe in potentia reſpectu formæ efficiendæ.

DUBIUM II.

Quid moveat voluntatem ad exercitium ſui actus?

Voluntas alias potentias ſibi ſubditas movet quoad exercitium.

RESp. appetitus rationalis in hominibus, ſeu voluntas, non tantum ſe, ſed & cæteras animæ vires, quæ ex parte ſubjecti non ſunt determinatæ (quales ſunt vis ſpirandi, potentia nutritiva, potentia augmentativa, & ſimiles, quæ ſunt determinatæ ex natura ut ſemper agant) movet ad exercitium ſui actus. Quod patet experientiâ: nam proxima ratio cur homo hoc vel illud agat, eſt quia vult: ratio verò à priori eſt, quia voluntas in homine eſt inclinatio in bonum totius ſuppoſiti; in aliis verò potentiis voluntati ſubordinatis eſt ſolum inclinatio in bonum aliquod particulare ipſius ſuppoſiti v. g. in intellectu, eſt ſola inclinatio ad intelligendum, in oculo ad videndum &c. atquè inclinatio in bonum totius debet movere inclinationes particulares; ſicut cauſa, quæ reſ-

reſpicit finem univerſalem, movet cauſas, quæ reſpiciunt fines particulares; eo modo quo Dux generalis exercitus, qui intendit bonum univerſale, movet ſuo imperio colonellos, capitaneos &c. qui tantum intendunt bonum particulare ſuæ legionis, vel cohortis.

Petes, an voluntas moveat potentias ſibi ſubordinatas per aliquem realem in illas influxum.

Non tamen per realem influxû.

Reſp. negativè; ſed tantum ratione naturalis connexionis, quam illæ habent cum voluntate in eadem animæ eſſentia; nam potentiæ inferiores per ſe, vel per perfectiones ſibi intrinſecas ſunt ſufficientes ad producendum phyſicè ſuos actus; ſic enim intellectus mediante ſpecie intelligibili eſt ſufficiens ad producendum conceptum: nec refert quod ipſa conceptus productio ſit voluntaria, nam illa eſt tantum extrinſeca denominatio ab actu voluntatis imperante. Conformiter dicendum de actibus ſenſuum externorum, & imaginationis: quod verò voluntas potentias ſibi ſubordinatas tantum moveat ratione naturalis ſympathiæ, ſeu connexionis probatur: quia non eſt aſſignabilis alius modus movendi; nam vel potentiæ animæ non dinſtinguuntur realiter ab ipſa anima; ſed ſunt vel ipſa animæ eſſentia in quantum capax ad varias operationes; v. g. ut intellectus non ſit aliud, quam ipſa anima quatenus idoneum principium efformandi conceptus. Quæ ſententia non caret ſuâ probabilitate: quo modo facillimè intelligitur qualiter operationes aliarum potentiarum dependeant à voluntate; nam juxta hanc ſententiam omnes potentiæ ſunt à parte rei ipſamet anima; quæ, cum vult, tota eſſentia ſtatim trahitur in rem volitam; & conſequenter ex illa eſſentia ſequuntur operationes accommodæ ad rem volitam obtinendam. Quod ſi verò ſupponantur potentiæ ab ipſa anima realiter diſtinctæ, ita tamen ut ab ea emanent, non difficulter quoque intelligetur connexio potentiarum in operando; nam dum voluntas vult alicujus potentiæ ſibi ſubjectæ operationem, v. g. ambulare, videre &c. tota eſſentia per voluntatem trahitur in illam operationem; & conſequenter etiã potentia illa, à qua elicitur operatio; adeoque ſicut operatio intellectus dependet ab imaginatione, ita ut, per ſe loquendo, oporteat intelligentem ſpeculari phantaſmata: ſic quoque operatio aliarum potentiarum pendet à voluntate.

Voluntas non diſtinguitur realiter ab animæ eſſentia.

Aliter voluntas movet intellectum, & aliter ſenſus externos quoad

Hic verò obiter advertendum, aliter intellectum & imaginativam; aliter verò ſenſus externos à voluntate moveri ad exercitium actus ſui; nam intellectus & imaginatio applicantur interius ex vi immediatæ connexionis cum voluntate: ſenſus verò externi hanc immediatam connexionem non ha-

exercitium. habent cum voluntate; hinc voluntas non poteſt ſe ſolâ operationes ſenſuum excitare, vel impedire; facere intenſiores, vel remiſſiores, niſi mediante motu locali, quo vel ſenſus fiant objectis viciniores, vel plures ſpiritus ad organa ſenſuum excitentur: hinc objecto ante oculos apertos poſito potentia viſiva naturaliter elicit viſionem, velit nolit voluntas. Ex quo patet, cur aliquando operatio alicujus potentiæ circa ſuum objectum, v. g. attenta meditatio, vel contemplato operationem ſenſuum externorum, aut attentionem alterius rei tollat. Ratio illius eſt; quia tota animæ eſſentia trahitur in illud objectum circa quod quiſpiam attentè operatur; quæ proinde non poteſt perfectè alteri applicari, niſi divinitus juvetur, utpotè limitatæ virtutis.

DUIBUM III.

Quæ cognitio ſit prærequiſita ad hoc ut voluntas moveatur.

Quid judicũ intellectus. SUpponendum, in intellectu eſſe duos actus, nempè apprehenſionem, & judicium; quod poſtremum non eſt aliud, quam actus intellectus diſtinctè repreſentans plura inter ſe connexa: tunc verò dicitur conceptus plura ſic repræſentare, quando ſic repreſentat plura, & connexionem inter illa, ut conceptus qui eſt de connexione ſit approbativus, vel reprobativus ejuſdem; quod non contingit in conceptu apprehenſivo, qui, licet poſſit repræſentare plura & connexionem inter illa, non tamen eſt approbativus, vel reprobativus connexionis: prout patet dum quis concipit ſe eſſe pontificem, regem, vel imperatorem; non quidem exiſtimando ſic eſſe, ſed tantum menti ſuæ objiciendo; quippè per quos conceptus intellectus nihil affirmat, vel negat.

Secundò ſupponendum cognitionem imaginativam non ſufficere ad movendam voluntatem: eo quod illa, utpotè ſpiritualis, debeat habere ducem & regulam ſibi proportionatam, videlicet ſpiritualem. His præſuppoſitis.

Probabilius videtur voluntatem poſſe moveri in objectum ſine ulla formali compoſitione, vel diviſione. Eſt autem compoſitio, judicium correſpondens propoſitioni affirmativæ; & diviſio, judicium correſpondens propoſitioni negativæ. Ratio aſſertionis eſt quia objectum intelligibile ſimplici actu apprehenſum non minus debet eſſe potens ad alliciendum voluntatem, quam objectum ſenſibile ſimpliciter apprehenſum ad permovendum appetitum ſenſibilem: quod ita movere patet in animalibus; ſic enim ovis apprehenſo lupo fugit. Deinde docet experientia homines delectari rebus imaginariis & ſolùm apprehenſis abſque *Quid compoſitio. Quid diviſio. Poteſt voluntas moveri in objectũ ſine cõpoſitione vel diviſione formali.*

eo quod judicent illa ſibi convenire; ut cum imaginantur ſeſe Reges, Pontifices, Cardinales &c. ratio horum eſt, quia cognitio non movet appetitum immediatè ſecundum ſe, ſed quatenus proponit objectum, oſtendendo ejus pulchritudinem, vel delectabilitatem, quæ ſanè poſſunt oſtendi ſine formali judicio quo judicantur eſſe pulchræ vel delectabiles &c. dein nulla poteſt dari ratio, cur apprehenſo objecto delectabili voluntas illi non poſſit affici, niſi accedat formale judicium, cum experientia doceat periculoſum eſſe ſolummodò imaginari delectabilia carnis, eò quod ſola illorum apprehenſio poſſit pravos motus in appetitu excitare: accedit quod Angelorum voluntas moveatur ſine formale compoſitione, vel diviſione: nec refert noſtrum intellectum eſſe imperfectiorem intellectu Angelico; quia licet inde ſequatur, quod non poſſit omnia promiſcuè, ſicut Angelus, ſine compoſitione, vel diviſione intelligere; non tamen inde ſequitur quod aliquando non poſſit: ratio enim cur Angeli ſic intelligant eſt, quod ſtatim in ipſa quidditate ſubjecti cognoſcant omnia quæ illi poſſunt attribui, vel ab eo removeri; ſed fieri poteſt quod noſter intellectus in apprehenſione alicujus objecti ſimul habeat claram notitiam ejus quod illi convenit, vel diſconvenit; ergo tunc non indigebit compoſitione vel diviſione, ſaltem formali: quod addo, quia in omni ſimplici noſtra apprehenſione continetur implicitum quoddam, ſeu virtuale judicium, quo implicite judicatur res bona, vel mala, eoipſo quo apprehenditur ſecundum rationem convenientis, vel diſconvenientis, nam eo ipſo implicitè judicatur ratio convenientiæ, vel diſconvenientiæ illi convenire: hinc qui apprehendit lupum in imagine pictum non movetur paſſione timoris, ſicut is qui apprehendit lupum vivum ante ſe; eoquod prior non ſit apprehenſio lupi, ut rei nocivæ, ſicut hæc ſecunda. Non tamen ſine virtuali.

Peres, quomodò hæc conſiſtant cum eo quod antè diximus ad voluntatis actum præquiri judicium practicum voluntatem determinans.

Reſp. prout ibidem inſinuavimus, illud ad omnem voluntatis actum non eſt neceſſarium; ſed tantum ad intentionem finis, & electionem mediorum; cum enim aliquid intendere non ſit aliud, quam velle illud conſequi, debet præcedere hoc judicium; *bonum eſt hoc hic & nunc conſequi*; & ita quoque electio prærequirit judicium, quo judices hoc vel illud utile eſſe facere ad talem finem: ad alios verò actus voluntatis v. g amoris, odii, delectationis &c. non prærequiritur in intellectu judicium practicum, ſed ſufficit ſpeculativum; ſic enim amor Dei in beatis, item gaudium

&

& odium de peccatis, oriuntur in illis ex actu ſpeculativo; nam ut Deum ament, non habent neceſſè cogitare; *bonum eſſe ut Deum ament*; qui eſt actus judicii practici; ſed ſufficit, ut ſpeculentur Dei pulchritudinem, quæ apprehenſa ſufficiens eſt ad excitandum amorem tam in beatis, quam in viatoribus. Inſiſtendo verò ſententiæ requirenti ad omnem voluntatis actum judicium practicum, dicemus id eſſe verum, de formali, vel virtuali.

DUBIUM IV.

An omnimodâ & abſolutâ neceſſitate ad omnem voluntatis actum prærequiratur cognitio intellectus.

RESP. inſiſtendo fundamentis Philoſophicis, contradictionem implicare voluntatem aliquid velle ſine prævia cognitione; ſicut implicat hominem eſſe ſine anima; eoquod non poſſit dari actus voluntatis ſine objecto quod per intellectum debet voluntati proponi: undè hæc axiomata apud Philoſophos habentur pro primò veris: *Ignoti nulla cupido*: Item, *nihil eſt volitum niſi ſit cognitum.* Si tamen nonnihil relictâ ſcholâ Ariſtotelicâ conſulere velimus viros ſpirituales ad perfectionem affectivæ rationis provectos, dicent, ardentiſſimum Dei amorem ſeſe interdum ſentire ſine ulla prævia, vel comitante cognitione: quorum dicta non ſtatim animo obdurato ſunt reprobanda; nec ob ratiunculas philoſophicas ſtatim explodenda; idque propter duo motiva ſanè non contemnendæ auctoritatis.

1. Quia multi hoc experti fuerunt viri Sanctiſſimi, & in Theologia Scholaſtica verſatiſſimi, quales fuerunt S. Bonaventura, Gerſon, & plures alii, qui rationes illas philoſophicas optime habuerunt perſpectas; & tamen præ ſua experientia eas nihili fecerunt.

2. Quod hi ſupra communes homines diſcrimen inter cognitionem & volitionem optimè cognoverint; adeo ut quidam illorum probatæ pietatis diceret, ſe tam evidenter diſcrimen inter volitionem & cognitionem intelligere, quam differentiam inter manus & pedes: prout quoque, an per ſpecies infuſas, an per acquiſitas cogitaret. Nimirum tales animæ defæcatæ plus aſſequuntur de natura & qualitatibus internorum actuum per ſuas experientias, quam ſubtiliſſimus Philoſophus per ſuas ſpeculationes.

Petes, quomodò hi viri ſancti & amici Dei per experientiam cognoſcant ſeſe habere amorem ſine prævia cognitione, cum nihil cognoſcant; & experientia ſine cognitione eſſe non poſſit.

Reſpondebunt illi humiliter; opus tenemus, modum neſcimus: multa ſiquidem in nobis fiunt præter modum conſuetum quæ videntur implicare repugnatiam: ſic etiam

etiam quandoque uno & eodem momento contradictorios ſentimus in nobis affectus, & quomodò hoc fiat omnimodè ignoramus: ita quoque ſine prævia cognitione animæ illæ ſentiunt in ſe affectus; modus verò quo hoc fiat ignorant.

Quod ſi verò hæ animæ à ſubtilibus illis interrogatoribus, qui omnia Ariſtotelicâ regulâ volunt metiri, etiam quærant quomodò ipſi ſe experiantur non videre, dum non vident; reſpondebunt per intellectum advertentem carentiam ipſius cognitionis: ſed ſi inſuper quærant, quomodò intelligant ſe non intelligere, dum non intelligunt; & quomodò ejus, quod eſt non intellexiſſe, poſſint habere memoriam quandoquidem memoria ſine intellectione vel cognitione eſſe non poſſit: reſpondebunt ipſi argutè; ipſo intellectu; qui, cum ſit ſpiritualis, in ſeipſum reflectitur; & quodam actu advertit ſe cognitione caruiſſe. Eodem prorſus modo tales animæ Sanctæ, dum amant, & non cognoſcunt; elapſo tempore illius ſuſpenſionis extaticæ, voluntatem amaſſe, & intellectum nihil cognoviſſe advertunt. Quia tamen rationes Philoſophicæ amorem ſine cognitione prævia impoſſibilem oſtendunt; idcirco experientiis ſimilium Sanctarum animarum ſæpe non creditur: ſed pace Philoſophorum dictum ſit, quot & quanta olim in ſcholis Philoſophicis fuerunt evidentia æſtimata, quæ ſucceſſu temporis & ſubtiliori inveſtigatione dubia ſunt reperta, & poſtmodum ut improbabilia ſunt rejecta: numquid ante 150. annos zona torrida à Philoſophicis ob ardorem ſolis, & aquarum penuriam putabatur inhabitabilis; & tamen modò, ut experientiâ conſtat, eſt temperatiſſima, aquarum & paſcuorum abundantiſſima, & ab innumerabilibus hominibus inhabitata; prout ipſe oculatus teſtis P. Jac. Alvares narrat, qui illam inhabitavit plurimis annis in civit. regali Lima in Peruvia cum S. Roſa.

Dices, ſpectat ad perfectionem amoris non poſſe amare ſine prævia cognitione, quia quò bonum aliquod perfectius cognoſcitur, eò perfectius amatur: deinde Chriſtus & B. Virgo hunc Dei amorem omnem cognitionem excludentem in hac vita non habuerunt, cum tamen habuerint amorem perfectiſſimum: quod dici non poſſet, ſi ceſſatio à cognitione proveniret ab exceſſu amoris.

Reſp. illam ceſſationem præcisè non tam provenire ab exceſſu amoris, quam ab imbecillitate naturæ: nam ſicuti in contemplatione lumen intellectus adeò à Deo ſolet augeri, ut homo extaſim patiatur, ceſſantibus interea omnibus ſenſibus à ſuis operationibus; ita quoque ad illum gradum venit amor, ut ſopiatur quoque ipſe intellectus, ceſſetque ab omni

omni operatione, idque ob naturæ imbecillitatem: undè mirari non oportet Chriſtum vel Deiparam Virginem talia non fuiſſe paſſos, utpotè imbecillitatibus iſtis naturæ noſtræ non ſubjectos.

Petes, quid reſpondendum ad experientiam illorum, qui dono contemplationis præditi, hunc amorem ſine prævia cognitione putarunt impoſſibilem: ut S. Thomas, Dionyſius Carthuſianus, & alii.

Reſp. dicta horum Sanctorum minimè contrariari experientiis ante dictis: nam in genere contemplationis, ſicut multa ſunt ineffabilia, ita quoque inenumerabilia Dei dona, quæ omnibus per omnia à Deo non donantur; ſed ea diſtribuit juxta beneplacitum ſuum: forte hi ſancti donum amoris ſine cognitione non acceperunt: & forte donis altioribus à Deo cumulati ſunt: & ideo rationes philoſophicas ſequentes, hunc amorem ſine cognitione impoſſibilem putarunt: deinde explicari poterunt, de communi & naturali modo Deũ diligendi eos fuiſſe locutos, qui ſine prævia cognitione non oritur.

Petes, quare naturaliter nequeat eſſe volitio ſine prævià cognitione quandoquidem voluntas poſſit efficaciter velle ut intellectus nihil cogitet.

Reſp. voluntatem hoc quidem poſſe pro inſtanti ſequenti quo vult quia & ipſa tunc ceſſabit à volitione; ſed hoc voluntas non poteſt velle eo inſtant quo vult.

Dices; voluntas applicat intellectum ad exercitium ſui actus; ſed hoc facit mediante aliquo ſuo actu; ergo aliquis voluntatis actus naturaliter præcedit omnem cognitionem.

Reſp. intellectum non moveri ad omnem ſuum actum à voluntate quoad exercitium; non enim ad primas cogitationes ad quas aliundè movetur, ut v. g. à Deo, has vel illas cogitationes pias immittente; aliquando a rebus ſenſibilibus, vel à phantaſia, quæ per quamdam ſympathiam aliquando intellectum ad operandum movent, priuſquam voluntas mandet.

Petes an Deus non poſſet ſupplere cognitionem intellectivam ſine concurſu intellectus.

Reſp. etſi Deus ſe ſolo poſſet in noſtro intellectu ponere cognitionem, illa tamen non eſſet ſufficiens ut voluntas per eam ferretur in objectum ſuum, quia homo per illam cognitionem non intelligeret; eoquod ab intellectu vitaliter non procederet: unde talis cognitio ibidem eſſet modo mortuo, eo modo quo ſi oculus hominis poneretur in cadavere per illum cadaver non videret.

DUBIUM V.

An & quomodò corpora cæleſtia moveant voluntatem.

Reſp. & dico 1. quod corpora cæleſtia non poſſint voluntati noſtræ directè & immediatè im- Corpora cæleſtia

X pri-

non movēt voluntatem directè primere aliquam qualitatem.

Probatur: quia ipſa eſt ſpiritualis, corpora verò cæleſtia ſunt materialia, quæ non poſſunt agere in ſpirituale: nam corpora agunt per contactum quantitativum, qui requirit in ſubjecto extenſionem localem, qualem non habet ſubjectum ſpirituale, prout eſt voluntas; deinde nullum corpus poteſt producere qualitatem aliquam corpoream & materialem cum modo exiſtendi indiviſibili, utpote qui ſit ſpiritualis, cum verò, prout habet commune axioma, *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur*, deberet qualitas à cæleſti corpore producta, exiſtere in indiviſibili, utpote in voluntate exiſtente indiviſibili, quod eſt naturaliter impoſſibile: unde patet voluntatem ſaltem directè non poſſe moveri à corporibus cæleſtibus.

Attamen indirectè. Dico 2. quod corpora cæleſtia poſſint voluntatem movere indirectè, nempè ex parte objecti; quatenus illa variè alterando corpus humanum occaſionaliter efficiunt ut aliquod objectum apprehendatur tamquam conveniens, vel diſconveniens: quod probatur: quia, prout experientiâ quotidianâ patet, corpora cæleſtia agunt in humores corporum noſtrorum, imprimendo illis diverſum temperamentum, modò melancholicum, modò phlegmaticum, modò ſanguinolentum, modò cholericum: ratione cujus diverſi temperamenti fit quod idem objectum à diverſis hominibus diverſimodè per imaginationem apprehendatur; ac conſequenter diverſi etiam pro diverſitate apprehenſionis in appetitu ſenſitivo concitentur affectus, qui affectus ſunt cauſa cur objectum ab intellectu diverſimodè apprehendatur tamquam conveniens, vel diſconveniens ſubjecto; juxta illud, *quilibet judicat prout eſt affectus*: nimirum quatenus efficiunt ut res, in quam illi propendent, judicatur conveniens ſuppoſito tali, vel tali paſſione alterato: unde nihil prohibet ex impreſſione corporum cæleſtium aliquos eſſe inclinatos ad iram, aliquos ad libidinem, alios ad deſidiam &c. Quæ tamen impreſſio nullo modo favere putanda eſt aſtrologiæ judiciariæ per Sixtum V. Damnatæ in Bulla data anno Domini 1585. cum enim quilibet poſſit paſſionibus ſuis per liberam ſuam voluntatem reſiſtere; frivolum & ſtultum eſt velle ex conſtellationibus de quopiam in particulari certò prædicere actiones à libera ejus voluntate pendentes; juxta commune axioma, *Sapiens dominabitur aſtris.* quia tamen plures homines paſſiones ſuas ſequuntur; ideo aſtrologi ut pluri- mum illa poſſunt prædicere ut vera in communi, non verò in particulari; eò quod quilibet in particulari paſſioni ſuæ libere poſſit reſiſtere: proinde axioma illud;

Motio illa nō faveta- ſtrologiæ judiciariæ.

piens

Sapiens dominabitur aſtris, ſic venit intelligendum, in quantum nimirum ſapiens dominabitur ſuis paſſionibus, in tantum dominabitur aſtris.

DUBIUM VI.

An ſolus Deus effectivè moveat voluntatem tamquam principium extrinſecum.

Diverſi errores circa motionem divinam. PRo elucidatione hujus dubii notandum in hac materia diverſos fuiſſe errores; & primum quidem illorum, qui exiſtimarunt Deum ſe ſolo omnia in voluntate humana peragere, prout quoque in qualibet cauſa ſecunda; ita ut illæ circa quamlibet actionem merè haberent ſe paſſivè: adeo ut ſecundum illos nec Sol luceret, nec ignis calefaceret; ſed Deus ad præſentiam cauſæ ſecundæ totum ſe ſolo efficeret. Quem errorem mille in locis damnat Scriptura Sacra, quibus cauſalitatem attribuit voluntati humanæ, prout & aliis cauſis ſecundis.

Secundus error fuit aliorum dicentium voluntatem & alias cauſas ſecundas per ſe agere ſine actuali Dei concurſu; ita tamen quod Deus dederit virtutem agendi cauſæ ſecundæ, quam illa poſtmodum applicat ad operationem: ſecundum quam ſententiam Deus mediatè tantum concurrit ad omnem actionem cauſæ ſecundæ. In quo errore videtur fuiſſe Durandus ſecundò ſententiarnm diſtinct. 2. quæſt. 5. dum docet Deum ad actionem cauſæ ſecundæ mediatè concurrere; non verò immediatè: qui tamen ab hac ſua opinione videtur excepiſſe actiones bonas, quæ ſine actuali auxilio divinæ gratiæ a nobis fieri non poſſunt. Hunc errorem quoque damnat Scriptura Sacra, aſſerens Deum in omni operatione immediatè operari: ut 1. Corinth. 12. dum ait; *Qui operatur omnia in omnibus.* Et ad Philip. cap. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* His adde Concilium Arauſicanum, quod Can 9. ſic ait, *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum operatur.* His ſuppoſitis.

Reſp. affirm. & probatur: quia quidquid efficienter cauſat actum voluntatis, debet vel formaliter vel virtualiter voluntati eſſe intrinſecum; alioquin enim motus ille eſſet violentus; ſed nullum principium eſt voluntati virtualiter intrinſecum præter illud quod dat formam & inclinationem quâ fit actio; inclinationis autem illius auctor eſt ſolus Deus; ergo ſolus ille poteſt voluntatem efficaciter movere. Solus Deus efficaciter movet voluntatem.

Dices; ſi Deus dicatur movere voluntatem reſpectu inclinationis illi impreſſæ; ergo erit etiam auctor malorum.

Reſp negando conſequentiam; neque enim omnes motus qui ſequuntur ex inclinatione voluntatis ſunt in Deum referendi; ſed tan-

tum illi, propter quos Deus dedit inclinationem, ſcilicet boni: undè pravi motus in Deum nequeunt referri, quia non ſequuntur ex inclinationi voluntatis, ut ſubjacet intentioni Dei; ſed prout ab ea declinat: eo modo quo abuſus gladii, quo quis abutitur ad homicidium, vel latrocinium, non refertur ad illius artificem, ſed ſolus uſus gladii, quo quis utitur ad ſui defenſionem.

Dices, Angelus bonus, vel malus, tamquam naturâ homine fortiores, movent cœlos & elementa; ergo etiam poſſunt efficaciter movere voluntatem.

Angelus bonus, vel malus nonpoteſt movere voluntatem directè.

Reſp. negando conſequentiam; quia nec dæmon, nec Angelus poſſunt eſſe formaliter vel virtualiter inexiſtentes voluntati; eò quod Scriptura S. 3. regum cap. 8. ſoli Deo tribuat cordis motionem, dum ait; *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*. Et Proverb. 21. *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*. Denique Angeli ne quidem poſſunt immediatè corporibus noſtris aliquam formam imprimere; ſed tantum per motum localem applicando activa paſſivis, ergo multò minus poterunt voluntati directè aliquam formam imprimere: non tamen negamus quin poſſint eam indirectè movere ex parte objecti, interius vel exterius proponendo aliquod objectum, & efficiendo ut phantaſia illud aſſiduò apprehendat, volvat & revolvat; quæ apprehenſio voluntatem demum trahat ad conſenſum; deinde Angeli poſſunt variè alterare corporis humores & ſpiritus vitales, ex qua alteratione ſequuntur variæ phantaſiæ & apprehenſiones; ac proinde varii quoque motus in appetitu ſenſitivo, ratione quorum fit ut intellectus objectum variè apprehendat, & voluntati repræſentet, ipſamque ſic alliciat ut, tamquam bos ductûs ad victimam, tandem in illud conſentiat.

Petes, quibus modis Deus effectivè moveat voluntatem.

Tres modi movendi voluntatem humanam.

Reſp. diverſis: & quidem prout dictum eſt ante, 1. quatenus eſt author voluntatis imprimens illi in ſua productione inclinationem & pondus in bonum; nam qui dat inclinationem ad actum, eſt cauſa actus; ſicuti is qui imprimit impetum ſagittæ, eſt cauſa motus; & generaliter; quidquid phyſicè eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

2. Movet Deus voluntatem tamquam cauſa prima; quomodò autem hoc fiat magna eſt tam inter philoſophos, quam theologos controverſia: & quidem prima opinio eſt, cauſam primam movere ſecundam concurſu ſimultaneo, concurrendo cum illa, tamquam concauſa in actionem & effectum cauſæ ſecundæ; eo modo quo duo equi trahentes eundem currum habent ſe ad motum currus. Secunda verò opinio eſt, eique verior, Deum tamquam cauſam primam move-

Digitized by Google

movere ſecundam, illam applicando ad actionem, ſicuti artifex ſuum inſtrumentum ad operationem; ad quod non eſt neceſſe Deum efficienter producere in ipſa voluntate aliquid inhærens quod ſit forma vel qualitas diſtincta ab ipſo voluntatis actu; prout ad hoc neque eſt neceſſe Deum per ſeipſum inhærere voluntati, vel eam informare: ſed ſatis eſt, Deum abſolutè & efficaciter velle quod voluntas talem actum eliciat: quod enim Deus ſolâ voluntate efficaci poſſit movere, & applicare noſtram voluntatem ad agendum, negari non poteſt; quia ſicuti nos ſolâ voluntate noſtra movemus potentias & membra corporis noſtri, & per motum corporalem applicamus phyſicè agentia corporalia ad operandum, ut v. g. calamum ad ſcribendum; & per imperium movemus moraliter agentia libera; v. g. famulum ad laborandum; ita Deus multò magis ſola voluntate & imperio efficaci poteſt movere & applicare phyſicè omnes creaturas ad agendum, & conſequenter noſtram voluntatem ad eliciendas ſuas volitiones, prædefiniendo nimirum abſoluto ſuo decreto omnes actiones cauſæ ſecundæ, prout & voluntatis, ſine phyſico in illas influxu; etiam ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis; idque uniendo ſe netipſum cauſæ ſecundæ in ratione moventis, eamque ſine ullo medio dono creato applicantis ad ſuos actus; non ſecus ac voluntas noſtra, ſine ullo phyſico in illas influxu, movet potentias omnes ſibi ſubordinatas. Ideo verò hanc ſecundam motionem diximus eſſe veriorem; quia in priori movetur tantum cauſa ſecunda à Deo tanquam concausâ, neque propriè movetur cauſa ſecunda ad exercitium ſui actus, quia concurſus immediatè non tendit in ipſam, ſed in effectum: tum quoque quia iſte ſimultaneus Dei concurſus eſt univerſalis & ſecundum ſe indeterminatus ad hanc vel illam ſpeciem: undè non eſt cauſa cur voluntas potius moveatur hâc ſpecie motus, quam illâ: tum denique ipſe non eſt ratio cur motus ille hoc vel illo modo fiat; ſed potius influxus voluntatis: ideo enim voluntas movetur hic & nunc, quia ipſa hic & nunc prebet influxum ſuum; ac proinde hac ratione potius illa ſeipſam cenſenda eſt movere quam Deus, quem hoc modo privat officio cauſæ primæ.

DUBIUM VII.

An Deus prædefiniat omnes actus bonos cauſæ ſecundæ, eoſque determinet ſecundum omnes ſua circumſtantias,

PRænotandum nomine prædefinitionis intelligi efficax Dei decretum, ſeu voluntatem quâ ſimpliciter & abſolutè vult aliquid fieri in tempore. Nomine verò præter-

terminationis intelligitur motio divina applicans cauſas ſecundas ad agendum. His præſuppoſitis.

Quid prædefinatio.

Reſp. affirmativè: & probatur 1. Ex Scriptura: Prov. 21. *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Quibus verbis aperte tribuitur divinæ voluntati vis ad inclinandum & trahendũ poſt ſe cor regis.

Prædefinit Deus omnes actus cauſæ ſecundæ & liberæ.

2. Probatur ex S. Auguſt. qui ubique in ſummam efficaciam divinæ voluntatis refundit quod à nulla creata voluntate vincatur Deus, & à nulla impediatur, quin fiat quod ipſe vult fieri; ſic enim ait libro de Corrept. & Gratia c. 7. „horum, ſcilicet electorum, ſi quis „perit, fallitur Deus; ſed nemo il„lorum perit, quia non fallitur „Deus: horum ſi quiſpiam perit, „vitio humano, vincitur Deus; ſed „nemo illorum perit, quia nulla re „vincitur Deus.„

Probatur 3. authoritate S. Thomæ, qui ubique refundit in efficaciam divinæ voluntatis, quod voluntas creata velit, & libero modo velit quod Deus de illa diſponit; & ita ſemper concordat efficaciam divinæ voluntatis cum libertate creata, nimirum quod hoc ipſo quo Deus vult illam velle & libero modo velle, oportet quod voluntas tunc velit & libero modo velit: & ita docet lib. 1. contra gentes cap. 85. dum ait: „efficacia divinæ volutatis exigit ut „non ſolum ſit quod Deus exigit, „ſed etiam ut hoc modo ſit, ſicut „Deus vult illud eſſe.„ Et quodlibeto 22. quæſt 3. diſcutiens illam quæſtionem, *an omnia ſubſint fato.* Reſpondet, à divina providentia omnia ſunt prædeterminata, omnia ordinata. Et in hac acceptione, ait, poſſe concedi quod omnia ſubjiciantur fato, prout nimirum fatum dicit infallibilem ordinem divinæ providentiæ, ratione cujus id in tempore fit, quod Deus ab æterno decrevit fieri: addit tamen hoc nomen, fatum, non eſſe uſurpandum; eo quod cum gentilibus non oporteat habere nomina communia: quod ſi quis tamen, ait, hoc modo intelligat fatum: ſententiam teneat, ſed linguam corrigat, & non dicat fatum; ſed providentiam Dei.

4. Probatur ratione; quæ tamen ut melius capiatur prænotandum; hæc duo eſſe valde diſtincta, operari cum aliquo, & operari per illud; nam primum denotat ſimultatem concurſus: ut ſi duo ſimul portent eundem lapidem, quivis operatur cum altero: ad ſecundùm verò requiritur, ut id quod operatur per aliud, non ſolùm concurrat ſimultaneè, ſed inſuper per ſuum concurſum & motionem efficacem moveat alterum ut agat & operetur: quare licet cauſa prima & ſecunda concurrant ad actionem, tamen cum hoc diſcrimine, quod Deus non ſolùm ſit cauſa iſtius actionis prout egreditur à ſe, ſed etiam prout egreditur à creatura: nam cum actio

actio illa, prout procedit à creatura, ſit aliquid creatum, neceſſe eſt illam quoque eſſe à Deo ut cauſa primâ; adeoque actu aliquid participatum ab ente per eſſentiam. Undè ſi Deus efficaciter non præmoveret actiones cauſarum ſecundarum, ſequeretur quod cauſa ſecunda v. g. voluntas, eſſet primùm movens: nam cauſa cujus operationes non determinantur per motionem alterius primi moventis, illa ſe primò movet: quod ſi admittatur, jam dabuntur plura prima principia; & ita incidemus in errorem Manichæorum.

Secundò, cauſa ſecunda nequit agere niſi cauſa prima ſimul concurrat; ergo etiam niſi ab illa præmoveatur:nam quotieſcumque duæ cauſæ ad aliquam actionem concurrunt, vel una movet alteram, vel utraque mouetur ab aliqua tertia; alioquin enim ſolo caſu, & fortuitò ſequeretur illa ſimultas cauſarum; cum ergo ſecunda non poſſit applicare primam, nec detur aliqua tertia excogitabilis, neceſsè eſt ut prima præmoveat ſecundam.

Tertia ratio eſt, quia niſi Deus ita prædefiniat actionem cauſæ ſecundæ, illa non erit futura quia Deus vult illam eſſe; ſed quia futura eſt, ideo Deus vult illam eſſe

Dices, Deus quidem omnes actiones liberas bonas prædefinit, ſed dependenter à ſcientia media; & conſequenter à præviſione futuri conſenſus cauſæ ſecundæ liberæ, non verò antecedenter ad illam.

Reſp. negando aſſumptum, quia hæ prædefinitiones debent eſſe efficaces, ac proinde independentes à ſcientia media, utpotè purè ſpeculativâ, quæ & objectum ſuum, & omnia quæ ad illius futuritionem deſiderantur, adeoque etiam ipſa Dei decreta præſupponit, & quam, prout in prima parte diximus, arbitramur impoſſibilem, ad quam eapropter fruſtra recurritur ne Deus exponatur periculo fruſtrationis ſui decreti: nam S. Aug. & S Thom. ſentiunt decretum Dei ex ſe habere illam efficaciam independenter à ſcientia media.

Dices; Eccleſiaſtici cap. 15. dicitur: *appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita & mors; bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Secundum quam Scripturam *bonum* & *malum* dicuntur in voluntate hominis: ſed ſi Deus haberet tale decretum efficax ante præviſionem conſenſus cauſæ ſecundæ, tunc bonum & malum non eſſent in manu conſilii hominis; quia nimirum per hoc decretum efficax ligatur indifferentia voluntatis humanæ, & impeditur quoad uſum; eo modo quo quis vinculis ferreis tam arcte ligaretur ut virtutem ſeſe movendi exercere non poſſet imminente periculo mortis, quod fugiendo poſſet evadere: quin imo hoc efficax Dei decretũ multo fortius ligat quam vinculum ferreum.

Reſp.

Reſp. hoc efficax Dei decretum non tollere, ſed dare libertatem & indifferentiam actui ipſius voluntatis, ut ſuperius in Tractatu de Libertate fuſius diximus; eò quod unamquamque cauſam moveat ſecundum exigentiam ſuæ naturæ, non tantum attingens actionem cauſæ ſecundæ; ſed & modum ipſius actionis: hinc S. Th. q 6. de malo, artic. 1. „Deus, inquit, movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam voluntatis moventis quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.„

Dices; Iſaiæ 5. ait Dominus; *Nunc ergo habitatores Jeruſalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* ſi enim, ut habet hoc Dubium: Deus decreto ſuo efficaci omnes effectus cauſarum ſecundarum prædefinivèrit, & non prædefinivit hanc vineam ad ferendos fructus, fruſtra de illa conqueritur Deus.

Reſp, ejuſmodi querelam non eſſe propriè & formaliter in Deo; ſed per tropum tantum in ipſo conſtitui: quo modo in illo conſtituuntur ira, pœnitentia, & miſericordia, & quæcumque aliæ bonæ affectiones, quæ ita ſunt in hominibus ut imperfectionem aliquam involvant: quare ſicuti Deus dicitur iraſci, quando facit aliquos effectus quos homines irati facere ſolent; nempè quando minatur, punit, vel vindicat; ita quoque dicitur conqueri, quando facit aliquos effectus conſimiles his, quos faciunt homines de aliquo conquerentes. Eâdem ratione dicitur Deus à vinea ſua exſpectare fructus pœnitentiæ: nam Deum non expectare voluntatem noſtram ad bonum, tamquam de fide definitum eſt in Conc. Arauſ. Can. 4. his verbis: „ſi quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non etiam ut purgari velimus per Spiritus Sancti infuſionem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto.„

Hic Suſpirans ad Dominum Lector dic.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi: tu enim es Rex regum, & Dñs dominantium; in ditione tua univerſa ſunt poſita; & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. Quæcumque vis, facis in cælo & in terra, & in omnibus abyſſis. Tu neſti ſolus corda filiorum hominum; inflectens illa quocumque volueris; eapropter Dñe, quia velle non poſſum, niſi tua potentia me confortet; & quid velim & poſſim ignorem, niſi tua ſapientia me illuſtret: illumina obſecro oculos meos ut ambulem in lumine tuo, & videam & cognoſcam te primarium objectum voluntatis meæ, & ne impingam in laqueos inimicorum meorum, potenti adjutorio gratiæ tuæ rebellem meam compelle ad te propitius voluntatem. TRAC-

TRACTATUS IX.

De Actibus Voluntatis tam elicitis quam imperatis.

QUÆSTIO PRIMA.
Quid Fruitio.

FRui, ſpectando nominis etymologiam, eſt fructum capere ex re aliqua; ita enim quis dicitur frui hæreditate, officio, beneficio &c. generalius verò illam vocem ſumendo, idem eſt quod delectationem capere ex re aliqua amata & poſſeſſa, ſive interim res illa referatur ad finem ulteriorem, ſive non; quo modo dicimur frui mediis, opibus, pecuniis &c. Propriè verò loquendo, frui non eſt aliud, quam quieſcere in bono propter ſe amato, quo modo fruimur ſolo fine.

Tria ad fruitionem requiſita. Ex dictis patet tria ad fruitionem requiri; nempè amorem, poſſeſſionem, & actum aliquem vitalem ſcilicet delectationem: quod verò hæc tria requirantur, patet; nam qui amat rem aliquam quam necdum habet, dicitur illam deſiderare, non verò frui, inſuper qui habet rem præſentem in qua non delectatur, non dicitur illâ frui; ut qui ſumit amaram potionem ad conſequendam ſanitatem.

Controvertitur autem in quo horum trium conſiſtat formaliter fruitio. S. Aug. lib. de Doctrina Chriſtiana cap. 4. ait eam conſiſtere formaliter in amore; ſum ait; „frui eſt „amore alicui rei inhærere propter ſe.„ Dominic. Sotus conſtituit eam in vitali poſſeſſione rei amatæ. S. Thom. verò illam conſtituit in gaudio, ſeu delectatione de re amata & poſſeſſa: quæ poſterior acceptio communi loquendi modo videtur conformior. Neque verum eſt quod S. Aug. fruitionem præcisè collocet in amore; ſed bene in inhæſione rei amatæ; quæ inhæſio eſt ipſamet quies, ſeu gaudium in re amata & poſſeſſa: amare verò eſt voluntatis affectu tamquam pondere in rem aliquam inclinari. Patet proinde fruitionem formaliter eſſe actum voluntatis, utpotè gaudium de re amata & poſſeſſa: quod gaudium naſcitur ex tribus, nempè potentiâ, objecto, & conjunctione potentiæ cum objecto per aliquem actum vitalem, v. g. cognitionem intellectus, vel ſenſus. Ex quo ſequitur in creaturis cognitione ca-

rentibus non inveniri propriè dictâ fruitionem ſeu delectationem: patet quoque cæteris paribus majorem eſſe delectationem, quo aliquid horum trium fuerit perfectius, ac conſequenter delectationem conſequentem viſionem beatificam fore maximam; quia naſcitur in ſuprema potentia ex ſuprema conjunctione boni ſupremi; nam ſi tanta ſit delectatio appetitus ſenſitivi ex bonis infimis per ſenſum apprehenſis; quanta erit in appetitu rationali ex infinito bono per viſionem beatificam nobis unito?

Competit ſolis creaturis cognitione præditis.

Ex quo patet quod perfecta fruitio competat ſoli creaturæ rationali; eò quod illa ſola diſtinctè cognoſcat rationem boni, ejuſque habitudinem ad ſubjectum; non verò brutis, quia rationem boni tantum confusè cognoſcunt; non enim proportionem cognoſcunt & convenientiam quam bonum habet cum ſubjecto ſuo: & quamvis, propriiſſimè loquendo, creatura rationalis fruatur ſolo Deo tamquam fine ultimò, nam in illo ultimatè quieſcit, non vetat tamen quo minus frui poſſit quolibet etiam bono creato propter ſe dilecto; eſto enim voluntas in illo non abſolutè quieſcat, quieſcit tamen in præſenti intentione in qua illud eſt ultimum; prout faciunt qui ſenſus ſuos externos gratis odoribus, delicatis ſaporibus, & pulchris coloribus ex ſola delectatione demulcent; inſuper qui honoribus, dignitatibus, & officiis quantumvis exiguis delectantur, in quibus & ſimilibus humanus animus quaſi in quodam lectulo quieſcit.

Petes, an cujuſcumque boni creati fruitio ſit peccatum.

Fruitio creaturæ eſt peccatum.

Reſp. affirmativè: quæ eſt indubitata S. Auguſtini ſententia ſuperius fusè explicata, & doctrina omnium Deum amantium calculo comprobata; nempè creaturam rationalem nullâ re creatâ frui poſſe ſeu debere, ſed ſolo Deo; adeoque omnem fruitionem cujuſcumque boni creati eſſe peccatum: ad quod comprobandum, ultra ea quæ diximus tract. 1. dub 10. ſufficiet unus S. Auguſtini locus in lib. 83. quæſt. 80. ubi ait, „ omnis humana „ perverſio eſt, quod etiam vitium „ vocatur, fruendis uti velle, & „ utendis frui: „ hinc ipſe conſtantiſſimè ſemper monet, ut ab uſu rerum temporalium animus ad æterna ſe transferat; nec unquam quieſcat, donec pervenerit ad Deum: aſſerens manifeſtiſſimè perturbari ordinem naturæ, dum mediis fruimur loco finis, & in via veluti in termino hæremus.

Petes, quale peccatum ſit fruitio rei amabilis poſſeſſæ per imaginationem? Antequam reſpondeamus.

Prænotandum in imaginatione alicujus rei duo poſſe conſiderari; nempè ipſam imaginationem, quæ eſt vitalis quædam notitia:

ctia ; & objectum imaginatum: proinde duobus modis percipi poteſt delectatio. 1. Ex ipſa rei imaginatæ notitia : ita ut ipſa , quatenus eſt notitia rei delectabilis, pulchræ, raræ, admirandæ, &c. ſit objectum ipſius delectationis ; non verò res ipſa ſecundum ſe, niſi quatenus ſubit rationem veri , rari, exotici, vel admirandi : delectantur enim homines ejuſmodi res videre, intelligere, audire, narrare &c. etiamſi res illas ſecundum ſe deteſtentur , & nullatenus velint. Hoc modo delectatur quis lectione vel narratione præliorum, duellorum , & rerum admirandarum quæ per artem magicam fiunt , abſque ullo tamen affectu ad res illas: hoc primo modo fruitio ſeu delectatio percepta, per ſe loquendo, non eſt ex parte objecti ullum peccatum ; quamvis defectu debiti finis poſſit eſſe peccatum veniale. Ratio eſt ; quia delectatio ſequitur naturam operis ex quo naſcitur ; unde eſt talis , quale eſt opus ex quo oritur ; eſt enim aliquid ex operatione nobis congrua reſultans ; atqui opus ex quo naſcitur , nempè notitia veritatis, ſeu rei admirandæ , raræ , &c. non eſt per ſe mala ; ergo nec ipſa delectatio.

Delectatio quandoque percipitur de ſola cognitione objecti

Talis delectatio non ſolet eſſe peccaminoſa

Dixi , *per ſe loquendo* ; quia poteſt eſſe peccatum mortale ratione periculi conſentiendi in ipſum opus mortale.

Delectatio quandoque ſumitur de ipſa re amata.

Secundò poteſt percipi delectatio ex ipſa re , vel ex objecto imaginato quod percipitur ut bonum delectabile ; ita ut ipſa imaginatio ſe ſolùm habeat per modum applicantis objectum ; ſiquidem nulla res poteſt cauſare delectationem niſi per ſenſum vel intellectum apprehenſa & affectui applicata : ex quo fit quod hæc delectatio ſit planè ſimilis illi quæ ex rei præſentia , & actuali illius fruitione percipitur : nam dupliciter poteſt nobis aliquid fieri præſens, nempè reipsâ & vi phantaſticâ : & uterque modus parit eandem delectationem ; eò quod phantaſia vim habeat ſenſuum externorum, ut manifeſtè patet ex iis quæ nobis in ſomnio accidunt , cum videmur nobis comedere , bibere , loqui , habere pecunias &c. proinde ſicuti cum res aliqua actu fit , v. g. comeſtio , cauſat delectationem ; ita quoque dum fit vi phantaſticâ : eapropter delectatio ſeu fruitio de objecto imaginato tale erit peccatum, quale eſt ipſum opus imaginatum: hinc delectatio de re turpi imaginatâ , erit peccatum , nam eſt planè ſimilis illi quæ naſcitur ex uſu rei turpis : quod inde patet , quia eodem prorſus modo corpus immutat & concitat.

Delectatio de objecto imaginato eſt ſimilis illi quæ oritur ex fruitione actuali illius.

Delectatio de re poſſeſſa vel imaginata eſt tale peccatum quale opus ipſum imaginatum.

Petes , an ergo qui conſentit in delectationem , eo ipſo tacite conſentiat in ipſum opus ejuſque executionem. Videtur quod non ; quia aliqui delectantur imaginatione operis , quod tamen pro to-

to mundo non vellent explere: 2. quia qui in die jejunii delectaretur de imaginario eſu carnium peccaret contra præceptum Eccleſiæ: idem quoque dicendum foret de iis qui delectarentur imaginario ſceptro, pedo, hominum occiſione, vel alio opere ipſis ratione ſtatus à parte rei illicito. Quibus non obſtantibus.

Reſp affirmativè: quia non poteſt placere opus in imaginatione, niſi & placuerit in ſeipſo, & ſit conforme affectui voluntatis, vel appetitus ſenſitivi, nam ideo res per imaginationem apprehenſa delectat, quia ipſa per ſe eſt conformis affectui, & apprehenditur ut bonum ipſius ſuppoſiti.

Delectari de opere cogitato malo peccatum eſt

Ex his accipe hanc regulam; delectari de opere cogitato jure naturæ prohibito ſuppoſitâ gravitate materiæ eſt peccatum mortale: delectari verò de opere imaginato ſolo jure poſitivo prohibito, non eſt peccatum mortale.

Ratio prioris eſt, quia id quod per ſe eſt malum, neutro modo licet appetere, neq; ut eſt à parte rei, neque ut vi phantaſticâ repræſentatur: non ut à parte rei, quia, ut ſupponitur, eſt intrinſecè malum: non etiam quatenus per phantaſiam repræſentatur, quia affectus in opus imaginatum includit affectum operis in ſe.

Ratio poſterioris eſt, quia affectus in opus imaginatum ſolo jure poſitivo prohibitum in ſe ſpectatum non eſt malus, nempè quando ille eſt tantum ſimplex complacentia non movens ad executionem operis prohibiti: ſiquidem affectus naturales ad bona adiaphora non ſunt mali, etſi voto vel præcepto prohibearis illa bona mandare executioni; tales ſunt ſimplices complacentiæ erga cibum & potum in die jejunii. Adde, dum opus eſt ſolo jure poſitivo prohibitum, facile poſſe rationem illiciti ab intellectu præſcindi, & ſic objectum tamquam licitum menti objici, quæ præciſio in opere per ſe malo fieri nequit.

Ex his collige rationem diſparitatis, cur potius peccet mortaliter, qui delectatur imaginatione rei venereæ, quam Cartuſianus, qui delectatur imaginario eſu carnium: ratio eſt, quod prior conſentiat in affectum ſeu complacentiam erga opus externum intrinſecè malum, ſine qua complacentia opus illud externum non apprehenderetur ut delectabile, quæ eapropter eſt mortalis: poſterior verò, eſto quoque conſentiat in affectum erga carnes non peccat; quia hic affectus non eſt malus (ſuppono non eſſe periculum ulterioris conſenſus in executionem operis externi) quia verſatur circa objectum ſecundum ſe bonum & quia nullo præcepto eſt prohibitus: cum autem delectatio ſit talis, quale eſt ipſum opus & illud ſecundum ſe non ſit peccatum neq; ipſa delectatio erit peccatum.

Petes,

Digitized by Google

Petes, an delectatio poſſit eſſe de bono honeſto.

Reſp. affirmativè: nam eſto delectatio tantum ſit de bono delectabili; omne tamen bonum honeſtum in ſe includit vim delectandi. cujus ratio eſt, quia delectatio naſcitur ex præſentia boni amati, qualecumque illud ſit: undè quando bonum in genere dividitur in honeſtum, delectabile, & utile; debet delectabile intelligi cum excluſione honeſti.

QUÆSTIO II.

Quid Intentio.

Intentio eſt actus voluntatis.

INtentio rectè definitur, eſſe liber actus voluntatis per media tendentis in finem: quod ſit actus voluntatis, patet; quia pro objecto habet bonum, ſeu finem, quod eſt proprium voluntatis objectum.

Dices: intenſio vocatur à Scriptura Sacra *oculus, lumen, lucerna* &c. juxta interpretationem SS. Auguſt. & Gregorii; quæ pertinent ad potentiam viſivam corporalem; adeoque intentio metaphoricè illis ſignificata, potius videtur actus potentiæ viſivæ ſpiritualis.

Reſp. analogiam à SS Doctoribus inter oculum & intentionem non poni quoad ipſas potentias; ſed in eo, quod ſicut oculus, lumen lucerna dirigunt greſſus corporales ita quoque intentio, prout ſubſtat prudenti directioni intellectus, dirigit omnes actiones tam corporis, quam animæ; & quando hæc bona eſt, actionum noſtrarum corpus quoque bonum eſt; quando verò mala eſt, tunc omnes actiones, quæ ab ea procedunt, malæ ſunt.

Petes, quomodò diſtinguatur intentio ab aliis actibus voluntatis, qui etiam verſantur circa finem; quales ſunt ſimplex complacentia, deſiderium, ſpes finis obtinendi, & fruitio.

Diſtinguitur à ſimplici complacentia.

Reſp. differre 1. à ſimplici complacentia, eo quod hæc verſetur circa bonum, abſtrahendo à poſſibili vel impoſſibili; item futuro & præſenti; item quod hæc ſit inefficax; intentio verò efficax: à deſiderio verò, quod illud quoque poſſit eſſe actus inefficax, eſſeque rei etiam impoſſibilis: à ſpe verò, quod hæc ſit volitio rei abſentis arduæ, & per alios efficiendæ, nec pendentis à noſtra voluntate: à fruitione verò, quod hæc ſit finis obtenti; intentio verò ſit finis obtinendi.

Petes, quomodò intentio diſtinguatur ab attentione.

Differt ab attentione.

Reſp. in eo, quod attentio ſit actus intellectus conſiderantis ea quæ homo facit; intentio verò ſit actus voluntatis, & quidem à parte rei ipſum efficax deſiderium, id eſt, vi cujus homo movetur ad executionem alicujus rei conſequendæ.

DUBIUM PRIMUM.

Quotuplex ſit intentio.

Intentio eſt quadruplex. RESp. quadruplex: alia eſt enim actualis, alia virtualis, alia habitualis, alia interpretativa; quæ diviſio, pro praxi ſummè neceſſaria, benè venit notanda.

Quid intentio actualis. Intentio actualis eſt motus voluntatis prævio rationis judicio tendentis in finem: ad hanc habendam non eſt opus ut quis interius dicat ſe illam velle habere; quia hæc eſt intellectus reflexio ſuper intentionem: imo nec illam expedit habere, utpotè impeditivam devotionis; ſed ad hanc habendam ſufficit quod oculo intellectus objectum aſpicientes, nos metipſos ad illud moveamus: & quidem talem intentionem actualem in confectione Sacramentorum, aliorumque piorum operum ſtudioſè oportet conari elicere, eoquod multum conferat ad devotionem; talis tamen intentio ad valorem actus humani non requiritur, ſed ſufficit virtualis.

Quid intentio virtualis. Intentio virtualis non eſt aliud quam intentio quæ actu tranſit, ſed manet effectu: & quidem potiſſimum ratione impreſſionis relictæ in imaginativa ab actuali finis intentione, quâ quis ſeſe modo ſuo ad agendum determinavit; quâ impreſſione excitatur potentia motiva ad actus ordine ſuo fini ſubordinatos perficiendos, homine interim alia cogitante: quod facit imaginativa ratione habitus acquiſiti, dirigens actus externos, etiam eo tempore quo intellectus eſt diſtractus circa alia: quod inde patet, quia ſi ſemel imaginatio turbetur, vel alio trahatur, ſtatim ceſſabit omnis actio externa, & ad illam perſequendam opus erit novâ intentione. Proinde ad intentionem virtualem minimè ſufficit, quod intentio actualis præceſſerit; ſed inſuper neceſſe eſt ut hæc poſt ſe relinquat aliquem effectum, vel effectuum continuatum ordinem, ex quorum ultimo ſequatur actio ſeu obtentio finis: cujus ulterior ratio eſt, quia intentio debet habere aliquam vim ſeu influxum in ultimum illud opus quod vi illius fieri dicitur; alioquin enim nulla eſſet ratio dicendi cur opus promanet ex vi talis intentionis: proinde neceſſe eſt, ut actuali intentione præhabitâ procedatur ad adhibitionem alicujus medii, & ita conſequenter pergatur ad alia media ſibi invicem ſubordinata ad finis conſecutionem; nam quamdiu agens manet in mediis fini ſubordinatis, dicitur virtualiter manere in finis intentione; eò quod licet actualis intentio ſecundùm ſe defecerit, manet tamen in applicatione mediorum morali quâdam connexione ſibi conjunctorum: hâc ratione Paſtor qui ex intentione Baptizandi prolem, vel celebrandi ſacrum

erum ſeſe confert ad eccleſiam, ſe veſtit, procedit ad Baptiſterium, vel altare, cenſetur horum habere intentionem virtualem, eſto toto illo tempore diſtractus nihil actu cogitet de Baptiſmo, vel celebratione: ita quoque qui vult v.g. hominem occidere, ut cenſeatur illa mala voluntas virtualiter permanere, debet ex illa ſeſe applicare ad adhibendum aliquod medium v. g. conducere equum, illum aſcendere, iter ſuum continuare: & manere in applicatione mediorum morali quâdam connexione ſibi invicem ſubordinatorum ad hunc pravum actum perpetrandum.

Dico, morali connexione; quia cum media non conjungantur fini connexione phyſicâ, non poſſunt cenſeri aliter conjungi quam connexione morali: quod in præſenti aliter non poteſt fieri, quam ſi ex voluntate finis homo continuò progrediatur ad medium aſſumendum, & ſine interruptione ſaltem maneat in mediis ſibi ſubordinatis ad finis conſecutionem; cum enim intentio finis deſierit eſſe quoad actum internum, niſi ſaltem permaneat continuata ſeries actuum ſeu mediorum externorum, non apparet in quo illa intentio virtualiter dicatur permanere.

DUBIUM II

Quamdiu intentio virtualis finis dicatur permanere.

RESP. quamdiu voluntas ex vi præhabitæ actualis intentionis manet in applicatione mediorum ſibi invicem, moraliter loquendo, connexorum, uſque ad ipſam finis conſecutionem: quæ applicatio mediorum dirigitur, ut ſupra diximus, ut plurimum ab ipſa phantaſia per impreſſionem ipſi factam ab actuali finis intentione, dirigente potentias externas ad eliciendos actus fini conſequendo ſubordinatos: undè quandocumque quis ob aliquem finem incipit aliquod opus v. g. propter gloriam Dei; & deinde ſuccedunt alia opera inter ſe moraliter connexa, ut ſecundum profluat ex primo, & tertium ex ſecundo, & ita conſequenter, & omnia demum promanent ex primo; tam diu cenſetur in illis durare intentio virtualis. Quod ſi interea alia opera fiant quæ non emanant ex primo, voluntas primi operis non cenſetur in illis virtualiter permanere. Undè ſecundum S. Bonaventuram non ſufficit ſi quis in initio diei referat generaliter omnia ſua opera in Deum, ut intenſio illa cenſeatur in omnibus operibus illius diei perſeverare; ſed tantum in illis quæ ex actuali illa intentione profluunt: ſicuti quoque quando in initio alicu-

Quamdiu durret intentio virtualis.

alicujus operis adfuit actualis intentio; tunc enim licet per horam, vel duas horas opus duret, & nihil de priori voluntate cogitetur, nihilominus omnis pars operis ſubſecuti ſit virtute præcedentis intentionis.

Petes, quid ſi quis egrediens domo ad eccleſiam intendat ex amore Dei omnibus pauperibus ſibi in via occurentibus dare eleëmoſynam, & dein in via nihil de Deo cogitans det eleëmoſynam ex quadam naturali compaſſione; an actus ille eleëmoſynæ ſit actus charitatis in Deum.

Reſp. negativè, ſed tantum naturalis compaſſionis, eò quod motivum formale ſit mutatum.

Petes, quid ſi Petrus in initio anni omnia ſua opera illius anni referat ad Dei gloriam, an illa intentio cenſeatur virtualiter permanere in omnibus operibus totius anni, eſto poſtmodum nihil cogitet de Dei gloria.

Reſp. negativè; quod patet ex dictis.

Petes, quid ſi Petrus iturus ad Montem Acutum ſtatuat omnibus pauperibus ſibi in via occurenti bus dare eleëmoſynam donec perveniat ad ipſum templum Montis Acuti, & in via nihil de Dei amore cogitans det diverſis pauperibus eleëmoſynam, an dationes illæ ſint actus amoris Dei.

Intentio virtualis ſufficit Reſp. affirmativè: quia prima voluntas virtualiter perſeverat: quod verò intentio virtualis ſufficiat ad actum humanum, patet; quia cum ex humana infirmitate, actione aliquo tempore durante, rarò poſſit inveniri perpetua actualis intentio reſpectu ejus quod facimus, ſi Deus talem actualem requireret, etiam actiones maximè ad ſalutem neceſſariæ, ut ſunt confectio Sacramentorum, ſæpe eſſent nullæ ſine ulla culpa miniſtri: quod profectò cederet in maximum præjudicium animarum: unde actiones ex intentione virtuali procedentes cenſentur ab omnibus validæ & humanæ, ut patet in contractibus. ad actū humanum.

Petes, an virtualis intentio etiam ſic bene definiatur; quæ, poſtquam actualis tranſiit, manet in aliquo opere inchoato ex vi actualis intentionis, nec eſt moraliter interrupta per contrariam intentionem, vel longam temporis moram.

Reſp. affirmativè.

DUBIUM III.

Quid Intentio habitualis.

Reſp. eſt promptitudo quædam intendendi, orta ex frequentatiione actuum, inclinans ad actus quoque indeliberatos: ſive eſt illa quæ ex frequentatione intentionum actualium verſa eſt in habitum; ita ut homo dormiens, vel ratione deſtitutus illam quoque efformet: ut patet in eo, qui ex frequentatis actibus conſecrandi vel Quid ſit intētio habitualis

Digitized by Google

vel abſolvendi, dormiens profert verba conſecrationis vel abſolutionis; vel quandoque inde liberate antequam advertat. Quæ habitualis, ſicuti non ſufficit ad actum humanum, ſic nec opus ex ea factum contrahit ab ea aliquam rationem bonitatis, vel malitiæ.

Talis non ſufficit ad actus humanos.

Petes, quomodò differat intentio habitualis ab interpretativa.

Reſp. in eo, quod hæc ſit illa quam quis ex morali hominum æſtimatione cenſetur habere hoc ipſo quo facit aliquod opus, eſto formaliter nec virtualiter de illo cogitaverit; quo modo homo, omnia quæ vult, interpretativè cenſetur velle ob finem ultimum; quatenus ſcilicet in omni eo opere vult aliquod bonum, quod bonum multò perfectius reperitur in fine ultimo; quia nimirum qui vult particulam alicujus boni, cenſetur interpretativè velle totum bonum; quamquam tamen ab hac interpretativa intentione referendi omnia in Deum, voluntas non ſit cenſenda laudabilis, bona, vel meritoria; eò quod hæc intentio interpretativa tantum ſit naturalis.

Quid intentio interpretativa.

Petes, an media ſub ratione boni utilis non poſſint intendi.

Reſp. negativè: eò quod motus voluntatis non ſiſtat in mediis tamquam in termino; ſed ulterius tendat in finem, in quo voluntas velut in termino ſiſtit. Undè in omni volitione in qua medium appetitur propter aliud medium, ut v. g. dum quis vult ſumere pharmacum propter purgationem, & hanc propter ſanitatem, non tam medium quam finis intenditur.

Petes, an quis ſimul uno & eodem actû poſſit intendere duos fines.

Reſp. affirmativè; ſi ſcilicet illi duo fines ſint ſibi invicem ſubordinati: nam qui vult medium propter finem, v. g. obſervationem præceptorum propter ſalutem, vult quoque ſimul finem tamquam rationem volendi. 2. Poteſt quis ſimul intendere duos fines non ſubordinatos; ſi ſcilicet illi conſiderentur tamquam partes unius finis totalis: ſic enim poteſt quis intendere occidere unam integram familiam; item proferre blaſphemiam in duodecim Apoſtolos.

Poteſt quis uno & eodem actu ſimul intendere duos fines.

Petes, an quis ſimul poſſit intendere duos fines totales.

Reſp. affirmativè: nam ſic Canonicus vel Capellanus poteſt ire ad Chorum & ad Deum colendum, & ad lucrandas diſtributiones. Ratio iſtius eſt: quia voluntas non minus potens eſt ſe ſimul extendere ad plura, quam intellectus: ſed ille poteſt ſe ſimul ad plura extendere quæ nullam habent vel inter ſe, vel cum aliquo tertio connexionem; ergo & voluntas poterit ſic ſimul pluribus affici.

Nota tamen: quod voluntas uno & eodem actu non poſſit intendere plures fines totales; quia ubi ſunt diverſi fines totales, ſunt diver-

Non tamen totales.

diverſi objecta; totalia ubi autem ſunt diverſa objecta, diverſi quoque ſunt actus.

Petes, an ex diverſis intentionibus duorum finium totalium, poſſit ſequi unus numero actus electionis.

Reſp. negativè; ſed neceſſariò debent eſſe tot electiones, quot ſunt intentiones; eò quod electio ſpecificetur à fine: undè ſi ſint diverſi fines intenti, diverſæ quoque erunt electiones. Poteſt tamen ex duabus intentionibus ſequi unum numero opus externum æqualiter ab utroque dependens; ut ſi jejunes quia ſanitati utile eſt, & etiam quia æternæ vitæ meritorium.

Dices, una & eadem res non poteſt habere duas cauſas formales, materiales, vel efficientes totales; ergo nec finales.

Quare una & eadem res poſſit habere duas cauſas finales potius quàm duas formales.

Reſp. quantum ad cauſam formalem & materialem, diſparitatem eſſe in eo, quod hæ ſint cauſæ intrinſecè rem ipſam conſtituentes; implicat autem unius compoſiti duplicem eſſe cauſam materialem & formalem; alioquin enim idem eſſet numero unum, & ſimul duo. Ad cauſam verò efficientem quod attinet, cum ſit extrinſeca, non implicat unam rem habere plures cauſas efficientes totales; ſic enim poſſet unus & idem gradus luminis pendere à duabus candelis tanquam duabus cauſis integris & totalibus ſucceſſivè, dependentiam verò operis externi à duabus intentionibus probat experientia; nam experimur nos non tantum aliquid velle ob duos fines in ſolidum; ſed inſuper nos exterius aliquid facere intuitu utriuſque finis: quippe qui ita facimus opus externum, ut ſi alter finis impediatur, nihilominus ex vi alterius perſiſteremus in opere; quod ſignum eſt opus ex utraque intentione pendêre.

Petes, an intentio ſeſe habeat in ordine ad opus externum per modum cauſæ efficientis.

Reſp. affirmativè: nam etſi in illud non habeat realem influxum, ſicuti neque in ipſam potentiam executivam, dicitur tamen efficere; quia poſitâ intentione in voluntate, aliæ potentiæ illi ſubordinatæ per naturalem ſympathiam applicantur ad opus.

DUBIUM IV.

Quam ſit neceſſaria bona intentio præfixa noſtris operibus.

Neceſſitas rectæ intentionis.

RESP. rectam intentionem adeò in omnibus operibus eſſe neceſſariam; ut nulla opera indifferentia ſint bona ſine illa; neque ulla, quantumvis ex objecto bona, abſque illa bona eſſe poſſint: unde velut virgula Midæ omnia aureâ charitate inaurat, & omnibus verbis & operibus noſtris dat formam, ac proinde longe pluris valet quam ipſa opera in ſe: ut patet in vidua apud Lucam cap. 21. quæ duo tantum minuta offerebat, & ta-

Digitized by Google

tamen teſte æternâ veritate, plus omnibus offerebat: Deus enim, ut ait, S. Gregorius, non tam reſpicit quantum, quam ex quanto quis offerat: ex quo fit, ut quis plus Deo placere poſſit minus faciendo, quam alius maxima præſtando; ſi ſcilicet illud, *minus*, faciat majori affectu: unde benè ait S. Leo, nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus: ſola intentio facit hominem, quantumvis vitæ curriculum brevi finiat, explere tempora multa.

Tres gradus ejuſdē.

Tres autem prout colligere licet ex SS. Patribus aſſignantur gradus, quibus ad magnam intentionis puritatem evehimur.

Primus eſt, ſi homo in omni opere ſuo ſpectet ſolius Dei gloriam & amorem, cum oblivione omnium rerum mundanarum; qui autem ad hunc gradum pervenerit, ſummâ pace & tranquillitate animi perfruitur; ſiquidem nihil eſt quod eum angat vel inquietet, nec adverſis turbatur, nec proſperis evaneſcit; quippe qui in omnibus nil niſi Deum reſpicit.

Secundus gradus eſt, quando homo de omnibus naturæ, gratiæ, vel gloriæ bonis à Deo acceptis, non tantum lætatur, quia cedunt in ipſius utilitatem, quam quod hoc modo beneplacitum Dei adimpleatur; prout faciunt Sancti in cœlo, qui magis de impletione divinæ voluntatis, quam de gloria, quâ fruuntur, gaudent.

Tertius gradus; iſque ſupremus eſt, quando quis operatur vel patitur, non ut ipſe Deo placeat, ſed quia placet Deo, quod ipſe hoc vel illud operetur aut patiatur; ita ut ipſe ſolum Dei beneplacitum ſpectet in ſuo opere vel dolore; ſui verò penitus obliviſcatur, nec plus ſe æſtimet; quam ſi in mundo non eſſet.

Obex rectæ intentionis amor proprius.

Porrò nil puram noſtram intentionem ita offuſcat, ac amor proprius; qui omnibus etiam actibus noſtris ſeſe ingerit; dum in omnibus etiam ſanctiſſimis rebus ſæpè quærimus quæ noſtra ſunt, non quæ Jeſu Chriſti; ac proinde quot viri divitiarum, quot, dico, animæ operibus exterioribus divites, defectu rectæ intentionis, cum ad mortem venerint, cœperintque dormire ſomnum ſuum, nil invenient in manibus ſuis? & tunc deprehendent ſerius ſe totâ vitâ ſuâ inaniter ſine fructu laboraſſe.

QUÆSTIO III.

De Electione.

POſt explicatos duos actus voluntatis verſantes circa finem; agendum nunc de actibus voluntatis verſantibus circa media: & quidem primò de electione.

Quid electio

Eſt autem electio actus voluntatis, prævia conſultatione è pluribus mediis acceptantis unum ad finem conſequendum: quæ tamen definitio non competit electioni

Digitized by Google

divinæ vel angelicæ; quippè quæ fiunt ſine prævià conſultatione; prout hæc Joannis 15. *non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos*. Item ad Eph. 1 *ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*.

Petes, an brutis competat electio.

Reſp. negativè: quia ad electionem requiritur libertas, qualis non eſt in brutis: unde licet aliqua agant quæ ſunt ad finem aptiſſima; ita ut ſingularem ſagacitatem ac prudentiam præ ſe ferant; prout videre eſt in canibus, apibus, araneis, formicis &c. nihil tamen eorum operantur per electionem, vel propriam finis intentionem; quippè cum neque cognoſcant rationem finis, neque proportionem mediorum ad finem; ſed omnia illa faciant impulſa & mota ab authore naturæ: proinde in illis cum ſumma veneratione admiranda eſt infinita Dei Sapientia, quæ etiam in minimis animalculis tam ſtupenda operatur.

An pueris ante uſum rationis, item amentibus competat electio.

Reſp. in quibuſdam materiis illis electionem competere, nempè circa ea quæ ſpectant ad commodum corporis; item ad delectationem ſenſuum: nec mirum eſt, quia in illis eſt ſufficiens notitia boni delectabilis; naturæ convenientis; & noverunt optimè diſtinguere inter majus & minus bonum: & interrogati, cur potius hoc, quam illud eligant, noverunt dare rationem: non poſſunt tamen peccare, quia non habent notitiam boni vel mali moralis, quippè quia non noverunt perpendere an aliquid ſit conforme rectæ rationi, vel difforme ab ea: quod non eſt mirum; nam prius habet aliquis notitiam boni delectabilis, & naturæ convenientis, quam honeſti; eò quod hoc ſit altioris ordinis.

Petes, quibus actibus præviis voluntas procedat ad electionem.

Reſp his ſubſequentibus 1. per intellectum habetur notitia & æſtimatio objecti. 2. Voluntas actu inefficaci fertur in objectum. 3. Si illud ſit abſens, deſiderat; & quidem ſi ſit arduum, ſperat. 4. Intendit illud efficaciter obtinere per media. 5. Ex imperio voluntatis intellectus deliberat & conſultat de mediis conducentibus ad finem aſſequendum. 6. Intellectus prævià deliberatione fert ſententiam, ſeu judicat hoc medium eſſe utilius reliquis: unde per judicium ultimò practicum determinat voluntatem ad hoc aſſumendum. 7. Voluntas approbat medium ab intellectu propoſitum. 8. Eligit illud & applicat ad finem conſequendum. Actus prævii ad electionẽ.

DUBIUM PRIMUM.

An Electio ſit tantum mediorum.

Reſp. affirmativè: cujus ratio eſt; quia illa ſequitur conſultationem & judicium, quod eſt conſultationis concluſio; ſed conſultatio non eſt de fine, eò quod in

in omni conſultatione præſupponatur aliquis finis tamquam principium omnis conſultationis: nec enim medicus conſultat, an debeat ſanare; nec dux belli an debeat vincere; nec mercator an debeat lucrari; nec probus & pius ſacerdos an debeat ſanctè & caſtè vivere: ſed tota conſulatio eſt de mediis ad ſanctè, piè, & caſtè vivendum; in medico ad ſanandum; in duce ad vincendum; in mercatore ad lucrandum.

Dices, propoſitis pluribus finibus etiam ultimis, deliberat homo quis ex illis ſit obtinendus v. g. an voluptas, an honor, an divitiæ, an Deus &c. Et poſt factam deliberationem eligit unum ex illis, & tamen finis ultimus nullatenus habere poteſt rationem medii; ergo falſum eſt electionem tantum verſari circa media.

Finis formaliter ſumptus non cadit ſub electione.

Reſp. negandò conſequentiam; nec enim deliberatio vel electio hic cadunt ſuper finem formaliter ultimum; quia potius ex electione finis ultimi procedunt, qui ut poſſit obtineri inſtituitur conſultatio in qua re ille ſit ſitus, videlicet an in voluptate, an in honore, an in divitiis &c. quem ubi reperit conſiſtere in ſolo Deo vivo & verò, eligit Deum tamquam illud materiale in quo reperitur plenitudo omnis boni, ſeu ratio finis formalis.

Petes, an electio ſi tantum rerum poſſibilium.

Electio tantum eſt poſſibiliū.

Reſp. affirmativè: quia tota ratio cur aliquid eligatur eſt, quia nimirum eſt utile ad finem conſequendum; quod autem apprehenditur ut impoſſibile, non poteſt apprehendi ut utile ad finem conſequendum: ex quo fit quod ubi prævià conſultatione devenimus ad medium aliquod neceſſarium, nobis tamen impoſſibile, ſtatim ceſſemus à proſecutione finis intenti.

Petes, an ergo voluntas non poſſit eſſe impoſſibilium.

Voluntas tamen inefficax poteſt eſſe impoſſibilium.

Reſp. affirm. ſi ſit inefficax: ratio eſt, quia omnis boni ratio abſolutè cognita, ſive poſſibilis ſive impoſſibilis, poteſt in voluntate cauſare ſimplicem complacentiam: ſic enim experimur nos delectari de eo quod eſt ſimpliciter impoſſibile; v. g. nos mutari in angelos, volare &c. inſuper ubi pœnitemus de peccatis, optamus illa non commiſiſſe; quod tamen eſt impoſſibile, quia ad præteritum non datur potentia.

Dices; ergo dolor pœnitentis non erit niſi voluntatis actus inefficax, & conſequenter numquam ſufficiens ad reconciliationem; utpote non complectens in ſe efficacem diſplicentiam de peccatis, qualis in pœnitente requiritur; utpote cujus virtute illud impoſterum debet fugere & retractare.

Dolor ad pœnitentiam requiſitus partim eſt effi-

Reſp. diſplicentiam illam non producere volitionem efficacem quoad actum præteritum; nam hoc eſt manifeſtè impoſſibile, ſed ſolummodò velleitatem aut volitionem conditionatam: illam tamen pro-

 ducere

eax partim, ineffi-cax. ducere volitionem efficacem quoad peccata impoſterum vitanda.

Petes, unde voluntatis actus dicatur inefficax.

Unde deſumatur inefficacia voluntatis. Reſp. ex eo, quod vel non aſſequatur finem ſuum, vel non adhibeat conatum ad illum aſſequendum.

Petes, an ſimplex velleitas, ſeu complacentia voluntatis, quando talis eſt quod moveret ad operationem niſi obſtaret rei impoſſibilitas, non contineat ſaltem virtualiter actum voluntatis efficacem.

Reſp. affirmativè; non quidem qui actu talis ſit; ſed qui eſſet, ſi ſubeſſet conditio, nempe rei poſſibilitas: unde per verbum, *vellem*, quando dico, vellem tibi conferre beneficium ſi eſſes capax; propriè loquendo non tam ſignificatur imperfecta voluntas, ſeu velleitas præſens; ſed perfecta & efficax, quæ elicienda foret, ſi talis conditio poneretur.

Petes, quomodò voluntas voluntate inefficaci poſſit velle impoſſibile, cum illud non poſſit apprehendi tamquam bonum; nam quidquid judicatur impoſſibile, non poteſt apprehendi ut ens actu vel potentiâ exiſtens; ergo nec ut ens, & conſequenter nec ut bonum, cum ens & bonum convertantur.

Reſp. concedendo totum: poſſe tamen apprehendi per modum entis & boni, quod ſufficit ut volitione inefficaci velimus, prout per experientiam ante deduximus. Quod verò electio non poſſit eſſe impoſſibilium, patet; quia voluntas nihil poteſt appetere niſi ſub ratione boni; ſed conari ut fiat id, quod putatur impoſſibile, non poteſt apprehendi ſub ratione boni, neque honeſti, neque jucundi, neque utilis; quippè cum talis conatus per ſe ſit vanus.

Petes, an ſuppoſitâ efficaci finis intentione, eligat ex neceſſitate unicum quod ſupereſt medium neceſſarium ad finem conſequendum.

Reſp. affirmativè: non quidem neceſſitate abſolutâ, ſed ex hypotheſi: unde qui vult fieri Chriſtianus, neceſſe eſt ut velit baptiſmum: quæ tamen neceſſitas non officit libertati; eoquod omni momento ſit in poteſtate voluntatis non eligere iſtud medium; eo ipſo quo eſt in ejus poteſtate tollere intentionem quæ eſt cauſa electionis.

Petes, an in electione ſit diſtincta ratio meriti vel demeriti ab ea quæ eſt in intentione.

Reſp. affirmativè, ſi id quod eligitur per ſe bonum ſit vel malum: v. g. ſi habens intentionem Deum colendi ob hoc eligat auſteram religionem: vel ſi intendens adulterium ob hoc eligat furari: quando verò in medio quod eligitur non eſt diſtincta bonitas vel malitia (aut ſi adſit bonitas, vel malitia, illa non attenditur) tunc in ipſa electione non eſt nova ratio meriti vel demeriti; ut ſi quis intendat inimicum occi-

Digitized by Google

occidere, & ad hoc eligat ſibi arma.

Petes, quomodò ante dictum ſit, quod ſuppoſitâ efficaci finis intentione voluntas neceſſariò eligat unicum medium ad illud neceſſarium; cum experientiâ nobis conſtet, quod, ſi optemus ſanitatem, ad quam obtinendam abſciſſio manus ſit neceſſaria, nos illam recuſabimus, dicentes, *tanti pœnitere non emo*.

Reſp. nos tunc ab efficaci finis intentione deſiſtere; quod facilè in nobis contingit, quando id, quod eſt neceſſarium ad finis conſecutionem, valde arduum & laborioſum judicatur: nam tunc medii acerbitate deterriti intentionem deponimus; in qua ſi perſeveremus, omnem quoque medii acerbitatem & moleſtiam ſuperabimus: quâ ratione æger efficaciter intendens ſanitatem ſumit potionem quantumvis amariſſimam.

DUBIUM IV.

An ſi ſint plura media ad finem idonea, neceſſe ſit ſuppoſitâ efficaci intentione eligi utiliùs vel magis idoneum.

RESp. per ſe loquendo negativè: quia nullum ex his determinatè eſt neceſſarium ad finis conſecutionem; quandoquidem per quodlibet ex illis poſſit obtineri: quod experientiâ conſtat in electione ſtatus vitæ; etſi enim ſtatus Religionis per ſe ſit utiliſſimum medium ad ſalutem; non omnes tamen illum eligunt, eò quod ſuffi iat illis aliquo modo ſalvari.

Dices: electio præſupponit conſultationem; ſed fieri nequit quod judicium ſeu concluſiò conſultationis ſit de medio minus utili, niſi forte per errorem, quem hic ſeponimus; ergo fieri nequit quod eligatur medium minus utile relicto utiliori. Electio inter plura media fit dupliciter.

Reſp. electionem poſſe dupliciter fieri inter plura media: & primò quidem ſic ut in electione ſolum attendatur ratio utilitatis ad finem: quo caſu fieri nequit quod eligatur medium minus utile relicto utiliori: cujus ratio eſt, quia medium minus utile eſto per ſe conſideratum ſit utile ad finem, comparatione tamen factâ ad medium utilius, habet rationem minoris boni, adeoque mali, quod eligi non poteſt. Secundò poteſt electio inter plura media fieri hoc modo, ut, præter utilitatem ad finem primarium, ſpectetur quoque illa utilitas illius medii ad alios fines ſecundarios: quo modo eligi poteſt medium minus utile ad finem primarium relicto utiliori: ſic enim multi eligunt ſtatum matrimonialem ad conſequendam ſalutem relictis Conſiliis; quia non ſolum intendunt ſalutem, ſed inſuper voluptates carnis quas putant eſſe in matrimonio: & hinc omnis error in electione ſtatus: cum enim quiſque ſolum deberet attendere

quis

quis ſtatus, omnibus ſpectatis illi ſit utiliſſimus ad conſequendam ſalutem; multa alia inſuper attendit tamquam fines ſecundarios, ut voluptates, honores, divitias, &c. ſicque fit ut medium quidem minus ad ſalutem utile, & periculoſum præferatur ſecuriori, & utiliſſimo.

Petes, an voluntas ex duobus objectis æquè bonis ſibi propoſitis; item ex duobus mediis æquè ad finem utilibus poſſit eligere alterutrum.

Voluntas ex duobus mediis æquè utilibus non poteſt alterutrum eligere.

Reſp. negativè: quia non eſt ratio cur potius moveatur ad unum, quam ad aliud: nec refert quod ſit libera; quia libertas ejus ſatis pateſcit in eo, quod utrumque poſſit reſpuere, vel in altera majorem aliquam rationem boni exquirere, quâ attentâ ad illud ſe moveat: præterea, quod attinet ad duo media æquè ad finem utilia, eſt adhuc alia ratio; quia ſcilicet electio non fit niſi prævia conſultatione; conſultatio autem non datur inter ea quæ creduntur æqualia ad finem: nam ideo conſultamus, ut judicemus quidnam inter media ſit magis utile ad finem conſequendam.

QUÆSTIO IV.

De Conſilio, ſeu Conſultatione, aut Deliberatione, item de Judicio.

Quid conſilium.

Conſilium, conſultatio, & deliberatio ſumuntur pro eodem quod non eſt aliud, quam inquiſitio mediorum ad finem utilium; proinde continet varios actus intellectus, nempè attentam inquiſitionem cauſarum, effectuum, & circumſtantiarum ipſius rei ſuper qua capitur conſilium: quod aptè definitur eſſe actus intellectus inquirentis & ponderantis media, & eorum proportionem ad finem. Ex hoc ſequitur judicium tamquam effectus conſilii, ſeu deliberationis, non verò ut pars; quia ſæpe initur conſilium cum tamen nullum ſequatur judicium; eò quod nequeat diſcerni quodnam ex mediis ſit utilius ad finem; vel quia in omnibus mediis reperitur aliqua difficultas: in vulgari tamen ſermone, nomine conſilii, frequenter venit judicium: ut cum dicimus, ipſe mihi dedit tale conſilium; quo modo nimirum cauſa ponitur pro effectu: definitur verò judicium eſſe actus intellectus decernentis unum vel plura media aſſequendo fini eſſe aptiora.

Quid judicium.

Petes, an conſilium competat omni agenti rationali.

Reſp. negativè: quia non competit propriè Deo: quia quidquid in quovis negotio expedit fieri, id ei ab æterno cum omnibus ſuis circumſtantiis eſt præſens; ac proinde in iſto indiviſibili æternitatis nunc omnia ſunt decreta, omnia deciſa, omnia ordinata, ac definita, quæ facta ſunt, vel erunt; nihil de novo reſtat deliberandum; ibi quoque & nos omnes appenſi ſumus in ſtatera; & librata omnia opera noſtra,

Digitized by Google

ſtra: ibi vel gloria, vel pœna æterna unicuique parata eſt; ibi vel regnamus cum Sanctis, vel ardemus cum damnatis.

Dices: in Epiſt. ad Eph. cap. 1. ait Apoſtolus quod Deus operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Quomodo Deus utatur conſilio

Reſp. conſilium ibidem capi, prout frequenter accipitur, non pro ipſa deliberatione, ſed pro judicio de re agenda; ſumendo cauſam pro effectu.

Petes, an angeli non deliberent.

Reſp. quandoque: neque enim in omni negotio circa hominum gubernationem ſciunt quid ſit agendum; ac proinde Deum in dubiis ſuis conſulunt, ut ex S. Sriptura colligitur: homines quoque, quamvis in multis deliberent, quandoque tamen non deliberant: prout contingit quando judicium aliunde eſt certum; tunc enim non eſt opus deliberatione: idem quoque fit in rebus minimis quæ non merentur conſultationem.

Dices: electio vocatur appetitus præconſultati; ergo ſemper prærequiritur conſultatio.

Reſp. negandò conſequentiam; nam ſic vocatur quia ad omnem electionem prærequiritur judicium, quod virtualiter includit conſilium.

Petes, ſuper quibus rebus inſtituatur conſilium.

Conſilium ſemper eſt de mediis; nunquam de fine.

Reſp ſuper ſolis mediis; numquam verò ſuper fine; nam in omni deliberatione præſupponitur finis tamquam principium ipſius deliberationis: nec refert quod ſupra diximus, quod homines aliquando deliberent quidnam loco finis ultimi ſit habendum, Deus an idolum; nam conſilium tantum capitur de materia in qua ratio finis ultimi eſt conſtituenda, non verò de fine formaliter ultimo, qui iſti conſilio præſupponitur.

Petes, quo ordine procedatur in conſultatione.

Procedit ordine reſolutorio.

Reſp. reſolutorio.

Pro cujus explicatione nota; compoſitionem, & reſolutionem proprie convenire toti & partibus; nam propriè ex ſolis partibus fit compoſitio & in eas ſolas fit reſolutio totius: per quamdam tamen analogiam poteſt ordo iſte aliis etiam rebus competere; nam etſi finis non componatur ex mediis tamquam partibus, vel cauſis intrinſecis; tamen ut is obtineatur, neceſſaria ſunt media, tamquam cauſæ naturâ priores: unde hic quoque proceditur quodammodò à toto ad partes, hoc eſt à fine ad media, tamquam ad cauſas illum obtinendi: ſicuti enim is qui domum in partes reſolvit, incipit à tecto, & in fundamento deſinit; ita quoque qui domum habere intendit ut ab injuriis aëris præſervetur; primò quidem per inquiſitionem & conſilium invenit opus eſſe tecto; deinde, ut illud ſubſiſtat, opus eſſe parietibus &c. Itaque ordine intentionis proceditur ordine reſolu-

 luto-

Digitized by Google

lutorio ; ordine verò executionis proceditur per compoſitionem ; proceditur enim à parte ad totum, ſive à cauſa ad effectum. Ex his intellige hoc axioma; id quod primum eſt in intentione, ultimum eſt in executione: & è contra ; quod primum eſt in executione, ultimum eſt in intentione.

QUÆSTIO V.

Quid Conſenſus.

Quid conſenſus.

Conſenſus, eſt actus voluntatis approbantis objectum ſibi ab intellectu propoſitum. Diſſenſus, eſt actus voluntatis nolentis objectum ſibi ab intellectu propoſitum. Quo pacto dicimur conſentire vel diſſentire divinis inſpirationibus, tentationibus, paſſionibus &c. Unde patet quod, etiamſi propriè loquendo conſenſus tantum verſetur circa media, uſitate tamen hoc nomen latius pateat; ita ut omnis actus voluntatis acceptantis objectum, ſive illud ſit medium ſive finis, appelletur conſenſus.

Quid diſſenſus.

Eſſentia conſenſus.

Petes, quænam ad perfectum conſenſum requirantur.

Reſ. hæc duo; perfecta rationis advertentia formalis, vel interpretativa, item approbatio voluntatis. Quandonam autem cenſeatur adeſſe perfecta rationis advertentia formalis vel interpretativa, explicavimus ſuprà tract. de voluntario, dub. 1.

Requiſita ad conſenſum perfectum.

Petes, an ad conſenſum requiratur poſitiva acceptatio, ſeu approbatio voluntatis.

Reſp. negativè: quia frequenter ſufficit interpretativa : quam quis cenſetur habere dum facit, vel omittit aliquid unde prævidet ſecuturum aliquod peccatum, propter quod tenetur talem cauſam vitare : unde qui vult talem cauſam, cenſetur interpretativè velle effectum ; & qui omittit id quod facere tenetur, cenſetur in moralibus illud velle : præterea interpretativè approbat quis objectum, & conſentit in illud circa quod negativè ſe habet. Tunc verò quis cenſetur ſe habere negativè, quando poſt perfectam rationis advertentiam permittit in ſe objectum aliquod malum abſque ullo adhibito conatu illud divertendi, non tamen poſitivè volendo, aut nolendo: ſeu, quod redit in idem, quando objectum malũ non tollit quod poteſt tollere: quia quãdo voluntas in moralibus non facit quod debet, perinde eſt ac ſi illud poſitivè vellet ; prout contingit in turpi imaginatione, vel impudico carnis motu, in quæ voluntas conſentit ; & conſequenter peccat mortaliter quando circa illos negativè ſe habet : cujus ulterior ratio eſt, quia cum ad voluntatem, tamquam ad dominam ſpectet regimen appetitus ſenſitivi; obligatur illa non conſentire motibus in appetitu inferiori excitatis ; ſed & obligatur illos reprimere divertendo imaginationem circa alia, vel quid aliud agendo ; idque ex præcepto affirmativo : eo modo quo prætor civita-

Quid conſenſus interpretativus.

Voluntas negativè ſe habens circa objectum malum interpretativè in illud conſentit.

Quandonam quis cenſeatur ſe habere negativè.

vitatis non tantum obligatur non furari, vel non occidere; ſed inſuper obligatur non permittere ſibi ſubditis furari, aut occidere, quando hoc poteſt impedire: prout quoque Pater vel Mater familias non ſolum obligantur non fornicari, vel adulterari; ſed nec permittere in domo ſua fornicationes fieri, vel adulteria: quorum omnium ratio fundamentalis eſt; quia præceptum negativum quod prohibet actum malum, non ſolum prohibet conſenſum in iſtum actum, ſed & voluntariam permiſſionem iſtius actus: nam ex eodem præcepto quo prohibetur alicui occidere proximum, obligatur etiam non permittere mortem ipſius, ſi illam poſſit impedire. & ex eodem præcepto quo filia, cui infertur violentia, tenetur non conſentire, ex eodem quoque obligatur non permittere circa corpus ſuum fieri tactus impudicos, dum illos poteſt impedire. Proinde hæc præcepta non occides, non furaberis, non mœchaberis; etſi formaliter ſint negativa quatenus prohibent actum malum; virtualiter tamen ſunt affirmativa, quatenus præcipiunt ut malo reſiſtamus, illudque reprimamus: quod tamen, quatenus eſt affirmativum, non obligat pro ſemper; ſed ſolum pro eo tempore, quo adeſt delectatio carnalis v. g. in præcepto, non concupiſces; tunc enim tenemur reſiſtere, niſi adſit juſtiſſima cauſa nos excuſans à poſitiva reſiſtentia; qualis eſſet ſi ad tollendam cogitationem impudicam v. g. oporteret omittere actionem aliquam ſanctam & neceſſariam.

Præceptum non furaberis, item non mœchaberis eſto formaliter ſint negativa; ſunt virtualiter affirmativa.

QUÆSTIO VI.

Quid Uſus.

Uſus, eſt applicatio alicujus rei ad debitum finem

Quid uſus.

Abuſus, eſt applicatio alicujus rei ad finem indebitum. Uterque ſubdividitur in paſſivum & activum.

Quid abuſus.

Uſus activus, eſt ipſa volitio quà quis applicat rem ad ſuum finem, paſſivus verò eſt ipſamet actio, quâ res applicatur ad finem per potentias exteriores: ſic v. g. velle ambulare eſt uſus activus pedis; ipſa vero ambulatio eſt uſus paſſivus: dicitur verò uſus paſſivus, non quaſi ſit paſſio; ſed quia eſt actio imperata à ſuperiori potentia ad quam operandam inferior movetur, & conſequenter à ſuperiori potentia patitur, eſto effectivè ad actionem concurrat.

Utriuſque diviſio.

Ex quo patet quod ipſa potentia effectiva actionis v. g. viſivæ, auditivæ, loco motivæ &c. Non poſſit propriè loquendo dici uti inſtrumentis v. g. oculo, aure &c. eò quod illa ſemetipſam non applicet ad agendum, ſed ſolum movens principale, ſcilicet voluntas illa applicat; quæ ſola denominatur uti dictis inſtrumentis.

Dices, actio illa, in qua conſi-

Digitized by Google

ſtit uſus,non eſt in voluntate, ſed in re quâ voluntas utitur; ergo voluntas ab illa non poteſt denominari utens; ſed potius ipſa potentia ſubalterna; nam forma denominat ſubjectum cui ipſa ineſt.

Reſp. uſum per modum actionis tranſeuntis ſe habere reſpectu voluntatis; ſicuti calefactio reſpectu ignis, quæ tamen non eſt in igne, qui denominatur calefacere.

Petes, an uſus activus, ſeu ipſa volitio actu movens potentiam exequentem ad operandum, diſtinguatur ab electione.

Uſus diſtinguitur formaliter ab electione, non neceſſariò realiter.

Reſp. affirmativè; formaliter loquendo; ſed non neceſſariò realiter: quia omnis electio medii, vi cujus abſque alia ulteriori volitione ſequitur executio, ſimul eſt uſus activus. Quod tamen illi duo actus formaliter ſint diſtincti, patet;quia actus formaliter eſt electio quatenus eſt volitio certi medii ad finem conſequendum: eſt verò uſus, in quantum eſt cauſa movens ad executionem: unde quandocumque ex ipſa electione medii non ſequitur immediatè illius executio, ſed opus eſt aliâ volitione, tunc electio eſt actus omninò realiter diſtinctus ab uſu activo.

Petes, an bruta utantur membris ſuis.

Bruta non utuntur mēbris ſuis, neque illis abutuntur.

Reſp. negativè: idque duplici ex capite. 1. quia non applicant membra ſua ad operationem, ſed applicantur ab authore naturæ. 2. quia non cognoſcunt etiam aptitudinem ſuorum membrorum, nec ordinem illorum ad has vel illas operationes; quod ad uſum requiritur: proinde ſicut illis non competit uſus ita nec abuſus; eò quod hic ſupponat cognitionem ordinis quam res habet ad finem.

QUÆSTIO VII.

Quid Imperium.

Tres functiones imperii, ſeu actus imperantis.

Imperium dupliciter accipitur; generaliter videlicet, & ſpecialiter: hoc poſteriori modo eſt in alterum tantum, ſcilicet in inferiorem; nam nemo propriè ſibi imperat,prout nemo ſe ipſum orat. Tres verò ſunt functiones imperii, nempe rei gerendæ ordinem præſcribere. 2.Obligare. 3.Intimare ſubdito obligationem agendi,

Imperium eſt actus intellectus.

Imperium propriè dictum, eſt actus intellectus,nihilque eſt aliud, quam præſcriptum, ſeu denuntiatio rationis ex impulſu voluntatis profecta: quod inde patet, quia quod in inferiori eſt orare, & in æquali eſt ſuadere, hoc in ſuperiori eſt imperare: ſed orare, & ſuadere ſunt actus intellectus; ſiquidem oratio non eſt aliud quam locutio quâ noſtrum deſiderium alteri explicamus: & ſuaſio eſt locutio quâ conſilium noſtrum alteri manifeſtamus: & quidem quod locutio interna ſufficiat ad completam rationem imperii, patet in angelis; quamvis non ſufficiat in hominibus, ſed inſuper requiritur ſignum

gnum externum quo locutionem internam manifeſtamus; nec enim aliter quam per ſigna externa homo homini voluntatem ſuam poteſt manifeſtare: hinc collige imperium prout in nobis eſt, eſſe in genere ſigni; quia formaliter eſt id, quo voluntas ſuperioris movet voluntatem inferioris; quod fieri nequit niſi mediante ſigno externo, quo voluntas ſuperioris intellectui inferioris innoteſcit.

Imperium eſt in genere ſigni.

Dices: imperare eſt ſuperioris; ſed voluntas eſt domina omnium potentiarum; ergo imperium erit actus voluntatis.

R. ut voluntas ſit domina ſufficit quod imperet mediante intellectu; & hinc dicimus, imperium ita formaliter conſiſtere in actu intellectus, ut tamen eſſentialiter prærequiratur motus voluntatis.

Imperium generaliter ſumptũ quid ſit.

Imperium generaliter ſumptum prout quoque comprehendit actus quibus voluntas ſibi ipſi & potentiis ſibi ſubordinatis imperat, partim dici poteſt actus intellectus partim voluntatis; idq; juxta diverſa officia quæ habet: nam in quantum præſcribit quid & quomodò aliquid hic & nunc agendum ſit, eſt actus intellectus, nec differt à judicio practico: quatenus verò movet potentias ad agendum, ſic eſt actus voluntatis: quo modo definitur eſſe actus voluntatis moventis ſe & alias potentias ſibi ſubditas ad agendum.

Includit actũ voluntatis.

Petes, an imperium, ſeu actus imperans, ſit idem ſpecie in genere moris cum actu imperato.

R. affirm. ſi exerceatur ab eodem ſuppoſito: quod ſi verò actus imperatus exerceatur à diſtincto ſuppoſito, ut v.g. dum dominus imperat famulo ſuo dare eleëmoſynam, tunc dico actum illum imperatum comparari poſſe ad duplicem actum imperantem, & cum utroque ſeorſim conſtituere unum actum in genere moris: & ſic in exemplo dato, datio eleëmoſynæ, quatenus ſubſtat internæ voluntati ipſius domini, poterit eſſe actus bonus; quatenus verò ſubſtat voluntati famuli qui illam dationem refert ad malum finem, poterit eſſe actus malus.

Unus & idẽ actus imperatus cõparatus ad diverſa ſuppoſita poteſt eſſe diverſæ ſpeciei moralis.

Petes, an voluntas ſibi immediatè imperet, an verò mediante actu intellectus.

Reſp. mediante actu intellectus; quia non poteſt elicere actum imperii niſi prævià cognitione, cum non feratur in incognitum.

Petes, an omnis actus voluntatis poſſit eſſe imperatus.

Reſp. negativè, ſed ſolus ille qui eſt volitus vi præcedentis volitionis; nam hâc ſolâ ratione actus aliarum potentiarum dicuntur imperati: ac proinde, ne detur progreſſus in infinitum, ad unum tandem voluntatis actum eſt deveniendum qui non ſit imperatus præcedente aliquo imperio, ſeu volitione.

Non omnis actus voluntatis poteſt eſſe imperatus.

Ex his collige, actum cujuſcumque virtutis non tantum externum, ſed & internum poſſe imperari à charitate: nam quivis affectus

Omnes actus virtutum poſſunt

Imperari à charitate.

fectus bonus poteſt directè eſſe volitus; imo debet à charitate eſſe imperatus ut ſit bonus: ſic quoque affectus caſtitatis poteſt imperare affectus aliarum virtutum,& quaſvis earum operationes exteriores; nam hi omnes actus virtutum poſſunt valere tamquam media ad obtinendam caſtitatem: idem pariformiter dic de aliis virtutibus,quarum una ſemper poteſt imperari ab altera.

Actus imperati potentiarum à voluntate diſtinctarum accipiunt à voluntate bonitatem vel malitiam formalem.

Adverte tamen, non eodem modo imperari actus voluntatis elicitos ſicut aliarum potentiarum: nam actus aliarum potentiarum immediatè ſequuntur ex imperio voluntatis per quamdam ſympathiam ſine ulla nova cognitione: actus verò voluntatis elicitus & imperatus requirit diſtinctam cognitionem quâ objectum voluntati proponatur: inſuper actus imperati aliarum potentiarum ſemper accipiunt ab imperio, ſeu actu imperante bonitatem vel malitiam formalem; non ſic actus eliciti & imperati à voluntate: ratio diverſitatis eſt;quod ſolus internus voluntatis actus per ſe ſit liber.

DUBIUM PRIMUM.

An, & qui actus intellectus imperentur.

Nota, actum intellectus dupliciter poſſe ſpectari; vel ſecundum exercitium, vel ſecundum ſpecificationem: inſuper, vel prout eſt mera apprehenſio objecti, vel prout eſt judicium de veritate vel falſitate objecti. Quibus præſuppoſitis.

Dico 1. quod apprehenſio objecti, conſiderata quoad ſpeciem, non ſubſit imperio voluntatis,quippè pendens ab objecto vel ſpecie intelligibili, inſuper à lumine aliquo naturali vel ſupernaturali: eo modo quo viſio corporea quoad ſpeciem non ſubeſt imperio voluntatis, utpote pendens partim ab objecto, partim à lumine. Hinc infer, non eſſe in poteſtate voluntatis imperare intellectui ut hominem apprehendat tamquam beſtiam, vel è contra: quod ſi faceret non eſſet conceptus hominis, ſed beſtiæ: ſimiliter non eſt in poteſtate voluntatis ut intellectus comprehendat veritatem vel falſitatem alicujus propoſitionis; quia hoc ſolummodò pendet ab objecto, & lumine naturali vel ſupernaturali.

Petes, an judicium intellectus de objecto evidenter vero vel falſo imperetur à voluntate quoad ſpeciem.

Reſp. negativè: quia intellectus ab ipſa evidentia objecti neceſſitatur ad aſſentiendum vel diſſentiendum: hinc inefficax eſt imperium quo voluntas imperat intellectui ut judicet hominem eſſe beſtiam, vel album & nigrum &c.

Petes, an ergo nullum judicium intellectus poſſit à voluntate imperari quoad ſpeciem.

R.

Digitized by Google

R. affirmativè; nempè illud quod eſt de objecto obſcuro & inevidenti: ut parer in articulis fidei; quibus aliquis pro nutu voluntatis poteſt credere vel diſcredere: idem videre eſt in opinionibus Philoſophicis & Theologicis. Quibus quilibet aſſentitur vel diſſentitur pro ratione affectus: ſic tamen ut debeant inſuper ſubeſſe quædam rationes, quæ faciant objectum ſaltem veroſimile in ſpecie: ſi enim neutram in partem ſuppetat aliqua ratio, voluntas ſe ſolâ nequit efficere ut aſſentiat vel diſſentiat; ut v. g. ſtellas eſſe numero pares, vel impares: imo ſi ſint utrimque rationes omnino pares & tibi tales videantur, non potes uni parti præ altera aſſentire ſolum quia tibi ſic placet; nec adhærere minus probabili relicto probabiliori, hoc ſolo motivo, quia tibi ſic placet: ratio prioris eſt, quia nemo poteſt alicui propoſitioni aſſentire niſi ſub ratione veri; nec diſſentire niſi ſub ratione falſi; ergo ubi ne quidem in ſpecie apparet ratio falſitatis vel veritatis, non poſſum aſſentire vel diſſentire: ſimiliter non poſſum aſſentire vel diſſentire uni præ altero, niſi in eo appareat major veriſimilitudo; quia id in quo eſt minor veriſimilitudo, etſi abſolutè conſideratum habeat ſufficientem ſpeciem veritatis, tamen comparatum ad alterum, nullam habet ſpeciem veritatis; ac proinde intellectus non poteſt præ alio in illud ferri.

Dices; poteſt quis ex ſolo affectu ſequi opinionem minus probabilem relictâ probabiliori; ergo pro arbitrio poterit aſſentire minus probabili relictâ probabiliori.

Voluntas propoſitionem minus probabilem poteſt facere ut videatur magis probabilis.

Reſp. ut ante dixi, affectum ſe ſolo non poſſe præſtare ut homo aſſentiatur minus probabili tamquam veriori, niſi faciat illam ſibi videri probabiliorem; ad quod affectus habet magnam vim: ſiquidem poteſt imperare intellectui ut in minus probabili conſideret alias rationes ob quas appareat magis probabilis, & ita illi aſſentiat.

Aliqui actus intellectus quoad exercitium imperantur à voluntate, non tamen omnes.

Dico 2. actus intellectus poteſt imperari quoad exercitium: ſic enim ſuperior imperat ſuo religioſo ut mediterur aut attendat: quod tamen non eſt verum de omnibus actibus intellectus; ſed tantum de illis qui ſunt in poteſtate voluntatis; unde qui incidunt homini ante omnem actum voluntaris, & immittuntur vel à Deo, vel ab objecto per imaginationem apprehenſo, non poſſunt imperari: quando tamen ejuſmodi cogitationes advertimus incidiſſe, poſſumus mentem ab illis avertere, quamvis id aliquando ſit difficile, ne dicam impoſſibile, dum vehemens imaginatio eas continuò ſuggerit.

Judicium ultimò practicum imperatur à

Petes, à quo intellectus imperetur ad eliciendum judicium practicum.

Reſp. ordinariè ex imperio voluntatis mandantis intellectui hic & nunc ferre ſententiam: hinc habi-

tus

voluntate. Quid eubulia ſyneſis & gnome.

tus rectè conſultandi, qui appellatur eubulia, item ſyneſis & gnome, (quorum primus eſt habitus rectè judicandi ex principiis communibus, ſecundus verò eſt habitus rectè judicandi ex principiis extraordinariis) dicuntur ſubeſſe imperio voluntatis: unde natum illud axioma; *quilibet judicat prout eſt affectus.* Unde quoque contingit quod homo ad caſtitatem affectus, valde licet tentatus, imperet intellectui ut practicè judicet non eſſe in hac tentatione aliquid contra caſtitatem agendum. Luxurioſus verò & ebrioſus, etſi ſciant valde decens eſſe ſobrie & caſtè vivere; quia tamen affecti ſunt luxuriæ & ebrietati, imperant intellectui ut judicet hic & nunc genio & voluptati ſe indulgendum.

Subſit imperio voluntatis.

DUBIUM II.

Quomodò imperentur actus appetitus ſenſitivi à voluntate.

PRænotandum, cum Deus fecerit hominem rectum, non verò inordinatum quales modò ſumus, in iſto fœlici innocentiæ ſtatu, ante lapſum primi parentis inferiorem noſtram partem, id eſt appetitum ſenſitivum, ſuperiori, id eſt appetitui rationali, veluti ancillam dominæ perfectiſſimè fuiſſe ſubjectam: quod & ordo juſtitiæ tum naturalis, tum politicæ exigebat, ut quicumque gradu inferior eſt, ſubditus debeat eſſe illis, qui in eadem republica conditione & poteſtate ſuperiores ſunt; dicente S. Auguſt. naturalis ordo deſiderat carnem ſpiritui eſſe ſubjectam: unde quamvis naturale ſit appetitui ſenſitivo concupiſcere, ac proinde in fœlici illo innocentiæ ſtatu motus quoque illius fuiſſent; tales tamen teſte S. Auguſtino fuiſſent, qui voluntatis nutum nec præcederent, nec excederent; non enim eſt naturale appetitui contra voluntatis nutum concupiſcere: proinde in fœlici illo innocentiæ ſtatu nullus in appetitu ſenſitivo motus carnis potuiſſet exurgere niſi homine liberè in illum conſentiente & volente; verùm poſt peccatum, homine adverſus Deum rebellante, rebellavit quoque appetitus ſenſitivus contra rationem; & ita concinnus ille ordo everſus eſt; dicente Ap. Rom. 7. *non enim quod volo, bonum hoc ago: ſed quod odi malum illud facio.* Hinc voluntate omnimodè repugnante quandoque contrarii motus excitantur in appetitu ſenſitivo; qui exinde non amplius deſpoticè, ſed politicè ſubeſt voluntatis imperio.

Naturalis ordo poſtulat carnem ſpiritui debere eſſe ſubjectam Is fuit ſervatus in ſtatu innocentiæ.

Ordo ille everſus eſt per peccatum primi parentis.

Nota 2. quamvis originalis culpa, quæ omnis hujus rebellionis cauſa eſt, Baptiſmo tollatur; hanc tamen rebellionem (quam peccati fomitem rectè Theologi appellant) minimè tolli; volente Deo inſcrutabili ſuo judicio illam in nobis manere ſuperſtitem, ut hac ratione ſuperbiam noſtram retunderet:

deret: videlicet ut nos, viſâ noſtrâ miſeriâ, nos humiliaremus. Homo ut ait Pſalmiſta Pſalm. 48. *Cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nempè in brutalibus appetitibus ſequendis: ut vel ſic in ſe reverſus humiliter agnoſcat, nullam ſe amplius extollendi rationem habere. His præſuppoſitis

Appetitus ſenſitivus politicè tantum ſubeſt voluntatis imperio. Quid imperium deſpoticum. Quid politicum.

Dico 1. voluntas politico imperio, non verò deſpotico, imperat appetitui ſenſitivo; non enim illi imperat ut dominus ſuo mancipio, quod nullam habet poteſtatem contradicendi, quod eſt imperium deſpoticum; ſed ut ſuperior homini libero, qui in multis ſæpe contradicit & reluctatur ſuperiori; quod eſt imperium politicum: patet hoc experientiâ; non enim ſtatim & ad nutum voluntatis tolli poſſunt ejus motus. Et quidem primaria hujus rebellionis cauſa eſt peccatum originale, ut ante diximus; unde provenit quod non ſit in poteſtate voluntatis quandoque tollere imaginationem ex qua proximè oritur motus ille in appetitu ſenſitivo: quod tripliciter accidit. 1 Cum objectum eſt præſens, & ſenſu percipitur. 2. Dum imaginatio provenit ex alteratione humorum: nam, ut ſupra diximus, corporis alteratio ſuſcitat ſibi convenientem actum imaginationis. 3. Dum ab aliqua cauſa extrinſeca v. g. Angelo vel dæmone excitatur. Ex quibus tribus capitibus motus naturalis ſequitur in appetitu ſenſitivo ex imaginatione, quam proinde homo non poteſt tollere, niſi tollendo cauſam: ſicut enim voluntas non movet appetitum inferiorem, niſi mediante imaginatione: ita nec ejus motum poteſt tollere, niſi tollendo imaginationem; quamvis ſemper ſit in ejus poteſtate, quam diu ratione utitur, efficere ne motus prorumpant in actum externum, quod conſtat experientiâ: nam quantumvis quis concupiſcentiâ æſtuet, aut irâ inflammeſcat; membra tamen exteriora ſe non movebunt ad opus niſi voluntate imperante; quippè illi ſoli deſpoticè ſubjecta: etenim ſi appetitus ſenſitivus membra externa movere poſſet ad opus renitente voluntate, maxima eſſet inordinatio in humana natura; eoquod homo & in ſe ipſum, & in proximum graviſſima quæque poſſet committere abſque ſua culpa, utpote renitente voluntate, unde nec juſtè poſſet puniri.

Contingit imaginatiuā extriplici capite nō obedire voluntati.

Membra exteriora deſpoticè ſub ſunt voluntati.

An verò voluntas ſine Dei gratia membra exteriora cohibere poſſit ne exeant in opus, quantumvis appetitus ſenſitivus æſtuet. Reſpondetur affirmativè; nam poteſt quis legum metu, vel quocumque alio humano reſpectu ſeſe à criminibus exterioribus temperare, & ita clavum clavo pellere; quamvis tamen ſine Dei gratia ſeſe à conſenſu in peccatum non præſervabit.

Proinde dico 2. motus externorum membrorum quæ moventur à potentiis ſenſitivis ſubjacere deſpotico imperio voluntatis, exceptis membris genitalibus, quorum motus, etſi per ſe loquendo ſequantur vires naturæ, nempe alterationes corporis ſecundum qualitates prædominantes, caloris vel frigoris; adeoque non videantur ſubjacere voluntatis imperio; cum ſæpe importuni ſint nemine poſcente, & quandoque deſtituant illis inhiantem: ut ait S. Augiſtinus; ita ut concupiſcentiâ ſtimulante in anima, frigeſcat in corpore; tamen per accidens, nempe ſuppoſitâ ſufficienti corporis alteratione per calorem, & abundantiam ſpirituum vitalium ſubſervientium generationi, ſubſunt voluntatis imperio: quod patet ex innumeris peccatis quæ per motus iſtorum membrorum perpetrantur; in quibus penè deperit genus humanum; ſubſunt, inquam, voluntatis imperio, non deſpotico ſed politico: quippè cum in nullo membro externo voluntas patiatur majorem rebellionem & reluctantiam, quam in illo. Quod S. Auguſtinus refundit in juſtiſſimam peccati originalis pœnam; ut videlicet homo in illo membrò inobedientiam & rebellionem potiſſimum patiatur, per quod traducitur ipſum peccatum originale.

Solis mébris genitalibus exceptis.

Quæ politicò imperio ſubſunt voluntatis.

Petes, cur appetitus ſenſitivus, qui eſt perfectior, minus deſpoticè obediat voluntati, quam potentiæ externæ executivæ.

Reſp. ultra rationem ſupra allegatam, cauſam diverſitatis eſſe, quia membra externa non habent proprium ducem cujus directionem ſequantur, nec ab objecto excitantur ad operandum, ſed tantum à potentia ſuperiori veluti ejus inſtrumenta applicantur; unde illa ad nutum voluntatis parent, niſi malè ſint affecta, vel deſint ſpiritus, qui ſunt motus cauſa: appetitus verò ſenſitivus habet proprium ducem, nempè phantaſiam; quem naturaliter ſequendo, contingit eum non aliter obedire voluntati, niſi phantaſiâ præeunte; quæ ex cauſis ſupradictis ſeſe quandoque difficulter voluntati accommodat.

Petes, quomodò pravis motibus & concupiſcentiis appetitus ſenſitivi ſit reſiſtendum. Antequam ad particularia remedia deſcendamus.

Advertendum hic aliquas animas timoratas nimium affligi, dum ab his ſeſe ſentiunt infeſtari; uſque adeò ut à Deo ſe derelictas & illius gratiâ ſeſe putent excidiſſe: qui ſanè magnus eſt error. S. Sancta Abbatiſſa, virilis animi fæmina, tredecim annis continuis noctu diuque ab his impugnata, nec umquam ſuperata; aliud non orabat quam; *Domine da mihi fortitudinem.* Inſuper Cancellarius Gerſon narrat fuiſſe monachum qui totis viginti annis à ſpurcis hiſce cogitationibus impetitus, nulli auſus fuit nullatenus eas revelare, exiſtimans unumquemque per hoc ſcandaliſandum

Quædã animæ piè nimium meticuloſæ ſunt ob incidentes motus ſenſitivos.

ſandum; evolutis tandem viginti annis eas religioſo cuidam ſeni longâ experientiâ venerabili, non ore, ſed ſcripto præ verecundia aperuit: quo lecto ſenex ridere cœpit, monachumq; juſſit manum capiti ſuo imponere dicens, fili mi in caput meum accipio omne peccatum tuum: non eſt quod tu timeas. Obſtupeſcens monachus; quid, inquit, Pater, jam me putabam deſcenſurum ad infernum, & tu me ſecurum eſſe jubes? petiit ſenex, placuitne tibi turpis illa cogitatio? minimè, ait Religioſus; ſed hactenus mihi cauſa fuit magnę afflictionis. Hinc ergo infert ſenex, fili cogita te hoc non egiſſe; quin potius invitum paſſum fuiſſe ab iniquo hoſte; idque ut te in barathrum deſperationis dejiceret. A quo tempore, ait Gerſon, nulla prædictum monachum amplius invaſit cogitatio turpis.

Quomodo pravis motibus appetitus ſenſitivi reſiſtendũ

Nunc ſupereſt, ut in particulari exponamus quo modo pravis motibus appetitus ſenſitivi reſiſtendum ſit: quod tamen in particulari fieri non poterit, niſi prius cauſas illorum motuum oſtenderimus; nam juxta diverſitatem cauſarum, diverſa adhibenda ſunt remedia: quod prudens Confeſſarius diligenter advertet.

Cauſæ motuũ appetitus ſenſitivi.

Oriuntur ergo 1. hujuſmodi motus quandoque ex inveterata in vitiis conſuetudine; ſeu ex habitu malo in vita præterita acquiſito.

2. Oriuntur quandoque ex otio, quod meritò pulvinar diaboli appellatur: nam fieri nequit quod otioſi infinitis cogitationibus etiam peſſimis non repleantur: nam cor humanum eſt adinſtar molendini, quod, ſi frumentum non adſit paleam molere debet.

3. Oriuntur hujuſmodi motus ex crapula, & abundantia cibi & potus.

4. Oriuntur quandoque ex nimia curioſitate videndi, audiendi, loquendi, legendi, &c.

5. Oriuntur quandoque motus illi ex inordinato timore Deum offendendi, prout in hominibus ſcrupuloſis; metus enim ſuſcitat imaginationem; & aſſidua rei alicujus cogitatio profundius illam memoriæ imprimit: quemadmodum per trabem anguſtam humi jacentem ſecurè & intrepidè quis incedit, quæ ſi in ſublime elevetur; per timorem fit quod quis ſine cadendi periculo eam non pertranſibit; eò quod timor omnem ſanguinem ad cor revocet, ac proinde membra externa vigore ſuo deſtituantur; undè contingit hominem titubare, & cadere: quod idem timor facit in tentationibus, nimium eas memoriæ imprimendo.

6. Oriuntur hujuſmodi motus & tentationes ex mera dæmonis ſuggeſtione, qui virtutem imaginativam variè poteſt movere; & ita in carne varios motus concitare cum tanta interdum violentia, ut homo vix videatur Dominus po-

tentiarum voluntati ſubordinatarum, quod facit mediantibus humoribus corporis, & ſpeciebus imaginativæ impreſſis, voluntate interim viriliter reſiſtente & contradicente; quo modo dæmon Sanctiſſimas quoque animas affligit.

7. Oriuntur quandoque motus illi ex humore corporis prædominante v. g. humore melancholico, cholerico, phlegmatico, vel ſanguineo.

Remedia pro tollendis motibus appetitus ſenſitivi.

Proinde ſi prudens Confeſſarius advertat hujuſmodi motus promanare ex 1. capite; nempe ex mala conſuetudine acquiſita, illi accuratiſſimè advigilabit, monebitque ad frequenter confitendum, idque uni & eidem Confeſſario: prout quoque ad corporales Pœnitentias, ſi vires patiantur: nec enim talis Pœnitens, utpote à pravo habitu quaſi neceſſitatus, ſe ſolo conſuetudinem illam poterit ſuperare; cumque malum ſit inveteratum, etiam cum quadam naturæ violentia venit extirpandum.

8. Quod ſi verò oriantur ex 2. vel 3. capite, nempe ex otio, vel libertate in converſatione, item curioſitate legendi, videndi &c. ſuadebit prudens Confeſſarius & injunget occupationes alternatim tam ſpirituales quam corporales; nam cum occupationes corporales involvant aliquid induſtriæ & laboris, trahunt ad ſe imaginationem, eamque ab illicitis objectis divertunt: inſuper pro prudentia ſua injunget illis eleëmoſynam, vel aliam pœnam corporalem, caſu quo hanc vel illam converſationem adhuc ſemel admittant, hunc vel illum curioſum librum legant &c.

Quod ſi oriantur ex abundantia cibi & potus, injunget Confeſſarius jejunia, flagella &c. juxta id:

Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.

Siquidem juxta axioma medicum *contraria contrariis veniunt curanda*,

Quod ſi ejuſmodi motus promanent ex inordinato timore Deum offendendi, conabitur Confeſſarius in tali anima Pœnitente plantare fiduciam in Deum & contemptum quemdam atque deſpectum tentationis.

Quod ſi verò oriuntur ex ſuggeſtione dœmonis, (quod prudens Confeſſarius ex qualitate perſonæ Pœnitentis colliget; ſi enim illa ſit alias pia & timoratæ conſcientiæ; nec peccatis, ad quæ tentatur, ullatenus dedita, quin potius tota extra tempus tentationis ſollicita quo modo ſe immaculatam cuſtodiet; ita ut quaſi innatam habeat averſionem ab ejuſmodi motibus; ſignum manifeſtum eſt ejuſmodi motus provenire à dæmone: quod fit ordinariè in ſpiritu blaſphemiæ, motibus deſperationis, dubietatis in fide &c.) prudens Confeſſarius admittere non debet, dum invenit tales pœnitentes, ut multum de illis loquantur, vel confiteantur; niſi in genere dicendo v. g. inciderunt mihi

mihi diverſæ blaſphemiæ, dubitationes in fide, deſperationes &c. non ſcio tamen me per Dei gratiam dediſſe conſenſum; quod ſi aliqua negligentia acciderit, dico meam culpam. Cum enim ejuſmodi piæ animæ à ſimilibus ſummum habeant horrorem ſignum eſt nullum fuiſſe conſenſum; vel ſi forte aliqua fragilitas humana irrepſerit, tantum erit venialis; adeoque expedit ſimilibus animabus eam in particulari non confiteri, cum ejuſmodi particulares Confeſſiones in his plus cauſent detrimenti, quam utilitatis, dum per recogitationem ejuſmodi ſpecies illis magis imprimuntur: unde & plus poſtea tentantur, & gravioribus ejuſmodi motibus impetuntur.

Singulare quoque remedium eſt in motibus deſperationis, dubietatis in fide &c. abſtinere ab omni poſitivâ reſiſtentia contradicendo, contranitendo, potentias corporales & ſpirituales fatigando: ſed cum quadam ſuperioris partis quiete oportet ut illos contemnant, vel divertant per exercitia etiam corporalia; & diſſimulato motu, interdum cum quodam gemitu interno ſuſpirent ad Deum dicentes; *Domine vim patior. Domine ſalva nos, perimus*: & ſimilia: quod remedium plerique experti in regimine animarum putant omnium præſtantiſſimum, & maximè meritorium; eoquod ab omni inquietudine animam melius liberet, & ſolidam in medio tentationum det tranquillitatem. Ratio hujus regulæ eſt, quam approbat Joann. Gerſon; quia agens in ſimilibus motibus agendo repatitur, & ſic una cogitatio aliam vehementiorem auget; & auctâ cogitatione motus vehementiores inſurgunt; adeoque in tantum imaginationi imprimuntur, ut poſtmodum vix valeant eradicari; ſpecialiter quando dæmon horum motuum eſt auctor; qui eò fortius movet, quo videt animam magis turbari; ut ſi non poſſit eam compellere ad conſenſum, impellat ad delirium, & fatuitatem.

Narrat Abbas Smaragdus in vitis Patrum non illepidum ad hanc materiam exemplum: vidiſſe ſe quemdam Religioſum conſiſtentem inter duos dæmones fabulantes & horum alterum petiiſſe quomodò tibi res tua cum illo monacho ſuccedit? reſpondit alter dæmon, optimè: nam quamprimum ego illi turpem aliquam cogitationem ingero, continuò ſubſiſtit, illam identidem mente verſando, & longam inquiſitionem faciendo; v. g. qualis fuit illa cogitatio? inhæſine diu? reſtitine? an dedi conſenſum? &c. Hac ratione, inquit, miſello monacho cerebrum ita turbo, ut penè ad inſaniam redigatur. Tum alter dæmon ait; peſſimè res cum meo monacho ſuccedit; nam. ſimul ac turpem cogitationem illi injicio, ſtatim ad Deum per orationem.

nem jaculatoriam recurrit, vel divertit ſe ad alia, vel è loco ſurgens aliis ſe rebus honeſtis occupat; itaque, ait, nihil apud illum lucror.

Quod ſi ejuſmodi motus proveniant ex 7. capite; nempe humore prœdominante melancholico &c. inhibebit ſolitudinem tamquam maximè illi noxiam, & excitabit ad lætandum & exultandum, ſemper in domino.

Porrò cum humor melancholicus typographia dæmonis meritò appelletur, quo ille tamquam atramento indelebili homini melancholico imprimit quidquid vult, operæ prætium me non perditurum judicavi, ſi pro praxi novellorum Paſtorum & Confeſſariorum hic pauca adderem de energumenis & à dæmonio poſſeſſis, ut habeant ad manum, quo modo in ejuſmodi caſibus perplexis, & quamplurimis fallaciis, periculis, & deceptionibus obnoxiis ſe gerant; præſertim hac noſtrâ ætate, in qua non tantum vulgares & ſimplices homines; ſed & viri docti, & litterati etiam Paſtores & confeſſarii tam faciles & leves ſeſe exhibent ad credendum; ut quamprimum deprehendunt aliquam mulierculam hypochondriæ, melancholiæ, epylepſiæ, zelotopiæ, furentis uteri paſſionibus, aut alterius ægritudinis non ita ſibi notæ alterationibus obnoxiam, ſtatim eam a dæmone poſſideri publicè clamitent; & ſtatim ad exorciſmos, & alia ſacratiora remedia adhibenda properent, non ſine graviſſima rerum ſacrarum injuria, contemptu, atque ludibrio: ad quæ pro modulo meo præcavenda, paucis dubiis hanc quæſtionem abſolvam.

QUÆSTIO UNICA.
De Dæmoniacis.

DUBIUM PRIMUM.
An ſit fidei fuiſſe quandoque aliquos dæmoniacos.

RESp. affirmativè: quia illorum Scriptura Sacra facit mentionem, dum ait, Chriſtum ejuſque Apoſtolos curaſſe multos dæmoniacos; & ita Matthæi 17. dæmoniacus lunaticus à Chriſto curatur: & interrogantibus diſcipulis quare illi non poſſent dæmonium iſtud ejicere, reſpondit, iſtud non ejici niſi in oratione & jejunio: ſic & Marci 5. narratur quomodo Chriſto in regione Geraſenorum exeunti de navi occurrit homo dæmoniacus qui habitabat in monumentis, quem nemo poterat domare, quia quaſcumque catenas, vincula & compedes ille confringebat è quo Chriſtus, ut ait ſacer textus, ejecit integram legionem dæmonum, quam immiſit in porcos ibidem paſcentes; ita quoque Lucæ 10. ſeptuaginta duo Diſcipuli Chriſto cum gaudio dixerunt; *Domine, etiam Dæmonia*

Fidei eſt dari dæmoniacos.

Digitized by Google

monia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. Inſuper capite 11. narrat Lucas, quod Jeſus erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum Simile quid narratur Act. 19. de S. Paulo Apoſtolo, quod virtute ejus ſpiritus nequam egrediebantur, & quod quidam de circumeuntibus Judæis exorciſtis tentaverunt ſuper eos qui habebant ſpiritus malos invocare nomen Domini Jeſu Chriſti.

Id ipſum probatur ex decretis Conciliorum: ita enim in Carthaginenſi 4. cap. 92. prout refert Burchardus lib. 3. ſui decreti cap. 21. ſtatuitur ut dæmoniaci ſumptibus Epiſcoporum nutriantur: & in Concil. Arauſicano cap. 16. prohibetur, nequis ex dæmoniacis ad ſacros ordines promoveatur.

3. Hoc ipſum probatur ex antiquis patribus: unde Tertulianus ad Scapul cap. 2. ſic ait: „non „tantum reſpuimus, verùm etiam „revincimus, & quotidie tradu„cimus, & de hominibus expelli„mus dæmones, ſicut plurimis „notum eſt.„

Et S. Cyprianus Epiſcopus ad Demetriadem ſic loquitur: „ô! ſi „audire velles, quando à nobis „adjurantur & torquentur ſpiri„tualibus flagris, & verborum „tormentis de corporibus ejiciun„tur: quando ejulantes & gemen„tes voce humanâ, & poteſtate „divinâ, flagella & verbera ſen„tientes; & venturum judicem „confitentur: veni & cognoſce ve„ra eſſe quæ dicimus.„

Ita quoque Lactantius lib. 4. inſtitut. Chriſtian. cap. 27. ſic ait; „ſicut Chriſtus cum inter homines „ageret, univerſos dæmones ſibi „ſubjugabat: ita nunc ſectatores „ejus in nomine magiſtri ſui, ſig„no paſſiones ejus eos ab hominibus excludunt.

Certè narrat S. Hieron. in vita S. Hilarionis eum ducentos propemodum homines tam viros, quam mulieres à dæmonum vexatione liberaſſe: inter quos, inquit, fortiſſimus quidam juvenis, nomine Marcytas, de territorio Hieroſolymæ, tantis valebat viribus, ut quindecim frumenti modios, diu longeque portaret: hic afflictus peſſimo dæmone non catenas, non compedes, non clauſtra oſtiorum integra patiebatur: multorum naſum & aures morſibus amputaverat: tantumque ſui terrorem omnibus incuſſerat, ut oneratus catenis, funibus, in diverſa nitentium, quaſi ferociſſimus taurus ad monaſterium Hilarionis Eremytæ pertraheretur; quem poſtquam fratres vidêre, perterriti (erat enim miræ magnitudinis) indicaverunt Patri: ille ſicut ſedebat, juſſit eum ad ſe pertrahi, & dimitti: ſolutoque inclinavit caput, & venit; tremere ille, & cervicem flectere, neque aſpicere contra auſus, omnique ferocitate depoſitâ, pedes cœpit ſedentis lambere; adjuratus itaque dæ-

Digitized by Google

dæmon, & tortus, qui juvenem poſſederat, ſeptimâ die egreſſus eſt.

S. Gregorius lib. 1. Dial. cap. 10. tradit Fortunatum Tuderthunæ eccleſiæ Epiſcopum, per orationem, dæmonia ab obſeſſorum corporibus pellere ſolitum.

Ex quibus, aliiſque plurimis patet, negari non poſſe malignos ſpiritus quandoque ingredi corpora hominum, niſi quis & S. Scripturam & præteritorum ſæculorum hiſtorias negare præſumat: ac proinde aperta hæreſis eſt negare homines umquam à dæmonibus fuiſſe obſeſſos.

DUBIUM II.

Quiſnam ſit cenſendus Dæmoniacus, ſeu à dæmone poſſeſſus.

Requiſita ad hoc ut quis cenſeatur dæmoniacus.

PRænotandum, ut quis cenſeatur poſſeſſus à dæmone, non eſſe ſatis quod extrinſecus à dæmone vexetur: nam ſic S. Job, S. Antonius, aliique SS. Eremitæ fuerunt vexati à dæmone, & non tamen poſſeſſi: prout neque ad hoc ſufficit quod dæmon ſit in corpore humano tamquam locatum in loco, adeoque illi ſit intimè præſens: ſed inſuper requiritur ut ſit in eodem, illud vexando, cruciando & torquendo quaſi in proprio habitaculo, cum quodam modo dominii in illud exercendo, & ut verbo dicit Cardinalis Bona in Libello de diſcretione ſpirituum cap. 11. ſicut motor in mobili.

Petes, an in uno homine poſſeſſo poſſint eſſe plures dæmones.

Unus homo poteſt poſſideri à pluribus dæmonibus.

Reſp. affirmative: quod probatur Matth. 17. ubi refertur Chriſtus integram legionem dæmonum ab uno homine ejeciſſe: item Luc. 8. ubi narratur quod Chriſtus ejecerit è Magdalena ſeptem dæmonia: Item Lucæ 11. ubi ſupponit Chriſtus multos dæmones unum corpus poſſe poſſidere: dum ait, *cum immundus ſpiritus exierit de homine... tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.*

Petes, per quam partem corporis dæmones intrent; & ſimiliter quam corporis partem occupent.

Quam partem corporis occupent & per quam intrent

Reſp. etſi vulgares eos putent ſolum intrare per os, quod confirmat conſuetudo fidelium, qui oſcitantes ſignum crucis admovent ori, ne dæmon iſtac intret (quæ conſuetudo ſancta & laudabilis eſt) eos, cum ſint puri ſpiritus, poſſe intrare per omnes corporis partes; prout & illos poſſe ob eandem rationem occupare omnes corporis partes, tam diviſim, quam collectim: quamvis tamen ut plurimum reſideant in corde, aut prope cor: eò quod illud ſit principium omnium actionum corporis humani; ut ſic facilius illud totum poſſint vexare & cruciare.

Petes, an, quando in aliqua parte corporis hominis obſeſſi cauſatur aliquod tuberculum, aut inflatio, ſignum ſit dæmonem ibidem latitare.

Reſp.

Reſp. negativè: quia illud poteſt fieri à cauſa naturali.

Dæmones non intrant corpora hominum, ut ſint à pœnis liberi.

Petes, an dæmones idcircò optent ingredi humana corpora, ut interea ſint liberi à cruciatibus inferni.

Reſp. negativè: quia quocumque ſe transferant, deferunt ſecum ſuum infernum. Quod ut intelligamus, ſciendum quidem proprium locum ad puniendos dæmones & animas damnatas eſſe infernum conſtitutum in centro terræ, ad quem tamen omnes Angeli mali poſt lapſum non ſunt detruſi; ſed quidam eorum relicti ſunt in aëre; non ut evaderent pœnas, ſed ut hominibus forent in exercitium, quo bonis præpararetur corona, malis verò pœna æterna: & quia uſque ad diem judicii eſt tempus belli, item merendi & demerendi; ideo uſque ad illum diem in aëre permanebunt, poſt illum detrahendi in barathrum infernale: quod colligitur ex epiſt. catholica Judæ, in qua dicitur, *Angelos verò qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*, id eſt, ſub aëre caliginoſo; è quibus dæmonibus ſunt illi qui intrant corpora poſſeſſorum.

Quidã dæmones cõmorantur in aëre.

Illi ſunt qui obſident corpora humana.

Petes, an dæmones eos quos poſſident ſemper crucient aut vexent.

Non ſẽper cruciãt obſeſſos.

Reſp. negativè: ſed quandoque illos ſinunt ad multos dies quieſcere Deo ſic miſericorditer ordinante: deſerunt verò quandoque, eò quod ad alia loca tranſeant, ad quæ non extendit ſeſe ſphæra activitatis illorum, manendo in corporibus obſeſſis. Et ita Breitenbachius collat. 7. cap. 39. narrat, quoſdam dæmoniacos in Gela Brabantiæ municipio pro tempore fuiſſe liberatos quo Martinus Lutherus obiit; qui cum poſtero die rediiſſent ad corpora obſeſſorum, interrogati ab exorciſtis ubi pridie latuiſſent, reſponderunt ſe mandato ſui principis, ad novi prophetæ Lutheri funus evocatos fuiſſe: quam rem confirmavit Lutheri famulus qui ei morienti adfuit, qui cum per feneſtram cubiculi aſpiceret, vidit quamplurimos horribiles dæmones propè cubiculum choreas agentes: quod & confirmarunt quamplurimi corvi qui Lutheri corpus, cum Iſlebio Wittembergam deferretur, magno clamore comitati ſunt.

DUBIUM III.

E quibus ſignis dignoſcatur quis à dæmone poſſeſſus.

PRænotare oportet ſigna indicantia dæmonem in aliquo corpore inhabitare ex operationibus debere deſumi; ſiquidem ſubſtantiæ ſpirituales in eo loco eſſe cenſentur ubi operantur ut ait S. Thomas. Signa verò ex operationibus ſunt triplicis ordinis, ut ait Cardinalis Bona lib. de diſcretione ſpirituum cap. 11 nimirum, alia ſunt quæ levem tantum ingerunt ſuſpicionem inhabitantis

Signa obſeſſionis ſunt triplicia

tantis dæmonis. 2. Quæ vehementem generant ſuſpicionem. 3. Quæ ſunt ferè certa.

Signa primi ordinis. Primi ordinis ſigna, nempè quæ levem tantum generant ſuſpicionem, ſunt hæc ſequentia.

Propria confeſſio hominis qui ſibi omnimodè perſuadet ſe eſſe obſeſſum à dæmone, & ut ab illo liberetur opportunè, importunè petit exorciſari. Quod enim perſuaſio hæc multos deceperit, infinita fanaticorum hominum docent exempla.

2. Ferini & agreſtes mores. Sed quam barbaros mores & agreſtes leguntur habuiſſe pleræque gentes tam in India Orientali, quam Occidentali, quæ propterea non fuerunt poſſeſſæ à dæmone.

3. Stupor quidam membrorum omnium, & functionum omnium vitalium privatio cum perpetua quadam ſomnolentia.

4. Furia, ſeu furor cum totius corporis agitatione.

5. Inquietudo, ita ut quis vix uno loco poſſit ſubſiſtere.

6. Cruciatus, viſcerum dolores, aliique morbi nullâ Medicorum arte curabiles.

Porrò quod hæc ſigna ſint valde æquivoca reſpectu dæmonis inhabitantis, & levem tantum ingerentia ſuſpicionem, inde patet quod hæc omnia poſſint habere originem ex cauſis naturalibus, nempè à morbo caduco, epyleſiâ, melancholiâ, hypochondriâ, atrâ bile &c. Unde & Medici aſſerunt, hiſce obnoxios, qui ejuſmodi morbis laborant; & ſignanter ſupinâ inſaniâ.

Secundi ordinis ſigna. Secundi ordinis ſigna, quæ nempè generant vehementem ſuſpicionem inhabitantis dœmonis ſunt, quæ oriuntur ex quibuſdam actionibus inſolitis; quales ſunt ſequentes.

1. Ululatus adinſtar lupi, grunnitus ad inſtar ſuis, mugitus adinſtar bovis; hinnitus adinſtar equi, ruditus adinſtar aſini, latratus adinſtar canis, & aliæ ſimiles inconditæ voces & clamores.

2. Horribilis & truculentus vultus ſummum intuentibus incutiens terrorem, quia quales ipſi dæmones ſunt, tales ſuis habitaculis imprimunt formas.

3. Cruciatus, & tormenta extraordinaria, quæ quidam patiuntur; ut ſi v. g. in ignem dejiciantur, mergantur in aquas, præcipitentur ex alto, cultris ſe lacerent, aut laqueo vitam ſibi adimere tentent, cujus generis fuit obſeſſus Marci 9.

4. Vires in corpore humano non humanæ: ut dum quis onera vires humanas excedentia portat, dum quævis quamvis prædura vincula, catenas, & funes diſrumpit.

Verumtamen nec hæc omnia certa & indubitata ſunt ſigna dæmonis inhabitantis: non primum; quia ejuſmodi ululatus & inconditi clamores poſſunt eſſe à naturali quorumdam hominum vi, aut ab arte, aut à phreneſi. Certè narrat Joan-

Joannes Puteanus S. Theologiæ Doctor in Civitate Toloſana quam inhabitavit, viſam fuiſſe mulierem Anno 1606. quæ adinſtar lupi ululabat, & quaſi porcus grunniebat; prout & eodem tempore viſus fuit ibidem quidam juvenis qui patiebatur innumeras convulſiones partium totius corporis, ejulabat, ructabat, ſtertebat, grunniebat ad inſtar ſuis; & tamen communi Theologorum, & Medicorum ſententiâ non fuerunt hi judicati dæmoniaci; quod & patuit, quia intra paucum tempus fuerunt ſanati: docuerunt autem Medici effectus illos ortum habuiſſe à morbo melancholico, quo illi obruebantur.

Non ſecundum: quia truculentus vultus poteſt alicui obtingere ex infirmitate, aut à nativitate.

Non tertium: quippe cum & epyleptici morbo caduco, aut lupinâ inſaniâ, aut aliis ejuſmodi ſymptomatibus laborantes quandoq; dejiciantur in ignem, mergantur in aquas præcipitentur ex alto. Quod verò illi qui laqueo ſibi vitam eripere tentant, non pertineant neceſſariò ad numerum obſeſſorum, inde patet, quod à Magiſtratu ut homicidæ puniantur.

Ad quartum quod attinet; quam multos homines audivimus tam in hiſtoriis Sacris quam profanis ultra audientium credulitatem viribus valuiſſe, ut Sampſonem, & Milonem crotoniatem, & alios; qui tamen non fuerunt obſeſſi.

Tertii ordinis ſigna, quæ nempe certò produnt dæmonem inhabitantem, ſunt hæc ſequentia. Tertii ordinis ſigna.

1. Dum quis promptè loquitur lingua ſibi ignota quam numquam didicit, vel ſi loquentem intelligit; dico, promptè, & per continuatum ſermonem, non verò unum aut alterum verbum; quia hoc poſſet quoque quævis garrula muliercula.

2. Dum quis ſcribit, legit, cantat Muſicam, aut alia opera facit quæ numquam didicit; idque cum tanta facilitate, ac ſi permultos annos in illis fuiſſet verſatus.

Ita narrat S. Hieronym. in vita S. Hilarionis candidatum quemdam Conſtantii Imperatoris deprehenſum eſſe à dæmone poſſideri, ex eo quod is qui linguam Latinam & Francicam tantum noſceret, nihilominus B. Hilarioni Syro, quo ipſum interrogabat, ſermone, ita quidem perfectè reſpondebat, ut non ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod palæſtino deeſſet eloquio. Narrat quoque mirabile quid Sigisbertus accidiſſe anno Domini 1122. cum S. Norbertus puellam quamdam dæmoniacam exorciſaret, dæmon Cantica Canticorum à principio uſque ad finem per os puellæ recitavit linguâ latinâ; & dein in linguam teutonicam interpretatus eſt.

Dices, Actor. 2. Apoſtoli variis linguis loquebantur quoque magnalia Dei; ita ut ſtuperent om-

Digitized by Google

nes & mirarentur dicentes, *nonne, ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt; & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus &c.* & tamen Apoſtoli non fuerunt obſeſſi à dæmone.

Reſp. certum quidem eſſe ejuſmodi locutiones peregrinarum linguarum non poſſe procedere ab ipſis obſeſſis, quia excedunt vires illorum: quod inde patet, quia cum idiomata & voces ſint ſigna ex inſtituto ſignificativa noſtrorum conceptuum, impoſſibile eſt homines idiomate aliquo, aut vocibus uti ad ſignificandos ſuos conceptus, ſi & illa ignorent, & illorum ſignificationes, adeoque ab exemplo Apoſtolorum allegato bene ſequi quod ex ſolius linguæ peregrinæ locutione non poſſit quis deprehendi certò eſſe poſſeſſus à dæmone, quia poteſt à Deo vel Angelo bono ejuſmodi notitiam accepiſſe.

Loqui linguâ ignotâ ſe ſolo non eſt evidẽs ſignum inhabitantis dæmonis.

Sed tunc eſt evidens ſignum poſſeſſionis à dæmone, quando linguæ peregrinæ & ignotæ adjunguntur blaſphemiæ in Deum, inhoneſta aut impudica verba; ſiquidem neque talis blaſphema locutio, neque verba illa impudica poſſunt eſſe ab homine poſſeſſo, neque à Deo, neq; ab Angelo bono; ergo à ſufficienti enumeratione ab Angelo malo.

2. Si quis voce nativâ diſcurrat de rebus aut materiis altiſſimis quas numquam didicit; aut ſcribit, cantat &c. quæ ſecundo loco enarravimus; ſi adjungantur graves cruciatus, tormenta, item blaſphemiæ, ac verba impudica.

Prout neque occulta revelare.

3. Cum quis occulta revelat, & quidem adeò ignota, ut nulla induſtria, aut ingenio humano ſciri poſſint; idque ſive ſint præterita, ſive præſentia, ſive futura: ut ſi quis eodem temporis momento enuntiet illa quæ fiunt in extrema parte mundi, aut annuntiet futura, quæ totum ſuum eſſe habent in ſuis cauſis. Et quidem futura quæ pendent à cauſis neceſſariis, certum eſt dæmones exactiſſimè poſſe noſcere: futura verò quæ pendent à cauſa libera, licet non tantâ certitudine quâ priora, tamen ex vehementi conjecturâ quoq; quaſi certò cognoſcunt; nam cum illa ſit voluntatis humanæ conditio ut ordinariè ſequatur appetitus ſuos ſenſitivos, dæmones qui optime ſciunt affectus appetitus ſenſitivi, prout ſingulorum propenſiones, quas longa experientia obſervaverunt, non mirum ſi multa noverint futura pendentia à libero arbitrio ex vehementi illa conjectura.

Eapropter ſi per quoſpiam ſimilia occulta propalentur, ſi referant ea quæ in regionibus remotiſſimis de facto fiunt; ſi ſtudia & cogitationes aliquorum particularium hominum patefaciant; etſi non cogamur ſtatim dicere illa provenire à ſpiritu malo (nam & illa poſſunt revelari ab Angelo bono, vel à Deo immediatè illuſtrante mentem hominis eas propalantis,

prout

prout ſimilia leguntur in quam plurimis Sanctorum vitis) tamen dum revelantur ſimilia occulta quæ cedunt in Dei contumeliam aut proximi injuriam, & adſunt cruciatus, vagi motus, & alia hujuſmodi; ſignum eſt horum revelationem eſſe à dæmone inhabitante; dummodò tamen homo revelans nullum habeat pactum cum dæmone: quod addo, quia a dæmonibus familiaribus, quos quidam habent, hæc occulta poſſunt edoceri: neque enim divinatores ex pacto cum dæmone occulta revelantes, propterea ſunt poſſeſſi à dæmone.

Petes, an hoc ſit certum ſignum poſſeſſionis à Dæmone, ſi arreptitius ſibi reſtitutus nihil iſtorum ſciat de quibus ante eſt locutus.

Reſp. negativè: nam & complures phreneſi aut aliis capitis infirmitatibus laborantes inveniuntur, qui actuali infirmitate detenti plurima effutiunt; priſtinæ verò valetudini reſtituti nullius eorum quæ dixerunt recordantur.

DUBIUM IV.

An ſit certum ſignum inhabitantis dæmonis dum ex applicatione alicujus rei Sacræ, v. g. SS. Reliquiarum, Agni Dei, aqua luſtralis &c. dæmoniacus terretur blaſphemat, aut impatienter loquitur.

Quorũdam hominum malitia. RESp. nequaquam; quia illa eſt quorumdam hominum malitia, ut auditis exorciſmis, vel ſibi applicatis SS. Reliquiis, fingant ſe eſſe dæmoniacos; ac proinde dentibus ſtrideant, ore ſpument, faciem horridam præ ſe ferant, volutentur in terra, & alia præſtent quæ veri dæmoniaci facere ſolent.

Quidã ex melancholia putant ſe obſeſſos, cũ non ſint. Addo, quoſdam habere phantaſiam adeo perturbatam ex frequenti melanhcolicorum humorum ebullitione, & vehementi ſpirituum vitalium agitatione, ut veraciter ſe arbitrentur obſeſſos: adeoque ſimilia imitentur, quæ veraciter obſeſſi facere ſolent.

Et hoc potiſſimum locum habet in ſexu fœminino ob vehementem & intenſam, quâ pollet, imaginativam, quæ mediante alteratione humorum corporis, & ſpirituum vitalium, quos concitat, admirandas habet vires; non tantum immutandi proprium corpus per diverſi generis morbos, aliaque horrenda ſymptomata; ſed & corpora ſibi contigua, illa lædendo, &c. prout quamplurimis demonſtrat expertiſſimus Medicinæ Doct. Th. Fienus in libello de viribus imaginationis, oſtendens quæ & qualia operetur phantaſia fœminina mediantibus humoribus, & paſſionibus proprii corporis in fœtum quem geſtat utero; & inter cætera narrat exemplum quod contigit Sylvæducis in Brabantia, ubi vir quidam qui in publica comœdia dæmonem repræſentaverat, ſcenicis illis veſtibus domum reverſus, uxorem ſuam adeò perterruit, ut poſtmodum illa Vires imaginativæ fœminæ.

 fœtum

fœtum figurâ diabolicâ pepererit.

Refert idem accidiſſe Lovanii, mulierem quamdam inter confabulandum cum forte mentio fieret de ejus gravidatione, dixiſſe ſe tempus pariendi computare in feſtum trium Regum; cumque unus ei apprecatus eſſet, ut tres Reges in lucem proferret, ipſam hilari animo reſpondiſſe, quod felix fauſtumque ſit; & tempore elapſo tres filios peperiſſe, quorum unus erat nigriore & bituminoſo colore.

Scribit idem accidiſſe cuidam Lugdunenſi mulieri gravidæ, quam cum maritus ſtricto gladio inſecutus, & ejus fronti minatus eſſet vulnus infligere, ipſa poſtmodum peperit prolem magnum in fronte vulnus gerentem, ex quo tam abunde ſanguis emanavit ut ſiſti nequiverit, & obierit.

Porrò hæc non tantum contingunt in hominibus; ſed & in brutis: cujus exemplum habemus in Patriarcha Jacob Gen. 30. qui immutando imaginativam ovium, fecit eas producere fœtus variegatos, ſeu diverſi coloris.

Notent hæc Confeſſarii, Paſtores, & Religioſi exorciſtæ; & attendant ad illa quæ proponit rituale Rom. dum ait: „ Sacerdos, ſeu „ quivis alius legitimus eccleſiæ „ miniſter, ne facile credat aliquem „ à Dæmone obſeſſum eſſe: ſed „ nota habeat ea ſigna quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atrâ „ bile, vel morbo aliquo laborant. Et reflectentes ad vires imaginativæ fœmineæ, prout & ad morbos uterinos illis familiares, nec non ad humorem melancholicum, & cholericum illis perſæpe prædominantem; è quibus naturaliter mirabilia frequenter emergunt ſymptomata, conſiderent quam meritò illas debeant habere ſuſpectas dum ſeſe fatentur obſeſſas; eò magis quod ferè ſemper, & ordinariè ejuſmodi patientes ſint fœminæ tot tantiſque miſeriis & calamitatibus obnoxiæ; ac proinde ne ex zelo indiſcreto ad earum preces & petitionem procedant ad remedia ſpiritualia obſeſſis adhiberi ſolita, præſertim ad exorciſmos, per quorum repetitionem & reiterationem illarum phantaſia in tantum quandoque augetur & intenditur, quin & pervertitur, ut, quamvis nulla in ipſis ſit apparentia dæmonis inhabitantis, nullâ tamen poſtmodum ratione ejuſmodi phantaſiæ ſpecies poſſint ab illis eradicari; adeoque ſe velint haberi pro abſolutè poſſeſſis: unde & accidit noviſſimus error pejor priore; dum quærentes excuſationes in peccatis, actus peccaminoſos qui veraciter à propria illorum voluntate procedunt ipſis dæmonibus attribuunt; dicentes non ſe, ſed dæmonem illa perpetrare.

Eapropter, ubi apparent ſola ſigna primi ordinis levem ſuſpicionem generantia, nullos judico adhibendos exorciſmos dum perſona pa-

patiens eſt fœmina, ſaltem in præſentia perſonæ patientis, ne imaginativa fœminæ augeatur, aut lædatur. Ad quod præcavendum, & ne interim patiens remediis ſpiritualibus fruſtretur, excitandus eſt 1. ad crebram, humilem, & ſinceram Confeſſionem omnium ſuorum peccatorum. 2. Ad omnimodam conformitatem voluntatis propriæ cum voluntate divina. 3. Ad mortificationem omnium paſſionum. 4. Ad inſtituendam novenam, per juges & frequentes orationes, ad Jeſum Salvatorem noſtrum à dæmonio in deſerto tentatum: quâ novenâ durante, Paſtor aut quicumque alius exorciſta curam habens ejuſmodi patientis, quotidie ſtatutâ horâ (quam indicabit patienti ut ſe pro eo tempore ad orationem ritè componat) exorciſmos coram adhiberi ſolitos, accinctus ſtolâ, cum aquâ benedictâ, & allis cæremoniis requiſitis, in proprio cubiculo, aut oratorio ſuo leget, & inde dæmonem ejuſmodi perſonam vexantem adjurabit; qui cum ſciat etiam occultiſſima quæ in remotis orbis partibus aguntur, procul dubio non ignorabit tela illa quæ exorciſta adverſus illum eminus torquebit, nec minus horrebit abſentia quam præſentia: & certè ſi hæc praxis ſervaretur, ſpes foret exorciſmos cum majori fructu adhibitum iri, prout & cum minori periculo ſenſualitatis in ſexu tam fragili, quando tamen apparerent ſigna tertii ordinis, nempe quaſi certa dæmonis inhabitantis; ſervari poteſt praxis in rituali præſcripta; quæ ſic habet ut exorciſta mulierem exorciſans ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ obſeſſam teneant dum exagitatur à dæmonio: quæ quidem perſonæ, ſi fieri poteſt, ſint patienti cognatione proximæ: & exorciſta honeſtatis memor caveat ne quid dicat vel faciat quod ſibi aut aliis poſſet eſſe occaſio pravæ cogitationis: qui tamen non infructuosè adhibere quoque poterit exorciſmos in abſentia patientis modo ſuperius enarrato.

Expedit mulieres quandoque eminus exorciſari & non cominus.

Ratio quare hoc expediat.

DUBIUM V.

Ob quæ peccata Energumeni poſſideantur à Dæmone.

RESp. & dico 1. dæmoniacos ut plurimum poſſideri propter peccata propriâ voluntate commiſſa: quod patet ex Evangelio, quod enarrat ſeptem dæmonia ejecta fuiſſe è Magdalena; cujus cauſam inſinuat, dum ait, quod peccatrix eſſet: ita quoque S. Hieronymus in vita S. Hilarionis narrat virginem quamdam à dæmone poſſeſſam ob unam impudicam confabulationem, & aſpectum, cum juvene impudico.

Petes, an ſit aliqua peccati ſpecies ad quam ſequitur hæc gravis divina vindicta.

Reſp. nullam quidem eſſe deter-

Quædā peccata particulariter caſtigātur ob- ſeſſione

terminatam; eſſe tamen aliqua peccata quæ frequentius hoc flagello caſtigantur, nempe peccata luxuriæ contra naturam, aut extraordinariæ malitiæ: ut patet 1. ad Cor. 5. ubi S. Paulus inceſtuoſum tradidit dæmoni ad poſſidendum; ejuſmodi quoque peccata ſunt quibus inferuntur injuriæ Sacramentis eccleſię.

Petes, an peccatum proprium, propter quod quis poſſidetur à dæmone, debeat eſſe mortale.

Obſeſſio quādoque fit ob ſolum peccatum veniale propriū

Reſp. nequaquam; nam ut tradit Caſſianus lib. 7. collat. cap. 25. Abbas Moyſes fuit poſſeſſus à dæmone ſolùm propter verbum paulo durius inter diſputandum prolatum in Abbatem Macarium. & S. Greg. Dialog. lib. 1. cap. 4. narrat virginem à dæmone fuiſſe poſſeſſam quod hortum ingreſſa lactucas comediſſet ſine prævio ſigno crucis.

Petes, an non contingat quandoque aliquem poſſideri ob peccatum alienum,

Quandoq; ob alienū.

Reſp. affirmativè: ſicuti enim filius ob iniquitatem parentum punitur quandoq; temporaliter: ita & poteſt propter eaſdem iniquitates poſſideri à dæmone: ut patet Marci 9. ubi narratur quidam ab infantia poſſeſſus à dæmone: quod & frequenter contingit ob diabolicas imprecationes parentum in filios.

Quandoque ob nullum.

Dico inſuper poſſe aliquam etiam ſecluſo omni peccato tam proprio quam alieno à dæmone poſſideri, Deo hoc purè permittente ad explorandam patientiam & virtutes hominis poſſeſſi, item ad vires rerum ſacrarum manifeſtandas &c. cujus ratio eſt quod poſſeſſio ſit malum pœnæ, quod infligi poteſt ſine ulla culpa patientis, aut alterius: ut patet Joann. 9. ubi Chriſtus ait de cæco nato; *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.*

Petes, an ſciri poſſit ob quā cauſam quis preciſè poſſideatur a dæmone.

Reſp. negativè: ſecluſâ ſpeciali Dei revelatione; ſiquidem precipua obſeſſionis cauſa eſt Dei voluntas illam volentis & permittentis: nemo autem novit occulta divinæ voluntatis præter Deum ipſum.

Petes, an omnes actiones illicitæ quæ ab obſeſſis videntur fieri, ipſis imputentur.

Quædā actiones illicitæ nō imputātur obſeſſis.

R. nequaquam; quinimo omnes actiones obſeſſorum, quantumvis ex objecto illicitæ excedentes vires eorum, & quæ neque fieri poſſunt à Deo, neque ab Angelo, à ſufficienti enumeratione debent adſcribi diabolo, qualia ſunt blaſphemiæ, detractiones, injurioſæ ſecretorum revelationes, impudica verba, & alia ejuſmodi: ratio autem cur illa non poſſint veraciter obſeſſis imputari manifeſta eſt: quia non ſunt ipſis voluntaria, quandoquidem miſeri in hiſce non tam agant, quam agantur; & membris & organis ſenſuum ſuorum non utantur ſed illis paſſivè ſeſe habentibus dæmones utantur, v.g. linguâ, aure,

aure, oculo, pede, manu &c

Petes, an ergo obſeſſi nunquam peccent.

Quædã verò imputantur. Reſp. affirmativè; nempè in actionibus ex objecto malis, ipſiſque voluntariis, quas ſæpe ſinuntur à dæmonibus exerceri: quinimo regulariter loquendo dæmones fallaciis ſuis & illecebris facilius poſſunt obſeſſos, quam non obſeſſos ad peccata inducere; eo quod majorem ſuper illos habeant poteſtatem, partim impediendo ne virtutum exercitiis occupentur, partim plurimos motus illicitos in appetitu ſenſitivo concitando, quibus voluntas, per tentationes debilitata, non ita facilè reſiſtit.

Petes; quid ſi dæmon adjuratus dicat ſe eſſe animam alicujus defuncti implorantem ſuffragia miſſarum, peregrinationem &c,

R. illi hâc in parte non eſſe adhibendam fidem: quia animæ hominum non poſſunt intrare corpora, & exercere in eiſdem actiones quas dæmones exercent: cum enim illæ non plus ſciant quam in vita didicerunt, non poſſunt occulta revelare, aut linguâ peregrinâ loqui, aut compedes & catenas frangere: unde dæmon eſt qui loquitur, & ſuadet ejuſmodi opera pia, ut ſub prætextu pietatis ſimplices decipiat.

Petes, an exorciſta poſſit à dæmone petere ſignum ſui egreſſus.

Reſp. affirmativè; non quidem deprecando, ſed imperando; v. g. ut in ſignum ſui egreſſus lumen candelæ extinguat, aut rotulam in vitro frangat, aut quid aliud indifferens faciat ſine læſione obſeſſi; notandum tamen illos ſæpe deſerere obſeſſos nullo præmiſſo ſigno.

Petes, quæ ſint infallibilia ſigna quod energumenus ſit liberatus, & dæmon egreſſus.

Reſp. ſi obſeſſus ſit expertus ſe per longum tempus nullas paſſum moleſtias aut cruciatus, quales antea paſſus fuit, neque in eo appareant amplius illa ſigna ſupra recenſita indicantia dęmonem corpus inhabitare. Quod ſignum egreſſionis dæmonis.

DUBIUM VI.

Quibus mediis pellantur dæmones è corporibus obſeſſis.

Reſp. & dico: primum medium eſt exorciſmus, latine adjuratio: adjurare verò non eſt aliud quam dæmonibus imperare per conteſtationem alicujus rei ſacræ ut hominibus deſinant nocere. Quid exorciſmus.

Quæ poteſtas à Chriſto collata eſt Apoſtolis; & in ipſis omnibus exorciſtis Luc. 10. hiſce verbis; *ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: ubi per *ſerpentes & ſcorpiones*, ſacri expoſitores communiter intelligunt dæmones: in quem ſenſum S. Athanaſius adducit illud Pſalm. 90. *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: unde ait Chriſtus Marci ultimo; *ſigna autem*

eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, &c.

Non eſt liberum uti quibuſvis exorciſmis. Porrò hic benè notare debet exorciſta non eſſe ſibi liberum uti quibuſvis exorciſmorum formulis, ſed ſolis ab Eccleſia probatis, ut colligere licet ex Concilio Carthaginenſi 4. unde antiquis temporibus non legebantur exorciſmi niſi ex libro ab Epiſcopo ad hoc tradito; prout quoq; hoc tempore paſtores & exorciſtæ ſequi debent paſtorale ſuæ reſpectivè diœceſis.

Petes, an exorciſmi habeant vim & efficaciam pellendi dæmones ex ſe, & quaſi ex opere operato.

Exorciſmus habet vim agendi in dæmones quaſi ex opere operato. Reſp. affirmativè; quod patet ex dicto Chriſti Matth. 10. ſupra relato; *ecce dedi vobis poteſtatem* &c. quæ poteſtas ordinaria reſidet in exorciſtis: & hæc efficacia non eſt tantum moralis, ſed & phyſica: nam alioqui exorciſmi non haberent majorem vim pellendi dæmones, quam incantationes magicæ, quibus illi quandoque ex pacto expelluntur.

Petes, an exorciſmi infallibiliter hunc effectum conſequantur.

Effectus ejus eſt infallibilis. Reſp. affirmativè; nam ſicuti efficacia abſolutionis Sacramentalis naſcitur ex Chriſti promiſſione Joa. 20. *accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis* &c. ita quoque efficacia adjurandi dæmones oritur ex Chriſti promiſſione Lucæ 10. *ecce dedi vobis poteſtatem calcandi* &c. quandocumque ergo aderit debita materia, id eſt homo à dæmone liberandus, & exorciſta utitur exorciſmo, ſequetur aliquis illius effectus; niſi forſitan defectu fidei, aut alterius diſpoſitionis requiſitæ, poſitus fuerit obex; prout hoc quoque accidit in Sacramentis. Sepoſito obice.

Secundum medium eſt, uſus ſacrarum reliquiarum; ut patet Act. 19. ubi ex attactu ſemicinctiorum & ſudarii S. Pauli referuntur dæmonia expulſa: & ita quoque teſtatur hiſtoria eccleſiaſtica, per catenas quibus S. Petrus vinctus fuit, plures à dæmonio fuiſſe liberatos: unde origo Feſti S. Petri ad vincula. & ſane dies deficeret ſi quis enarrare inciperet quot homines per uſum SS. Reliquiarum à dæmonio fuerint liberati: eapropter S. Chryſoſt. hom: 66. ad populum Antiochenum ait; reliquiæ SS. dæmones ſiſtunt & torquent, & vinctos ab illis ſolvunt ſæviſſimis vinculis. Uſus SS. Reliquiarū.

Tertium remedium eſt uſus rerum conſecratum & benedictarum, quales ſunt agnus benedictus, cereus paſchalis, ſal exorciſatum, aqua luſtralis, ſtola ſacerdotalis, &c. quæ omnia benedici aut conſecrari ad dæmones abigendos clarum eſt legenti formulas verborum quibus illa benedicuntur. Uſus rerum cōſecratarum, & benedictarum

Quartum medium eſt invocatio nominis Jeſu, ut patet Lucæ 10. ubi diſcipuli dicunt Chriſto; *Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* & Marci 16. *in nomine meo dæmonia ejicient*: & ad Philip. 2. *in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum* &c. ex quibus Invocatio nominis Ieſu

Digitized by Google

bus patet nomen Jeſu eſſe maximè formidabile dæmonibus.

Quintum medium eſt ſignum S. Crucis, ſive illud formetur in aëre, ſive in materia ſolida; ut patet ex Lactantio divin. inſtit. lib. 4. cap. 27. ubi ait; ſicuti ipſe Chriſtus cum inter homines ageret univerſos dæmones verbis fugabat, ita nunc ſectatores ejus eoſdem ſpiritus immundos de hominibus, in nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis ejus excludunt. Unde & apud fideles hujus eſt antiquiſſimus uſus: ita enim S. Gregorius Niſſenus in vita S. Gregorii Neocæſarienſis ait eum ſæpe contra dæmonem his armis pugnaſſe: idem de S. Anton. refert S. Hieronimus, & Metaphraſtes in vita S Margaretæ narrat eam dæmonem in forma magni draconis ſibi occurrentem ſigno crucis profligaſſe. Idem refert Raymundus de S. Catharina Senenſi in ejus vita, quorum exemplo zeloſus exorciſta accepto in manibus crucifixo frequenter dicat; *ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ.*

Hæc breviter dicta ſint ad inſtructionem exorciſtarum, quibus perlectis, & viſis innumeris laqueis quos undique tendit verſutus ille ſerpens diabolus, ad capiendas animas, ne & tu lector capiaris in illis

Convertere ad Dominum & dic.

Ia Domine Deus meus, tu noſti ex quo de cælo cecidit verſutus ille & tortuoſus hoſtis, qui non ceſſat perſequi filios tuos, abſcondens ſagittas ſuas in pharetra; nec enim facile deprehendi poſſunt circuitus viæ ejus, nec cognoſci ſpecies vultus ejus, niſi tu nos illumines: nam non ſolum in carnis operibus, quæ de facilè cognoſcuntur, nec tantum in ipſis vitiis, ſed in ipſis etiam ſpiritualibus exercitiis, in ipſis inquam, actibus intellectus & voluntatis, laqueos ſubtiles abſcondit, & ſub virtutũ colore ipſa vitia induit, transfigurans ſeſe in angelum lucis, nunc agnum, nunc lupum, nunc lucem, nunc tenebras ſimulans; nimirum ſecundum varias hominum affectiones varias exbibens tentationes; nam ut triſtes decipiat, triſtatur & ipſe; ut gaudentibus illudat, fingit ſe gaudere; ut fortes comprimat, ſe agnum ſimulat; ut mites devoret, apparet lupus. Hæc & alia nititur contra nos filius ille belial, & nunc ut leo, nunc ut draco manifeſtè, & occultè, intus & extra, die ac nocte inſidiatur ut devoret agnos tuos. Sed tu Domine eripe nos ut ipſe de nobis doleat, tu vero lauderis & glorificeris in nobis. Amen.

Digitized by Google

TRACTATUS X.
De Bonitate & malitia actus humani.

POſt explicatos in particulari actus humanos tam elicitos quam imperatos, reſtat explicare dictorum actuum tam internorum quam externorum moralitatem, item bonitatem & malitiam.

DUBIUM PRIMUM.
De eſſe morali actus humani

SUpra diximus in qualibet actione humana reperiri duplex *eſſe*; nempè phyſicum & morale: hic ſolum indagare oportet in quo utrumque *eſſe* conſiſtat.

Actionis habitudines. Itaque prænotandum actionem à voluntate elicitam includere quatuor habitudines: nempè 1. Ad objectum, circa quod verſatur. 2. Ad voluntatem, à qua elicitur tamquam à principio vitali. 3. Ad eandem voluntatem, quatenus ab ea procedit ut causâ libera. 4. Ad gratiam, ſeu auxilium ſupernaturale quod ſimul cum voluntate concurrit ad eliciendum actum: quibus præmiſſis.

Unde *eſſe* naturale actus humani. Dico 1. *eſſe* naturale actus humani deſumitur præcisè ab habitudine ad objectum in quod tendit, & ab habitudine ad potentiam à qua vitaliter procedit: ſiquidem hoc generale eſt omni actui vitali accipere omnem ſuam entitatem in ordinè ad hæc duo: unde ex habitudine ad potentiam à qua procedit accipit velut materiam: ex habitudine verò ad objectum accipit formam. deſumatur.

Unde *eſſe* morale. Dico 2. *eſſe* morale actus humani conſiſtit præcisè in habitudine ad potentiam liberam à qua procedit, & in habitudine ad objectum, prout eſt conforme, vel difforme regulæ morum, id eſt rectæ noſtræ rationi; ita ut duo ad moralitatem actus requirantur, nempè liberè fieri, & dicere ordinem ad dictamen rectæ rationis tamquam illi conforme, vel difforme.

Petes, quare ſola libertas non ſufficiat ad actum moralem, prout aſſerit Suares, qui eam collocat in dependentia actus à ratione advertente, & voluntate libere operante.

Reſp. quia eadem actio moralis poteſt ſimul habere duas ſpecies morales; v.g. actio furtiva malitiam injuſtitiæ, & ſacrilegii, quas non poteſt deſumere à libertate, utpote unâ; ergo aliunde.

Libertas eſt de eſſen Quod tamen libertas ſeu habitudo actus ad potentiam liberam requiratur tamquam de eſſentia actus

tia a-ctus mo ralis tā-quam pars ma materia lis.

actus moralis;inde patet,quia actiones naturales & neceſſariæ non ſunt capaces laudis vel vituperii; item bonitatis vel malitiæ; & aliarum differentiarum, quibus dividitur *eſſe* morale, & conſequenter non ſunt capaces *eſſe* moralis; quia genus nequit exiſtere ſeparatim ſine differentiis ſuis divilivis quibus contrahitur: ſicuti nullum animal poteſt exiſtere, quod nec ſit rationale, nec irrationale: præterea actiones naturales non ſunt in poteſtate hominis, adeoque nec moraliter bonæ vel malæ: libertas tamen ſeu habitudo ad potentiam liberam ſic eſt de eſſentia actus moralis tamquam ipſius pars marterialis, ut formale ipſius conſiſtat in habitudine ad rectam rationem tamquam regulā morum;hinc ſpecies actuum moralium non ſumuntur ſecundum diverſitatem libertatis, ſed ſecundum diverſitatem habitudinis ad rectam rationem: unde dum genus moris variatur, non variatur libertas, ſed tantum habitudo ad rationem.Nota autem per rectam rationem hic intelligi legem vel præceptum ſuperioris.

Dices, ſi eſſe morale formaliter conſiſtat in habitudine ad objectum prout eſt conforme, vel difforme regulæ morum, quæ eſt recta ratio, ſequeretur Deum nullos exercere actus morales, cum tamen actiones Dei ſint maximè laude dignæ; quæ una eſt ex proprietatibus actus moralis.

Reſp. concedendo conſequentiam: cum enim moralitas formaliter attendatur ex habitudine ad legem, ſeu regulam præſcribentem; Deus verò careat ſuperiore, ac conſequenter lege propriè dictâ: ſequitur ipſum non exercere actus morales propriè dictos; nec refert quod virtutes morales, ut miſericordia, juſtitia, &c. reperiantur in Deo: nam id tantum verum eſt ſublatis imperfectionibus quibus dictæ virtutes reperiuntur in nobis, inter quas computatur ratio accidentis, qualitatis moralis &c. nec enim miſericordia & juſtitia in Deo eſt accidens; cum ipſe ſit ens ſimpliciſſimum: quid ergò miri ſi dicamus moralitatem propriè non reperiri in actionibus divinis; eò quod involvat imperfectionem.

Deus non exercet actus morales propriè dictos.

Dices, opera conſilii ſunt aliquid morale, & tamen de illis nullum exſtat præceptum.

Reſp. illa ſpectari poſſe dupliciter; nempe quoad exercitium, & ſpecificationem actus: de priori nullum exſtat præceptum; ſecus verò de poſteriori; nam qui vult ſimiles actiones facere, tenetur illas facere in pondere, numero & menſurâ; id eſt, tenetur omnes ordinare in debitum finem, item facere tempore debito, & loco &c.

Opera conſilii quoad ſpecificationem, ſunt præcepti.

Petes, an bonum & malum ſint ſpecies eſſe moralis in quas ipſum eſſe morale dividitur.

Reſp. Affirmativè: quia cum ipſum eſſe morale in genere formaliter

Bonitas & malitia ſunt differen-

tiæ eſſentiales actus humani

liter conſiſtat in habitudine ad objectum prout dicit ordinem ad rationem, contrahitur per duas differentias diviſivas, nempè per habitudinem conformitatis ad rectam rationem, & difformitatis à recta ratione ad conſtituendas duas ſpecies eſſe moralis, nempè bonum & malum: ſiquidem bonitas actus moralis eſſentialiter conſiſtit in habitudine actus liberi ad objectum prout eſt conforme rectæ rationi, ſicuti ècontra malitia moralis conſiſtit in habitudine actus liberi ad objectum prout eſt difforme rectæ rationi.

Petes, an actio humana & moralis non ſint unum & idem.

Actio humana & moralis differũt tantum formaliter.

Reſp. affirmativè materialiter loquendo, quia omnis actio quæ fit per deliberationem pertinet ad mores hominis: differunt tamen hæc duo formaliter; quia nimirum actio appellatur humana, quatenus procedit à libera ejus voluntate: vocatur verò moralis quatenus eſt conformis rectæ rationi, vel difformis ab ea.

Petes, an diſtinguatur ſpecies naturalis actuum humanorum à ſpecie morali.

Reſp. affirmativè: quia cum diſtinctio ſpecifica actuum deſumatur ab habitudine ad potentiam & objectum, ſequitur illas eſſe ſpecie diſtinctas; eoquod égrediantur à diſtincta potentia, & verſentur circa diſtinctum ſpecie objectum.

Petes, an poſſit contingere quod duæ actiones ejuſdem ſpeciei naturalis ſint diverſæ ſpeciei moralis.

Duæ actiones ejuſdẽ ſpeciei naturalis, poſſunt eſſe diverſæ ſpeciei moralis

Reſp. affirmativè: ſic enim actus matrimonii & actus fornicationis ſunt ejuſdem ſpeciei naturalis; nam ut ſic procedunt ab eadem potentia phyſica, & verſantur circa idem objectum; ſunt tamen diverſæ ſpeciei moralis, quia diverſam dicunt habitudinem ad rectam rationem cui una eſt conformis, & altera difformis. Idem dic de actu homicidii & juſtitiæ.

Petes, an poſſet contingere quod manente eàdem ſpecie naturali ipſe actus amittat, vel acquirat ſpeciem moralem.

Actus manens idem quoad eſſe naturale, poteſt eſſe in diverſa ſpecie morali.

Reſp. affirmativè: quod patet in actibus elicitis noſtræ voluntatis; nam fieri poteſt v. g. quod primi motus noſtræ voluntatis cauſentur non liberè; adeoque non habeant eſſe morale: & incipianr eſſe liberi ratione advertente in objecto aliquam conformitatem, vel diffor mitatem ad rectam rationem, nullâ interim in ipſo actu factâ reali mutatione: prout & contingere poteſt quod idem actus liberè inchoëtur, & continuetur neceſſariò ob defectum uſus rationis. Hinc infer bonum & malum morale non eſſe differentias diviſivas actus voluntatis in eſſe naturæ; quandoquidem una numero actio ex bona, fieri poſſit non bona, & ex mala, non mala.

Una numero actio ex bona poteſt fieri nõ bona &c.

Petes, quem ordinem dicat actus voluntatis noſtræ ad principium

ſuper-

ſupernaturale, quando ſimul cum noſtra voluntate ab illo procedit v. g. actus fidei. ſpei aut charitatis.

Reſp. accidentalem; eò quod, licet dependeat à tali principio, non tamen neceſſariò dependet ab illo, prout dependet à voluntate tamquam principio vitali; eò quod Deus efficientiam principii ſupernaturalis poſſit ſupplere.

Petes, an ergo ſupernaturale non ſit de eſſentia actus ſupernaturalis.

Reſp. affirmativè: ſaltem aliquando: & ita dicunt Theologi quoſdam actus eſſe ſupernaturales in ſubſtantia, alios verò in modo. Pro quorum intellectu.

Unde actus vocentur ſupernaturales.

Notandum aliquos actus vocari ſupernaturales, quia producuntur à principio ſupernaturali: & hæc denominatio eſt extrinſeca & accidentaria; eò quod non neceſſariò à tali principio producantur, cum Deus poſſit ſupplere illius defectum: Alii verò vocantur ſupernaturales, eò quod verſentur circa objectum ſupernaturale, & ii ſunt ſupernaturales in ſubſtantia & intrinſecè, eò quod habitudo ad objectum illis ſit eſſentialis.

Petes, quandonam objectum ſit ſupernaturale.

Reſp. quando viribus naturæ non poteſt attingi.

Petes, quomodò diſtinguatur actio ſupernaturalis in modo ab ea quæ eſt ſupernaturalis in ſubſtantia.

Actio ſuper- naturalis alia eſt talis quoad ſubſtātiam, alia quoad modum

Reſp. hanc diſtinctionem potiſſimum habere locum in actionibus tranſeuntibus, quæ dicuntur ſupernaturales in modo quando effectus per eas productus eſt quidem naturalis in ſua entitate, ſed ſupernaturalis in modo productionis, prout eſt miraculoſa viſus, vel vitæ reſtitutio: tunc vero dicuntur ſupernaturales in ſubſtantia, quando effectus per eas productus eſt quoque in ſe ſupernaturalis: prout contingit in actibus fidei, ſpei, & charitatis.

DUBIUM II.

An actio humana deſumat bonitatem, vel malitiam ab objecto.

Prænotandum primò duplicem eſſe bonitatem moralem, prout & duplicem malitiam: quarum una vocatur formalis, alia objectiva. Formalis eſt illa, quæ reperitur in ipſo actu, & à quo ipſe eſt formaliter bonus; & conſiſtit hæc in habitudine actus ab objectum conforme rectæ rationi. Bonitas verò objectiva eſt illa quæ reperitur in objecto, conſtituens illud ſecundum rectam rationem amabile: & formaliter non eſt aliud quam entitas ipſius objecti, quatenus connotat relationem convenientiæ cum recta ratione. Bonitas objectiva prior eſt bonitate formali; nec enim ideo objectum cenſetur honeſtum quia voluntas illud appetit, ſed è contra quia objectum eſt bonum & honeſtum, id circo actus qui circa illud verſatur eſt bonus & honeſtus.

Quid bonitas formalis.

Quid bonitas objectiva.

Bonitas objectiva prior eſt bonitate formali.

Pe-

Petes, an bonitas objectiva nequeat conſiſtere in utilitate, vel delectatione actus.

Reſp. neg. ſed in ſola honeſtate objecti: ratio eſt; quia objectum utile & delectabile poſſunt eſſe objectum malæ actionis: unde ex ſe non habent quod faciant objectum moraliter bonum.

Petes, an bonitas objectiva ſit ens rationis, vel extrinſeca tantum denominatio.

Reſp. neg. quia ens rationis eſt, cujus *eſſe* objectivum pendet ab intellectu ſolo; hæc verò bonitas objectiva exiſtit ante omnem mentis operationem; eſt enim à parte rei entitas ipſius objecti, quatenus ex ſe dignum eſt ut ſecundum rationem ametur; ex quo reſultat relatio convenientiæ quâ res illa cenſetur conveniens naturæ rationali ut ſic.

Dices, eſſe Paſtorem, Conſulem, Conſiliarium, vel habere aliud quodcumque officium ſunt entia rationis; & tamen habent ſuum *eſſe* ante omnem mentis operationem; prout & in naturalibus habent privationes, vel negationes: nam homo viſu carens eſt independenter ab intellectu cæcus; & paſtor eſt independenter ab intellectu paſtor.

Reſp. quantum ad hæc officia, illa quidem habere aliquod *eſſe* ante mentis operationem ratione ſui fundamenti, v.g. legitimæ electionis, nominationis vel collationis; quæ licet phyſicè tranſeant, manent tamen moraliter in memoria & æſtimatione hominum: ita quoque cæcitas ratione ſui fundamenti eſt aliquid ante mentis operam: quod univerſaliter verum eſt in antedictis exemplis; prout quoq; de Deo creante, volente &c. quæ omnia denominantur talia, ſeu aliquid eſſe a parte rei, non à relatione rationis, ſive titulo formaliter conſiderato; ſed ab eo quod præſupponitur tamquam fundamentum vel motivum quo intellectus noſter fingat talem relationem rationis.

Dices ſimiliter dici poterit actum aliquem eſſe bonum reipsâ, non ratione bonitatis formalis, ſed ratione fundamenti ſui; nempè concurſus omnium illorum ex quibus intellectus in eo format talem relationem rationis.

Reſp. neg. conſequentiam; quia bonitas formalis non tantum ratione ſui fundamenti, ſed & ſecundum ſe eſt ante omnem mentis operam (loquor de illa quæ eſt in actibus elicitis voluntatis) quia ante omnem mentis operam ſunt actu diſtinctæ ſpecies morales bonitatis v. g. juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ &c.

Petes, an actus deſumat bonitatem ab objecto tamquam à vera cauſa.

Reſp. neg, ſed ſulummodò tamquam à forma extrinſeca; nam forma intrinſecè conſtitutiva actus eſt ipſa relatio, ſeu habitudo actus ad objectum quatenus conforme rectæ ratio- *Actus deſumit bonitatem ab objecto tâquam*

à forma extrinſeca.

rationi; quia tamen objectum eſt notius ipsâ relatione, hinc dicimus eam deſumere ſuam bonitatem ab objecto quod terminat ipſam relationem.

Dices, frequenter invenitur objectum bonum, & tamen actus circa illud verſans eſt malus; ſic enim tactus impudicus eſt malus exercitus circa proprium corpus, & tamen illud eſt bonum; ſimiliter occiſio martyrum fuit mala & tamen corpora eorum erant bona.

Reſp. objectum ex quo bonitas vel malitia moralis deſumitur non eſſe nudè ipſam rem ſecundum ſe conſideratam circa quam actio verſatur; ſed prout eſt conveniens, vel diſconveniens ſecundum rectam rationem ut homo per talem actionem circa illam verſetur, vel non verſetur: ex quo patet ſolutio ad objectionem; eſto enim res tales ſint bonæ ſecundum ſe; v.g. corpus proprium, vel corpora martyrum, non ſunt tamen bonę in ratione objecti reſpectu talis, vel talis actionis.

Dices, nemo poteſt dare quod non habet; ſed objecta non habent bonitatem moralem; ergo illam non poſſunt darę actibus.

R. diſtinguendo ſubſumptum, non habent formaliter, concedo; non habent cauſaliter, nego: eo modo quo medicina non habet ſanitatem formaliter, ſed cauſaliter.

Dices, ſi actus deſumat bonitatem ab objecto, ſequetur actus internos deſumere bonitatem moralem ab externis; cum tamen actus externi accipiant illam ab internis.

R. utrumque ſuo modo eſſe verum. Ad quod explicandum.

Notare oportet, prout ſupra dictum eſt, duo ad bonitatem moralem requiri; nempè libertatem actus, & conformitatem ejus cum recta ratione: actus ergo exteriores accipiunt ab interioribus libertatem; interiores verò accipiunt ab exterioribus conformitatem, vel difformitatem cum recta ratione.

Itaq; ratio cur actus humani accipiant bonitatem ab objecto eſt quia ſecundum commune dictum Theologorum; *Id quod in naturalibus eſt forma hoc in moralibus eſt objectum.* Ac proinde ſicut in naturalibus prima bonitas deſumitur à forma, quæ dat eſſe rei; ita & in moralibus prima bonitas deſumitur ab objecto quod eſt conveniens rectæ rationi; quod adinſtar formæ tribuit actioni primam ſpeciem moralem. Unde quoq; ſicuti primum malum in rebus naturalibus, eſt ſi res aliqua non conſequatur finem ſuæ ſpeciei, quam natura in tali actione intendit, ut ſi ex vacca generetur equus; ita quoque in moralibus primum malum eſt quod actio non habeat objectum rectæ rationi conveniens. Quod inſuper declaratur exemplis; nam ideo velle dare eleëmoſynam bonum eſt, quia datio eleëmoſynæ bona eſt, & ideo velle fornicari malum eſt, quia fornicatio mala eſt. Deniq; probatur ex Scriptura Sacra dicente Oſeæ 9.

Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.

Nota verò nomine objecti hic debere intelligi totale, nempè tam materiale, quam formale: ſcilicet tam rem volitam, quam rationem volendi: unde ſi velis jejunare ad vanam gloriam, eſto objectum materiale bonum ſit, quia tamen formale malum eſt, hinc objectum totale malum eſt, & per conſequens actus voluntatis qui circa illud verſatur malus erit.

DUBIUM III.

An actus externi habeant quoque bonitatem, vel malitiam ab objecto.

RESP. affirm. quia & illi dicuntur boni vel mali pro ratione objecti, circa quod verſantur.

Petes, quid nomine objecti in actibus externis intelligatur.

Quid nomine objecti in actibus externis intelligatur.

Reſp. perſona circa quam aliquid fit, vel materia circa quam actio externa verſatur. Cenſetur autem hoc objectum eſſe conveniens, vel diſconveniens rectæ rationi, quatenus eſt conveniens, vel diſconveniens quod homo per talem actionem circa talem perſonam aut materiam agat: ſic objectum actûs matrimonialis eſt conjux, largitionis eleëmoſynæ res quæ datur; item etiam pauper cui datur; Sacrificii, hoſtia & Deus: ita quoque in actionibus malis, objectum furti, eſt res aliena; objectum fornicationis, eſt corpus non ſuæ; adulterii, corpus hominis conjugati &c. Quod verò ejuſmodi actus externi à ſimilibus objectis bonitatem vel malitiam accipiant, inde quoque probatur; quia quo materia melior eſt aut peior circa quam actus verſatur, eo quoque actus eſt melior, aut pejor; ſic enim actus religionis eſt melior actu miſericordiæ, quia materia illius eſt præſtantior; primus enim exhibetur Deo, ſecundus proximo; ſic quoque homicidium eſt pejus furto; quia vita humana quæ per homicidium aufertur, eſt præſtantior quam res aliena, quæ aufertur per furtum.

Dices, actus ex objecto indifferentes, ut ambulare, ſedere &c, poſſunt eſſe boni ex bono fine; & tamen in ipſorum objecto nulla eſt bonitas; ergo falſum eſt actum accipere bonitatem ex objecto.

Reſp. finem tali caſu habere rationem objecti, non verò circumſtantiæ, quia finis ille conſtituit actum in ſpecie boni moralis; illi enim actus ex objecto indifferentes non habent bonitatem ullam moralem, niſi quatenus ad finem bonum referuntur.

Dices; actus ſecundum ſuam ſpeciem poteſt eſſe bonus, eſto objectum ſit malum; nam ſic amor proximi eſt bonus, etſi ille ſit peccator.

Reſp. amorem ſeu delectionem proximi, quæ bona eſt, & actus chari-

Digitized by Google

charitatis, pro objecto ſuo non habere proximum tamquam peccatorem, ſeu ejus peccatum. Sed ejus perſonam quæ bona eſt, & æternæ beatitudinis capax. vid. S. Auguſt. l. 1. de Doct. Chriſt. c. 27.

Petes, quomodo objectum debeat eſſe volitum, ut actus inde deſumat bonitatem vel malitiam.

Ut actus voluntatis bonus, ſit, debet velle objecti bonitatem

Reſp. ut actus voluntatis internus ſit bonus ex objecto, non ſufficere illud eſſe honeſtum; ſed inſuper debere eſſe volitum, quia honeſtum eſt; ita ut ipſa honeſtas debeat directè eſſe volita. Ratio eſt, quia velle jejunare, orare &c. quia hęc naturę ſunt commoda, & utilia, non eſt opus virtutis; & hoc ideo, quia eſto illa ſint bona quæ homo taliter vult, non tamen illa vult, quia honeſta, ſed quia utilia, aut commoda.

Dices, velle actum fornicationis eſt malum ex objecto, & tamen ratio volendi non eſt turpitudo, vel malitia peccati; quinimo illa ſæpe poſitivè rejiciuntur, ſed eſt voluptas ſeu bonum delectabile, quod per ſe eſt indifferens; ſiquidem etiam reperitur in actu matrimoniali; ergo malitia non debet eſſe directè volita.

Ut actus ſit malus non debet directè velle objecti malitiam.

Reſp concedendo totum: nam ut actus ſit malus ſufficit quod ejus malitia ſit indirectè & interpretativè volita, ita nimirum ut illa objecto ſit ita conjuncta, ut ab eo non poſſit ſeparari quia tunc volens principale, id eſt objectum, cenſetur velle malitiam, tamquam acceſſorium illi annexum.

Ratio autem cur bonitas objecti debeat potius eſſe directe volita quam malitia, eſt quia bonum honeſtum eſt per ſe expetibile, malum non niſi propter bonum delectabile vel utile illi conjunctum: præterea, ut ait S. Dionyſius cap. 4. de divinis nominibus, bonum eſt ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus: ea propter ut aliquid ſit bonum, requiruntur omnia quæ ad ejus perfectionem ſunt neceſſaria, & conſequenter etiam tendentia in objectum ut honeſtum: ut verò aliquid ſit malum ſufficit vel unius defectus.

Hoc tamen hic bene notandum ad actum honeſtum non eſſe neceſſe ut quis actu formali, & quaſi ſignato appetat particulare aliquod honeſtum, quia honeſtum eſt: v. g. ut quaſi dicat mente ego volo largiri eleëmoſynam, quia honeſtum eſt: ſed ſufficit quod in actu exercito feratur in bonum honeſtum propter ſe.

Petes, an bonitas moralis ab objecto deſumpta ſit actui eſſentialis ſpectato tam in *eſſe* morali, quam in *eſſe* naturæ.

Reſp. eſſe eſſentialem actui ſpectato in *eſſe* morali. Ratio eſt qui actus habet ex objecto quod ſit talis vel talis ſpeciei: v. g. actus amoris Dei ex eo quod verſetur circa Deum ut ſummum bonum, habet quod ſit potius actus charitatis,

Bonitas moralis ab objecto deſumpta eſt actui eſſentialis

Digitized by Google

ſpecta-
to in *eſſe*
ſuo mo
rali.

tatis quam alterius virtutis; & ideo ejuſmodi bonitas vel malitia quam actus accipit ab objecto, eſt omnium prima; & ſi quæ illi ſuperveniat à fine vel circumſtantiis, illi eſt accidentaria: eapropter à bonitate vel malitia ab objecto deſumpta vocantur actus tales ex ſuo genere, hoc eſt ex ſpecie & natura actus.

Dices, poteſt quis habere voluntatem benè vivendi in genere, item non peccandi; qui actus erit bonus, & tamen non ſumit ſpeciem ab objecto; quia illud eſt quid commune; ſimiliter ſi quis velit male vivere in genere, eſt actus malus, & tamen nullius ſpeciei.

Voluntas bene, vel male vivendi in genere, eſt alicujus ſpeciei.

Reſp. quando dicimus actum deſumere ſpeciem ab objecto, non volumus ſignificare quaſi actus ſit ejuſdem ſpeciei cum objecto; nam ut in caſibus patet, objectum eſt quid commune, actus autem eſt alicujus ſpeciei; ſed ſignificamus ſpeciem actus deſumi à tendentia in objectum; & quamvis objectum illud ſit commune in ratione exiſtendi, eſt tamen particulare in ratione terminandi; adeoque tendentia illa in objectum commune eſt ſpecialis; & actus ratione hujus eſt diſtinctus à cæteris actibus quibus volumus bonum particulare eo modo quo in naturalibus notitia, quâ cognoſcitur ens in genere, vel animal in genere, diſtinguitur ſpecie à notitiâ quâ cognoſcitur particulariter aliquod animal.

Petes, cujus ergo virtutis actus ſit bene velle vivere in genere, item cujus vitii actus ſit velle malè vivere in genere.

Cujus virtutis actus ſit velle bene vivere in genere.

Reſp. priorem ſpectare ad ſynderesim præſcribentem eſſe bene vivendum in genere; & ſecundum adverſari ipſi ſynderesi.

Petes, quomodo actus ab objecto deſumat ſuam ſpeciem, cum bonitas ab objecto deſumpta contrahatur ratione circumſtantiarum & finis ad varias alias bonitatis ſpecies: v. g. eleëmoſyna ſi ordinetur ad ſatisfaciendum pro peccatis, contrahitur ad ſpeciem pœnitentiæ; ſi verò ordinetur ad cultum Deo debitum exhibendum, contrahitur ad ſpeciem religionis; ergo bonitas ab objecto deſumpta potius dicenda eſt generica quam ſpecifica.

Bonitas ab objecto deſumpta eſt actui eſſentialis; ſecus verò deſumpta à fine vel circumſtantiis.

Reſp. negando conſequentiam; quia bonitates à circumſtantiis vel fine deſumptæ non ſunt niſi accidentales.

Petes, an bonitas moralis ſit actui quoque eſſentialis ſpectato in *eſſe* naturæ.

Actui ſpectato in *eſſe* naturę, bonitas moralis tantum

Reſp. bonum & malum morale eſſe mera accidentia reſpectu actus humani ſpectati in *eſſe* naturæ, ſeu meras denominationes extrinſecas, quæ poſſunt abeſſe vel adeſſe ipſi actui taliter ſpectato: ut patet in actu adulterii & matrimonii, qui ſunt ejuſdem ſpeciei naturalis, eſto diverſæ moralis: ſimiliter malum morale reſpectu actus interni ſpectati in

eſſe

Digitized by Google

eſt acci-dentalis. *eſſe* naturæ eſt merum accidens: ratio eſt quia omnis actus internus accipit ſuam ſpeciem ab objecto formali, quod eſt per ſe ratio volendi, quod non poteſt eſſe ipſa malitia moralis, quia juxta commune axioma *Nemo intendens ad malum operatur*: unde ratio volendi ſemper debet eſſe aliquod bonum delectabile, utile, vel honeſtum: & quidem omnis volitio mala accipit naturalem ſuam ſpeciem à bono delectabili, vel naturæ commodo; quod verò attinet ab bonum morale, illud quoq; non eſt de eſſentia actus interni ſpectati in *eſſe* naturæ, quia fieri poteſt ut actus moraliter bonus amittat *eſſe* morale amittendo libertatem; amittendo autem *eſſe* morale, neceſſariò quoq; amittit bonitatem moralem.

DUBIUM IV.

An detur aliquis actus indifferens ſecundum ſpeciem, item ſecundum individuum.

QUantum ad primum.

Datur actus indiffe-rens in ſpecie. Reſp. affirmativè: ſicut enim dantur objecta rectæ rationi conformia & difformia, à quibus actus accipit bonitatem vel malitiam; ita quoque dantur objecta indifferentia ad dictamen rationis, quæ ſecundum ſe conſiderata nihil includunt ad rationem pertinens; quales ſunt levare feſtucam, ambulare &c. proinde illorum volitio erit ex objecto indifferens.

Petes, quomodo actus ſecuudum ſpeciem dicitur indifferens, an per aliquam differentiam poſitivam, an verò per ſolam negationem bonitatis vel malitiæ in actu.

Reſp. à carentia bonitatis, & malitiæ.

Petes, an præter actus ex objecto bonos, malos, & indifferentes, aſſignanda ſit quarta ſpecies actuum, nempè maleſonantium, qualis eſt habere plura beneficia.

Reſp. negativè: eò quod ejuſmodi actus contineantur ſub malis, eſto enim ob certas circumſtantias tollentes malitiam, ſimiles actus quandoque poſſint cohoneſtari: dicuntur tamen malè ſonantes quia frequenter ſic fiunt ut ſint mali. Dantur actus malè ſonantes, qui tamen nō ſunt indifferentes.

Quod attinet ad actum indifferentem in individuo; dico nullum talem dari: quod quia ſatis deduximus tract. 1. dub. 10. in quo fusè probatur quomodò obligemur referre omnia noſtra opera ad Deum tamquam ad finem ultimum; adeoque omnem actionem deſtitutam hac relatione eo ipſo eſſe malam, ab ulteriori probatione hic ſuperſedemus. Non datur actus indifferēs in individuo.

Dices, ſententia aſſerens dari actus indifferentes in individuo eſt probabilis; nam plerique authores eam tenent; ergo ſi quis ex illa operetur, volendo v. g. aliquid quia naturæ commodum, vel recuſando aliquid quia naturæ moleſtum, non peccabit; ſiquidem nemo peccat ſequendo ſententiam probabilem;

 nec

nec tale opus erit formaliter honeſtum, quia non fit ob honeſtum finem; ergo erit indifferens.

Reſp. erit indifferens in opinione operantis, ſed non tale à parte rei, quippè à parte rei malum.

Dices, ex admiſſis datur actus indifferens in ſpecie; ergo & datur talis in individuo; quia natura ſpecifica nequit exiſtere niſi in ſuis individuis.

Reſp. actum indifferentem in ſpecie appellari talem, non quaſi in ſe ſit ſpecificus, ſed quia talis eſt qui ex objecto neq; eſt conformis, neque difformis rectæ rationi.

QUÆSTIO UNICA.

An bonitas vel malitia prius ſint in actibus voluntatis externis quam internis.

Nota 1. per actus externos hic intelligi omnes illos qui non eliciuntur à voluntate, ſed tantum ab ea imperantur; cujuſmodi ſunt actus intellectus, appetitus ſenſitivi, aliarumque potentiarum à voluntate diſtinctarum: per actus verò internos intelligi actus à voluntate elicitos.

Nota 2. in actu exteriori duplicem poſſe eſſe malitiam vel bonitatem, unam videlicet deſumptam ex fine extrinſeco ad quem actio refertur; alteram ex objecto proprio & circumſtantiis. His ſuppoſitis

Reſp. & dico 1. bonitas vel malitia actus externi, quæ ſumitur ex objecto prius eſt in actu externo, quam in interno: quod probatur: quia velle occidere hominem eſt malum, quia occiſio hominis eſt mala; & velle dare eleëmoſynam eſt bonum, quia datio eleëmoſynæ eſt bona: ratio horum eſt, quia actus internus primam ſuam bonitatem accipit ab objecto; ſed actus externus eſt objectum actus interni: dicente Scripturâ Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.* Unde hæc bonitas vel malitia objectiva non derivatur à voluntate in actum externum, ſed deſumitur à conformitate vel difformitate actus cum recta ratione; eapropter eſt prior quam bonitas vel malitia actus voluntatis.

Bonitas objectiva prius eſt in actu externo quam in interno.

Dices, actus internus eſt cauſa actus externi tamquam proprii ſui effectus; ſed cauſa eſt prior ſuo effectu; ergo & actus internus eſt prior externo; & conſequenter bonitas actus interni eſt prior bonitate actus externi.

Actus internus eſt cauſa actus externi.

Reſp. actum internum dicere duplicem habitudinem ad actum externum, ſcilicet tamquam ad objectum, & tamquam ad effectum; prior habitudo eſt ei eſſentialis, utpote dans ei ſpeciem; & eatenus conſiderata bonitas actus externi eſt prior: poſterior verò habitudo eſt ei accidentalis; unde ut ſic actus internus denominatur bonus vel malus denominatione extrinſecâ, eo modo

Dicit duplicē habitudinem ad actū externum tamquam ad effectum, alteram

tãquam ad objectum.

modo quo medicina appellatur ſana; & ita conſideratus actu ex ernus, nempè prout eſt in executione operis, ipſius bonitas aut malitiâ eſt poſterior bonitate vel malitiâ actus interni, prout argumentum concludit.

Petes, an bonitas vel malitia ita deriventur ab actu externo tamquam ab objecto in actum internum, ut ipſe actus internus diſtinctam numero bonitatem vel malitiam accipiat à bonitate vel malitia objecti.

Reſp. Affirmativè, intelligendò de diſtinctione phyſica; ſiquidem alia eſt numerò conformitas cum recta ratione in actu interno, alia in actu externo.

Petes, an ſicuti actus internus duplicem dicit habitudinem ad actum externum, duplicem quoque accipiat ab eo bonitatem vel malitiam.

Reſp. negat. quia bonitas quam habet actus externus ut objectum, & quam habet ut effectus, eſt eadem; ſiquidem eſt idem eſſe rei quod ante objectivè erat in intellectu, & quod poſtmodum exiſtit in rerum natura. Quamquam tamen reſponderi poſſet affirmativè; loquendo de actu voluntatis efficaci; quia in tali actu duplex eſt ratio cur ſit bonus, una ſcilicet ab objecto petita, alia ab effectu: actus autem voluntatis inefficax tantum eſt bonus ex objecto, quippe qui tantum ſit ſimplex affectus boni; non verò cauſa: unde ſequitur actum efficacem bonum cæteris paribus eſſe meliorem, & magis meritorium actu voluntatis inefficaci.

Bonitas quam actus externus accipit à fine prius eſt in actu interno quam in exter no.

Dico 2. bonitas vel malitia quam actus externus habet ex ordine ad finem, ad quem per actum internum refertur, prius eſt in actu voluntatis interno, quam in actu externo; quia actus internus per ſe tendit in finem, externus verò tantum per accidens; ſiquidem illam non habet niſi quatenus à volunrate ordinatur ad talem finem, ad quem ipſe eſt indeterminatus; & ideo eleëmoſyna, quæ fit ob vanam gloriam, mala eſt, quia voluntas illam eleëmoſynam ordinat ad malum finem.

Tota bonitas aut malitia moralis actus interni ſola denominatione extrinſeca derivatur in actum externum.

Dico 3. tota bonitas vel malitia moralis quam actus internus habet ab objecto & circumſtantiis derivatur in actum externum per denominationem extrinſecam; unde oratio vocalis non tantum eſt bona ſecundum ſe, ſed etiam quia à bona voluntate efficitur. Quod confirmatur; quia mala voluntas inficit etiam opus ſecundum ſe indifferens communicando ei ſuam malitiam; cur ergo non inficeret ipſum opus malum.

Dices: malitia, item bonitas quam actus externus habet ex ſe, ſeu ab objecto, derivatur eſſentialiter in actum internum; ergo fieri nequit ut hæc ab actu interno denuo derivetur in externum, niſi velimus committere circulum.

Reſp

Reſp. illa ſimul poſſe conſiſtere, nec committi circulum; quia ab actu externo derivatur hæc in actum internum objectivè & eſſentialiter; ab actu verò interno derivatur in actum externum accidentaliter & effectivè: nec hoc mirum videri debet, quia cauſa efficiens & finalis ſunt ſibi viciſſim cauſæ; quinimo finis, prout eſt in apprehenſione, ſibi ipſi eſt cauſa, prout exiſtit in rerum natura.

Petes, an actus externi ſecundum ſe ſint moraliter boni vel mali.

Actus externi ſecundum ſe nullam habent bonitatem vel malitiā moralē formalem.

Reſp. duplicem conſiderari poſſe bonitatem moralem, nempè formalem, & materialem ſeu objectivam. Actus externi ſecundum ſe nullam habent bonitatem moralem formaliter: ratio eſt: quia, ut ſupra diximus, ad bonitatem formalem moralem requiritur *eſſe* liberum; nullus autem actus externus ſecundum ſe habet *eſſe* liberum, neque ullus actus externus ſecundum ſe reddit hominem laude vel vituperio dignum; ſed hoc totum habet ab actu voluntatis. Actus tamen externus ſecundum ſe habet bonitatem moralem materialem, ſeu objectivam: habetque illam non tantum ut objectum, ſed etiam ut actus, ſeu ut fit in executione; quamquam una non ſit diſtincta ab altera: ſic enim fornicari non tantum eſt malum objectum, quod non licet appetere, ſed etiam eſt malus actus, quia ab homine ratione utente non poteſt benè fieri.

Habent tamen materialem.

Quod verò hæc non ſit niſi materialis in genere moris, inde patet quia in ſtulto non eſt niſi materiale peccatum, in quo tamen habet omnia quæ ipſi competunt. Nec obſtat quod actus externi ſint conformes, vel difformes rectæ rationi; quia hinc tantum ſequitur quod ex natura ſua ſint boni, vel mali objectivè & materialiter.

Dices: actus externi prohibentur legibus tam humanis, quam divinis; ergo ſecundum ſe debent habere malitiam moralem, eò quod leges non puniant niſi talem malitiam.

Actus externi prohibentur tam lege naturali, quam poſitiva

Reſp. actus externos non tantum prohiberi ratione malæ voluntatis; ſed etiam ſecundum ſe ratione propriæ malitiæ; ſed inde non ſequitur hanc malitiā eſſe formalem moralem, ſed ſufficit quod ſit moralis objectiva: lex enim prohibens actum malum virtute hoc dicit: nolo talem actum fieri ab homine ratione utente: ita ut prohibitio cadat in actum internum & externum ſimul.

DUBIUM PRIMUM.

An ſit eadem bonitas actus interni & externi.

Quandoque eſt una & eadē bonitas actus interni & externi

Reſp. quando actus externus ſolum eſt bonus, vel malus ex fine, tum eſt eadem numero bonitas, vel malitia actus interni & externi: ratio eſt quia actus externus nullam tunc habet bonitatem vel malitiam niſi ex intentione voluntatis

quandoque diverſa

tatis tendentis in finem: quando verò actus externus ſecundum ſe & ex objecto ſuo eſt bonus vel malus, tunc eſt alia bonitas vel malitia in actu interno deſumpta ex fine & objecto: ita v. g. ſi voveas ingredi religionem ob amorem Dei, actus interior erit actus charitatis; actus verò exterior erit actus religionis. Hoc tamen verum eſt quod bonitas vel malitia actus interni quam habet ex fine, redundat in actum externum; prout bonitas vel malitia objectiva actus externi redundat in internum actum; ita ut actus externus quatenus à tali voluntate procedit cum ordine ad talem finem participet bonitatem finis; ut v. g. in exemplo ante dato ingreſſus in Religionem obtinet excellentiam charitatis: & è contra actus internus à bonitate actus externi accipit quod ſit actus Religionis; neutra tamen bonitas ſive ex fine, ſive ex objecto & circumſtantiis, duplicatur quoad *eſſe* formale bonitatis moralis; quaſi eſſet aliud meritum laudis vel vituperii in actu interno, & aliud in actu externo, quamvis tamen dici poſſint duo actus boni vel mali attendendo bonitatem objectivam.

Petes, an ſi actus internus & externus ſint inter ſe conjuncti, habeantque idem objectum & circumſtantias, ſit una utriuſque bonitas vel malitia moralis numerica.

Quandocumque actus internus & externus coaleſcunt in unum, eſt una & eadẽ numero utriuſque bonitas, vel malitia.

Reſp. Affirmativè: quia actus internus & externus ita conjuncti unum tantum conſtituunt actum in genere moris, eò quod in duobus illis non reperiatur niſi unum voluntarium & liberum, & conſequenter una tantum moralitas: quod ſi verò illi duo actus à ſe invicem ſint ſeparati, eſto habeant eandem bonitatem vel malitiam ſpecificam, habebunt tamen numericam moralem diverſam: ratio eſt, quia quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, ſunt plures; & conſequenter, ſi ſint peccamino ſi, plura debent eſſe peccata; non propter diverſitatem actus interni & externi; ſed quia ſunt duo diſtincti & interrupti actus voluntatis: prout contingit v. g. quando quis primò habet voluntatem furandi, & poſt interruptionem iſtius actus interni, furtum poſtea exequitur; quo caſu non ſufficit in confeſſione exprimere actum externum peccati furti, ſed inſuper oportet manifeſtare quoties illius furti voluntatem habuerit. Secus dicendum, dum actus internus & externus ſunt ſimul, utpote habentes unicum numero eſſe morale compoſitum ex actu interno, & externo; eo modo quo anima rationalis & corpus ſimul juncta, conſtituunt unum hominem.

Secus dic ſi inter ſe non coaleſcant actus numero diſtincti.

Dices, actus internus & externus prohibentur diverſis præceptis, ergo ſunt diſtincti actus morales.

Reſp. admiſſo antecedente, ne-

Digitized by Google

Actus internus & externus prohibentur diverſis præceptis, unde tamen nō ſequitur ſimul jūctos eſſe diſtincta peccata.

gando conſequentiam : ideo enim duo illi actus prohibiti ſunt diſtinctis præceptis ut rudis & indoctus populus intelligeret non tantum actum externum, ſed & ſolam internam malam voluntatem eſſe peccatum.

Dices, actio externa caſtigatur & punitur in foro externo; ergo debet ſe ſolâ eſſe peccatum.

Reſp. actum externum ſe ſolo numquam puniri præciſâ voluntate internâ, quæ in jure præſumitur adfuiſſe dum actus externus eſt commiſſus.

Petes, an poſſit contingere quod unus actus conſideratus in *eſſe* naturæ, ſit plures in *eſſe* moris.

Reſp. affirmativè: ut patet in ambulatione inchoatâ bonâ intentione, & finita, malâ.

Petes, an è contra poſſint dari plures actus in *eſſe* naturæ, qui tamen ſimul juncti tantum conſtituant unum in *eſſe* morali.

Reſp. affirmativè; ut patet in eo qui animo occidendi inimicum, accipit bombardam, aſcendit equum, ſtringit gladium, deinde occidit: ſiquidem omnes ejuſmodi actus, cum ordinentur ad occiſionem inimici, non habent niſi unum & idem eſſe morale: eò quod non habeant niſi unam malam voluntatem quâ omnes in perverſum illum finem ordinantur: quod tamen intellige de actibus in finem illum ordinatis, qui non habent propriam malitiam: eapropter ſi actus aliquis intermedius haberet ſpecificam aliquam malitiam diſtinctam, veluti ſi quis ad occidendum inimicum furaretur gladium, procul dubio committeret duo peccata, unum furti, alterum occiſionis.

Plures actus in *eſſe* naturæ quãdoque unum tã tum habẽt *eſſe* morale

DUBIUM III.

An actus externus ſuperaddat aliquid bonitatis vel malitiæ actui interno.

HOc eſt, an actus internus conjunctus externo ſit magis laudabilis, vel vituperabilis, meritorius, vel demeritorius, quam actus internus ſolus.

Nota 1. dubium intelligi de actu interno efficaci vi cujus ſequitur opus externum; vel certè ſi non ſequatur, id non proveniat defectu voluntatis, ſed ratione alicujus impedimenti obſtantis: nam de inefficaci voluntate loquendo, non eſt dubium quin actus exterior augeat malitiam vel bonitatem actus interni; ſiquidem plenior eſt conſenſus voluntatis, ſeu in bonum, ſeu in malum, qui efficaciter influit in opus, quam qui ab opere abſtinet.

2. Intelligendum venit dubium de ea voluntate quæ ab actu exteriori nullam patitur mutationem, ſed eſt æquè intenſa ac diuturna ſine illo, quam cum illo. His præmiſſis.

Actus externus per

Reſp. & dico quod actus externus reipsâ ſecutus per ſe nullam addat

Digitized by Google

ſe nullã addit bonitatem vel malitiã actui interno efficaci

dat bonitatem vel malitiam formalem actui interiori, adeo ut ſi duo actus interni ponantur per omnia æquales, etiamſi uni conjungatur actus externus, alteri verò non, vel ob impotentiam naturalem, vel ob violentiam extrinſecam, nihilominus hi duo actus ſint futuri æqualis bonitatis vel malitiæ, meriti vel demeriti apud Deum, ſaltem in ordine ad præmium eſſentiale. Probatur. 1. ex Scriptura 2 ad Cor. 8. *ſi voluntas prompta eſt: ſecundum id, quod habet accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet*: id eſt ſi voluntas prõpta ſit in dando pro ſua facultate, accepta eſt Deo ſecundum proportionem facultatis: quod confirmatur etiam Marci 12. ubi laudatur præ cæteris vidua ob duo minuta in gazophylacium miſſa, quia majori affectu dedit quam cæteri qui plus offerebant: unde S. Auguſtin. Epiſt. 49. quæ. 4. exponens illud Matthei 7. *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Docet affectum voluntatis eſſe menſuram factorum id eſt meritorum & demeritorum, juxta id; *non penſat Deus quantum ſed ex quanto quid fiat*: unde S. Bernard. epiſt. 77. quid planius quam quod voluntas pro facto reputatur quando factum excludit neceſſitas. Probatur hoc ipſum ratione, quia actus externus ſecundum ſe nullam habet bonitatem vel malitiam moralem formaliter; ergo illam non poteſt addere actui interno: quia nemo poteſt dare quod non habet.

Probatur antecedens; quia in actu externo non eſt ulla libertas requiſita ad bonitatem vel malitiam formalem. Quod confirmatur: quia poſitâ voluntate internâ actus externi omninò neceſſariò & naturaliter procedunt à ſuis potentiis: deinde, alioqui qui per famulum daret eleëmoſynam, ſi ille ſibi retineret, amitteret partem meriti; quod tamen ſecundum omnes nec augetur, nec minuitur, ſive famulus det, ſive retineat. Denique ſi quis ab alio furetur rem ſuam propriam, exiſtimans eſſe alienam, æque peccabit ac ſi rem alienam rapuiſſet, & tamen opus externum non eſt acceptio rei alienæ; ergo ſignum eſt quod malitia ſit tota in voluntate. Præterea qui voluit adulterium committere & per impotentiam non potuit, non minus fuit reus adulterii, ac ſi de facto illud commiſiſſet, ut habetur cap. *ſi cui*; de pœnit. diſt. 1. Unde Matth. 5. dicitur; *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Præterea gen. 22. oblatio unigeniti filii facta ab Abrahamo ſolâ voluntate tam laudatur apud Deum, ac ſi opere externo fuiſſet completa.

Dices S. Auguſt. lib. 13. de Trin. ait „ quod mala voluntate vel ſolâ „ quiſq; miſer efficitur, ſed miſerior „ poteſtate quâ deſiderium malę vo„ luntatis impletur; „ ergo actus externus addit actui interiori aliquam bonitatem vel malitiam.

 Reſp.

Reſp. admiſſio ancedente, negando conſequentiam, ſi in conſequente intelligatur quod actus externus per ſe addat bonitatem vel malitiam quia S. Auguſt. ibi loquitur de eo quod per accidens contingit; eoquod voluntas operi externo conjuncta, frequenter ſoleat eſſe intenſior quam ſine illo; quia videlicet ejus occaſione actus internus ordinarie augetur, prout illud eſt magis delectabile. Deinde rectè dicitur eſſe miſerior ille qui non tantum voluntatem habet peccandi, ſed etiam poteſtatem, quia qui voluntatem habet peccandi, & aliunde non impeditur, liberius peccat & frequentius opere externo, per quod ſolet magis ſibi & aliis nocere, quam ſi ſolâ voluntate peccet ab opere externo prohibitus.

Dices, majus damnum infertur per actum externum opere completum, quam ſolâ voluntate commiſſum; ergo & majus committitur peccatum.

Reſp. negandò conſequentiam: & ratio eſt, quia actus internus quo quis vult omninò deliberatè damna inferre, & ſolum non infert quia aliunde impeditur, eſt ejuſdem malitiæ cum actu interno habente conjunctum actum externum quo ſimilia damna inferuntur; cum enim damna realiter ſecuta nobis non imputentur ad culpam, niſi ratione voluntatis internæ, tota malitia actus externi ex quo damna ſunt ſecuta ' conſtituta eſt in voluntate illa inferendi, à qua dependet.

Dices actus externus eſt formaliter peccatum, ut patet ex definitione peccati: ergo eſt formaliter malus: habetque malitiam diſtinctam à malitiâ actus interni; eoquod eadem numero forma vel privatio non poſſit informare actus diverſarum potentiarum.

Actus externus eâdem bonitate vel malitia eſt bonus vel malus, quo actus internus, ita tamē dictus ſolâ denominatione extrinſecâ

Reſp. actum externum prout informatur actu interno eſſe malum & peccatum illâ tamen eâdem bonitate vel malitiâ quâ eſt internus bonus vel malus, cum hac tamen diſtinctione, quod ille denominatione extrinſecâ denominetur talis, internus verò denominatione intrinſecâ; eo modo quo urina vocatur extrinſecè ſana, animal verò intrinſecè.

Dices, velle furari eſt malum, quia furtum eſt malum; ergo furari eſt quid pejus; quia, *propter quod unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale*.

Reſp. axioma illud non habere locum in æquivocis cauſis, nec in omnibus univocis; nec enim ſequitur; propter ſolem aër eſt calidus ergo ſol eſt magis calidus: malitia verò derivatur ab actu externo ad internum, non ſecundum rationem univocam, ſed æquivocam.

Dices, videtur inde ſequi æqualem eſſe merito eum qui deſiderat martyrium, cum eo qui illud actu ſubit: ſimiliter quod velle ſuſcipere Sacramenta, & illa actualiter

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipere ſit æque bonum & utile; inſuper quod velle percutere clericum, & eum actu percutere ſit æquè damnabile; item quod velle jejunare in ſatisfactionem peccatorum ſit æquè bonum ac reipsâ jejunare; item Chriſtum æquè multum boni nobis potuiſſe præſtare per ſolam voluntatem, quam actu mortem crucis pro nobis perferendo.

Deſiderium martyrii quandoque eſt, æqualis meriti cum martyrio actu tolerato quídoque non.

Reſp. ad primum, ſi ambo habeant voluntatem æquè intenſam futuros ejuſdem meriti apud Deum; & conſequenter habituros æquale præmium eſſentiale: hinc enim cantat Eccleſia de Sancto martino; ô beata anima, quam etſi perſecutionis gladius non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit: quod attinet tamen ad præmium accidentale, plus boni accipit ille qui Martyrium reipsà ſubit: quia accipit inſuper aureolam martyrii. Ad ſecundum dico; quod is qui vult ſuſcipere Sacramenta, & qui reipsâ ſuſcipit, ſi habeant voluntates æquè intenſas habituros quoque æqualem bonitatem quantum eſt ex opere operantis; eſt utilius nihilominus Sacramentum reipsâ ſuſcipere, quia inſuper confert gratiam ex opere operato, de quo hic non diſputamus eo quod ex hac parte actus moralis nihil contrahat bonitatis vel malitiæ: ita quoque utilius eſt jejunare pro peccato quam velle jejunare; eo quod vis ſatisfactionis non tantum pendeat à voluntate ſatisfacientis, ſed etiam ab ipſo opere quatenus pœnale eſt: non tamen quod coram Deo plus mereatur ille qui actu jejunat, quam is qui æqualem cum ipſo habet voluntatem jejunandi, impeditur autem per aliquod impedimentum involuntarium. Quod attinet ad Chriſtum Dominum, ſola ejus voluntas potuiſſet quoad valorem æquè ſufficiens eſſe pretium noſtræ redemptionis quam mortis tolerantia, eoquod omnes actiones ejus tam internæ quam externæ eſſent infiniti valoris; nihilominus tamen verum eſt quod Chriſtus plus nobis contulerit per actualem ſuam mortem quam per ſolum mortis deſiderium, quia ejus realis mors per divinum decretum erat præordinata ut eſſet abſolutum prætium noſtræ redemptionis, quæ proinde ſi non fuiſſet ſecuta, non fuiſſemus redempti & juſtificati, quo modo nunc ſumus redempti & juſtificati.

Idem dic de volente ſuſcipere Sacramẽtum & actu ſuſcipiẽte.

Utilius eſt actu jejunare quã ſolum velle jejunare.

Chriſtus plus nobis contulit per actualẽ ſuam mortẽ quam per mortis deſiderium.

Dices: ſi actus externus nihil ſuperaddat bonitatis vel malitiæ actui interno; ergo ſufficiet in confeſſione exprimere ſolum actum internum, eoquod in illo contineatur tota malitia.

Non ſufficit in confeſſione exprimere ſolum actum internum

R. negandò conſequentiam: neque enim ideo oportet ibidem exprimere actum externum quaſi ſecundum ſe augeat malitiam actus interni, ſi cætera ſint paria; id eſt ſi voluntas ſe ſolâ ſit æqualis ſine actu externo; ſed ideo quia obli-

gamur totum peccatum confiteri, quod componitur ex interno tamquam formâ, & externo tamquam materiâ.

Dices: ſi quis ex hac vita diſcedens haberet perfectam voluntatem per opera pœnitentiæ Deo ſatisfaciendi pro peccatis caſu quo ſupervivat, propterea non liberaretur ab omni pœna purgatorii perinde ac ſi omnia opera pœnitentiæ adimpleviſſet; ergo opera externa addunt aliquid ſupra bonitatem actus interni.

Reſp. nos hic loqui de bonitate morali formali, quam diximus conſiſtere in eo quod actus ſit laude vel vituperio dignus, meritorius vel demeritorius; unde licet voluntas talis hominis ſic decedentis ſit paris laudis vel meriti apud Deum ac ſi actus externus fuiſſet ſecutus, non tamen erit paris ſatisfactionis; cum ad rationem ſatisfactionis plurimum conferat pœnalitas non tantum contritionis in corde, ſed etiam doloris in corpore.

Ad rationem ſatisfactionis plurimum confert pœnalitas actus externi

Dices ultimò, ex hac doctrina ſequi voluntatem convertendi mille homines eſſe tantæ bonitatis & meriti, quanti foret actualis eorum converſio.

Reſp. negando ſequelam; eò quod illorum converſio non ſit nata ſequi ex vi unius talis voluntatis, ſed ſolum ex pluribus; adeoque voluntas convertendi mille homines non eſt tam efficax aut intenſiva ac illa ex qua ſequitur converſio mille hominum: eapropter doctrina tradita intelligitur de actu interno æque intenſo & efficaci ac eſt ille qui habet externum conjunctum: idem dic de voluntate occidendi mille homines: item alendi mille pauperes.

Voluntas cóvertendi mille homines nó eſt tam meritoria ac eſt actualis converſio mille hominum.

Petes, quantam ergo bonitatem vel malitiam habeant ejuſmodi actus interni.

Reſp tantam, quantam haberent cum quovis actu externo qui ex illis efficaciter ſequeretur ſi nullum externum impedimentum obſtaret: unde ſi ex voluntate occidendi mille homines ſequeretur occiſio mille hominum, etiam in tantum peccaret: idem dic de voluntate alendi mille pauperes: quamquam tamen ordinariè ad ejuſmodi opera exequenda non ſufficiat unus ſimplex actus voluntatis, ſed plures debeant intervenire, qui contra remoras & difficultates, quæ in externo opere occurrunt debent intendi & augeri.

Actus interni ſoli non plus habent bonitatis vel malitiæ quam haberent ſi conjungerentur actui externo efficaciter ex illis ſecuto.

Petes, quid ſi quis vellet tantum mereri, quantum S. Petrus eſt meritus; an eo ipſo tantum mereretur.

Reſp. neg. & ſequitur ex dictis quia unus actus internus non eſt tam efficax & intenſus ut ex illo ſolo poſſent ſequi omnes tales actus meritorii quales exercuit S. Petrus; quippe qui profluxerunt ex plurimis internis actibus præſtantiſſimarum virtutum.

Qui vellet tantum mereri quantũ S Petrus, nó ipſo eo tantum meretur.

Petes, an quando quis facit aliquod

quod

Digitized by Google

quod opus externum ob aliquem finem , operatio ſit tam bona vel mala quam illa intentio finis.

Reſp intentionem finis tripliciter poſſe dici meliorem vel pejorem ipſo medio ſeu operatione externa. 1. Ex parte objecti, ut quando quis majus bonum intendit , quam ſit in opere ſeu medio quo intendit illud conſequi. 2. Ratione inefficaciæ ipſius medii ; eò quod illud non ſit proportionatum ad talem finem conſequendum. 3 Ratione perfectionis intenſivæ ; ut dum quis intenſius appetit finem , quam ſit conatus externus ad illum conſequendum. Quibus præmiſſis.

Non eſt frequenter tanta bonitas in electione medii quanta eſt in intentione finis.

Dico ; frequenter contingere quon non ſit tanta bonitas neque ex parte objecti , neque ex parte proportionis ipſius medii quanta eſt in intentione ; ut dum eligitur opus quod non eſt proportionatum ad finem conſequendum ; ut ſi quis ad conſtruendum templum conferat mille florenos ; cùm ſint neceſſaria centum millia florenorum, aut quis velit fieri excellenter doctus, & tantum adhibere modicum ſtudium : ſi quis enim aliùs pro conſtructione dicti templi vellet dare bis mille florenos , hujus poſterioris volitio & donatio erit præſtantior volitione & donatione prioris ; & tamen non adæquabit bonitatem intentionis ; ergo donatio prioris non erit tantæ bonitatis, quantæ erit ipſa intentio.

Quod ſi opus ſecundum ſe erat proportionatem ad finem conſequendum , contingat tamen illud impediri ; ut ſi quis voluntate efficaci eligit medium commenſuratum , & extrinſecus impediatur ; Reſp. meritum ejus non futurum minus ; ſed tale , quale meritum intentionis ; ut ſi quis mittat eleëmoſynam ſufficientem ad alendum decem pauperes , & in itinere pro parte vel toto ; pecunia à militibus diripiatur , merebitur tantum ac ſi integrè eſſet perlata, & illos pauperes aluiſſet ; cujus ratio ante data eſt.

Nota tamen quód quantitas bonitatis quam habet intentio ab objecto , ſemper aliquo modo redundet in electionem mediorum ; idque plus vel minus ſecundum quod voluntas applicat media plus vel minus fini commenſurata ; cum enim electio accipiat ſpeciem à fine intento , quo finis eſt melior , ipſa quoque erit melior.

Petes , an quando intentio noſtra verſatur circa aliquem actum internum , non inſit illi tanta bonitas , quanta ineſt illi actui interno , ut ſi quis intendat elicere tam intenſum amorem ac elicuit B. Virgo, aut tantam contritionem quantam elicuit S. Petrus.

Reſp. neg. quia ejuſmodi deſiderium quod elicimus non eſt medium quoad efficaciam ſatis proportionatum ad reipsâ tales actus eliciendos ; quia tamen habet aliquam proportionem principii inchoati, hinc fit quod quantitas finis inten-

intenti proportionaliter redundet in ejuſmodi deſiderium. Ex quo patet, quod quis bono aliquo actu interno non ſemper tantum mereatur, quantum intendit mereri: eoquod quantitas meriti non commenſuretur quantitati intentionis, ſed quantitati actus quem voluntariè facit in ordine ad finem obtinendum: quamvis enim bonitas intentionis ſit aliqualis cauſa bonæ electionis, non talem eſt ſola; ſed inſuper requiritur medium proportionatum ad finem intentum: unde quamvis intendat aliquis multum mereri, poterit fieri quod non conferat medium congruum ad talem finem, & conſequenter non tantum merebitur.

Petes, an quis in actu malo non tantum peccet quantum intendit peccare; adeoque ſi quis tantum vellet peccare quantum peccavit lucifer, an eoipſo tantum peccaret.

Qui vult peccare quantũ peccavit Lucifer, non eo ipſo tãtum peccat.

Reſp. cum Medina negativè; eoquod in actu ſic volentis non ſit tanta intenſio, quanta fuit in peccato Luciferi, neque tanta cognitio, quanta fuit in Lucifero: tenebitur tamen ejuſmodi pœnitens in confeſſione explicare ſe voluiſſe tantum peccare, quantum peccavit lucifer ut explicet ſpeciẽ ſui peccati.

Petes, an ſi quis vellet pati omnia tormenta quæ Chriſtus & Sancti pertulerunt, voluntas illa eſſet tam bona, ac fuit paſſio Chriſti & Sanct.

Reſp. negativè; eoquod unica ipſius volitio nequeat adæquare totam bonitatem actuum meritoriorum Chriſti & Sanctorum. Addo ſimiles volitiones eſſe inefficaces; & inde quoque minui illarum bonitatem, quod objectum ſecundum omnes ſuas circumſtantias cognoſci non poſſit, & quod non ſentiatur illa difficultas & pœnalitas in deſiderando, quæ ſentitur in exequendo, ad quam ſuperandam intendi debet in ipſo opere internus actus voluntatis.

Dico ultimò per actum externum quandoque, quinimo frequenter augeri bonitatem vel malitiam actus interni, idque tripliciter. 1. vel ſecundum numerum, quia videlicet contingit actus internos ſæpe multiplicari eo ipſo quo opus externum exercetur: ut patet in eo qui meditatur homicidium, vel aliquod aliud facinus. 2. Quoad extenſionem, quia nimirum contingit actum internum diutius continuari ratione operis externi, quando ſimul illud exercetur ubi alioquin actus internus ſtatim fuiſſet interruptus ſine accedente opere externo; ut patet in duobus, quorum unus vult malum facere. v. g. furari, ſed ob ſuperveniens impedimentum deſiſtit; ſecundus verò continuat motum voluntatis quoad uſque facinus externum totum mandaverit executioni: ubi manifeſtè patet, plus eſſe mali in voluntate ſecunda continuata, quam in priori. 3. Quoad intenſionem, quia nimirum per actum externum conjunctum

ctum interno, contingit illum fieri vehementiorem, idque vel ob delectationem quæ percipitur in opere externo, vel ob pœnalitatem quæ in eo ſentitur: ſunt enim quidam actus externi tam boni quam mali, qui habent peculiarem delectationem vel pœnalitatem adjunctam; & hi, inquantum tales, nati ſunt voluntatem intendere vel remittere: quantò verò intenſius voluntas tendit in bonum vel in malum, tantò eſt melior vel pejor.

Nota tamen quod actus externus augmentum illud bonitatis vel malitiæ per ſe non ſuperaddat actui interno; ſed merè per accidens, in quantum nimirum occaſione operis externi contingit actum internum fieri intenſiorem & diuturniorem: unde in ſupradictis caſibus opus externum non ſuperaddit bonitatem vel malitiam actui interno eodem modo manenti; ſed augendo ipſum actum internum, ſuo modo auget ipſius bonitatem vel malitiã.

Actus externus ſæpe auget bonitatẽ actus interni ſed merè accidentaliter.

Petes, an actus externus, quatenus bonus vel malus ex fine extrinſeco, ad quem ordinatur, addat aliquam bonitatem vel malitiam actui interno.

Actus externus bonus aut malus ex fine extrinſeco nullam addit bonitatem vel malitiã actui interno

Reſp. negativè; quia ejuſmodi bonitas vel malitia tota profluit ab actu interno, quæ ab illo derivatur in actum externum.

Petes, an actus externus, quamvis nullam addat bonitatem vel malitiam formalem, ſaltem non addat plurimum commodi vel incommodi.

Reſp. affirmativè; idque variis modis, ſiquidem bonis operibus externis interno conjunctis correſpondet ſæpe præmium accidentale, v. g. aureola martyrio. 2. Per actus externos acquiruntur & intenduntur boni vel mali habitus. 3. Continuatur & multiplicatur actus internus. 4. Augetur ſatisfactio; quia nimirum in actu externo eſt major pœnalitas. 5. In Sacramentis & Sacrificio Miſſæ plurimum prodeſt opus externum ex opere operato. 6. Sæpe ex opere externo pendet pax & tranquillitas cum proximo.

Confert tamen ſecum plurimum commodi vel incommodi.

Actibus externis intenduntur boni vel mali habili habitus.

Quod attinet ad actus externos malos; illi habent annexa peculiaria incommoda. 1. Enim ex eo ſequuntur plurima damna. 2. Occaſione operis externi voluntas mala intenditur & multiplicatur. 3 Contrahit homo vitioſos habitus 4. Conflatur infamia. 5. Incurruntur pœnæ fori externi, tam Eccleſiaſtici, quam politici. 6. Oritur obligatio reſtituendi. Ex quibus omnibus patet quod rectè à Sanctis cum Davide Deo agantur gratiæ quod ſaltem exteriora eorum peccata impediat

Actus externus malus adfert ſecum non numquam plurima dãna.

DUBIUM. IV.

An idem actus externus poſſit eſſe bonus & malus.

Reſp. ſi idem actus externus pendeat à duabus voluntatibus, una bona, & altera mala, prout contingit cum Dominus bonâ

Unus& idem actus pendẽs à dua-

bus voluntatibus distinctis poteſt ſimul eſſe bonus & malus.

na intentione imperat eleëmoſynam, quam famulus malâ voluntate perficit; tunc idem actus externus, ſpectatus in *eſſe* phyſico, ſimul erit bonus & malus, meritorius & demeritorius, prout reſpectivè pendet à bona, vel mala voluntate.

Dices, oppoſita non poſſunt ineſſe eidem, ſed bonum & malum ſunt oppoſita; ergo.

Reſp. bonum & malum non ineſſe intrinſecè iſti actui externo, ſed ei tantum tribui denominatione extrinſecâ à bonitate vel malitiâ actus interni, ut ſupra diximus: ſunt autem diverſi actus interni à quorum uno bono ille actus externus dicitur bonus: ab alio autem malo denominatur malus.

Petes, quid ſi actus externus pendeat quidem ab unius voluntate, attamen à diverſis intentionibus, unâ bonâ, & alterâ malâ, ut ſi des eleëmoſynam partim ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis, partim ad vanam gloriam.

Reſp. illum actum externum fore abſolutè malum; nam ut actus dicatur bonus nihil debet habere annexum mali reſpectu ſui ſubjecti cui dicitur bonus, eo quod bonum ſit ex integra cauſa.

Petes, an unus & idem actus externus in *eſſe* naturæ reſpectu ejuſdem voluntatis non poſſit ſucceſſivè fieri bonus & malus.

Idem actus externus reſpectu ejuſdē voluntatis poteſt ſucceſſivè fieri bonus & malus.

Reſp. affirmativè; quia quævis actio externa poteſt inchoari bonâ intentione, & finiri malâ manens eadem in *eſſe* phyſico.

Petes, an idem actus externus in *eſſe* moris poſſit ſucceſſivè fieri bonus & malus.

Reſp. negativè: quia eo ipſo quo actus ex bono fit malus mutatur ejus pars eſſentialis, nimirum habitudo ad objectum quatenus conforme naturæ rationali ut ſic.

Petes, an idem actus internus idem manens in *eſſe* moris, ſimul poſſit eſſe bonus & malus.

Secus verò ſi ſpectetur in eſſe morali.

Reſp. negativè: etenim cum ille dicatur bonus vel malus non denominatione extrinſecâ ab alio actu, ſed per ſe dicatur talis, quia nimirum ſecundum ſe eſt laude vel vituperio dignus, & conſequenter ſit eſſentialiter talis, implicat illum ſimul bonum eſſe & malum.

Petes, an actus internus ſaltem ſucceſſivè non poſſit fieri bonus & malus.

Actus internus nequit ſucceſſivè fieri bonus & malus.

Reſp. negativè: eo quod bonitas & malitia ſint differentiæ ipſius eſſentiales: præterea ſi actus internus manens idem numero & ſpecie poſſet ex bono fieri malus pendebit ab eiſdem cauſis à quibus pendebat in initio cum eſſet bonus; atqui dum eſſet bonus pendebat ab auxilio divino (ſuppono actum eſſe ſupernaturalem) ergo & poſtea dum erit malus pendebit ab eodem auxilio divino, & conſequenter ſequetur quod Deus erit cauſa actus mali.

Dices, poteſt aliquis velle celebrare

lebrare Miſſam, & illam volitionem continuare ſuperveniente irregularitate, quæ volitio in initio bona erit, & in fine mala; ergo &c.

Reſp. non futuram eandem volitionem, eò quod mutetur objectum formale, ſeu ratio volendi; nam ubi novit ſe irregularem, non poteſt judicare bonum eſſe celebrare; ac proinde non poteſt ob hanc cauſam velle celebrare ſicut ante volebat: eapropter ſicuti judicium ejus mutatur de prudenti in imprudens; ita quoque mutatur ejus volitio de bona in malam.

Petes, an idem actus internus ex in differenti poſſit fieri ſucceſſivè bonus.

Reſp. non dari actus in individuo indifferentes, adeoque quæſtionem ſupponere falſum.

QUÆSTIO II.

De Regulis Actuum Humanorum.

DUBIUM PRIMUM.

An bonitas actus pendeat à ratione, tamquam à ſua regula.

Reſp affirmativè: quia cum bonitas actus pendeat ab objecto, & objectum non proponatur voluntati niſi à ratione, ſequitur bonitatem quoque pendere à ratione, non quidem ut nudè objectum proponente, ſed etiam ut judicante illud eſſe bonum, adeoque proſequendum; cum enim recta ratio, quæ ſecundum ſe eſt una, dividatur in ſpeculativam & practicam; & finis ſpeculativæ ſit ipſa rei alicujus cognitio, finis vero practicæ ſit humanarum actionum directio; dicimus quod à ratione in quantum practica eſt, dependeat bonitas voluntatis; non verò neceſſario à ſpeculativa: ita ut ad bonitatem actus requiratur quod ſit conformis rectæ rationi practicæ, non verò ut ſit conformis rectæ rationi ſpeculativæ. Ratio alia ſpeculativa, alia practica. Ut actus bonus ſit, neceſſe eſt illũ conformem eſſe rationi practicæ, non ſpeculativæ.

Petes, quomodò differant inter ſe ratio ſpeculativè recta & ratio practicè recta.

Reſp. in hoc, quod prior ſit illa, quæ judicat rem aliquam ita ſe habere prout à parte rei ſe habet: practica verò dicitur recta, quando ita judicat de re, quomodò vir prudens prævio diligenti examine, ſecundum regulas prudentiæ de ea judicare debet. Quæ differentia hic maximè venit notanda; quia frequenter contingit rationem eſſe practicè rectam, quæ tamen ſpeculativè eſt erronea: prout accidit in facto Jacob accedentis ad Liam, quam ex ignorantia invincibilii judicabat eſſe ſuam uxorem; ſiquidem judicium ejus ſpeculativum erat erroneum, dum judicabat eam eſſe ſuam uxorem, quæ à parte rei non erat e us uxor practicum tamen ejus judicium erat rectum, quo judicabat licitum ſibi Speculativa ratio vera judicat rem ſe habere ſicut à parte rei ſe habet. Quandonam ratio cenſeatur practicè recta.

Gg 2 eſſe,

à parte rei ſe habet. Quandonam ratio cenſeatur practicè recta.

eſſe, attentis omnibus circumſtantiis, accedere ad hanc mulierem; quia videlicet erat conforme judicio viri prudentis qui in ſimili caſu conſtitutus, attentis omnibus, idem judicaret; nam accedere ad eam mulierem quæ offertur tamquam uxor propria, & ut talis inculpabiliter habetur, omnes prudenter judicarent eſſe licitum: eapropter regula ſeu menſura cui actus humanus debet conformari ut ſit bonus, eſt recta ratio practica, non verò ſpeculativa.

Dices, objectum vocatur honeſtum quia eſt conforme rectæ rationi tamquam ſuæ regulæ; ergo recta ratio non poteſt dici recta quia eſt conformis objecto honeſto; nam ſic committitur circulus in reddenda cauſa rectitudinis & honeſtatis objecti; præterea nihil poteſt tribuere rationem formalem illi à quo accipit rationem formalem, nam ſic eſſet ſe ipſo prius & poſterius.

Reſp. ad prius; honeſtatem objecti, loquendo à priori, non conſiſtere in conformitate objecti cum recta ratione; ſed in conformitate illius cum natura rationali ut ſic; nam honeſtum eſt quod decet ſuppoſitum naturæ rationalis quatenus cum ratione operatur; decet, inquam, vel tamquam operatio, vel tamquam objectum circa quod operatio ejus verſetur; ſicuti enim aliquæ actiones ſunt convenientes homini ut homo eſt, aliæ verò convenientes brutis; ita & alia objecta ſunt homini convenientia, alia brutis: quia tamen nobis recta ratio eſt notior quam convenientia vel diſconvenientia objecti cum natura rationali ut ſic; eapropter ſolemus magis explicare honeſtatem, vel malitiam objecti per conformitatem, vel difformitatem ad rectam rationem, quam ad naturam rationalem; quia rectitudo rationis ex variis ſignis nobis innoteſcit, ut puta, quia ejus dictamen eſt conforme legibus vel mandatis divinis, vel humanis, item ſapientum judicio, & prudentum exiſtimationi &c. hæc enim & ſimilia ſunt notiora quam ipſa rerum natura, & demonſtrant ipſam rationis rectitudinem; quinimo quando recta ratio explevit diligenter officium ſuum, & in objecto non deprehendit aliud quam decentiam cum natura rationali, tunc objectum quamvis nudè ſecundum ſe conſideratum non ſit conveniens, tamen reſpectu talis perſonæ in hiſce circumſtantiis conſtitutæ induit honeſtatem; cum enim intellectus humanus non ſemper & ubique ſine errore invenire poſſit quod reverà naturæ rationali eſt conſentaneum, vel diſſentaneum quantumvis debitâ diligentiâ præmiſsâ, hinc fit quod omne illud, quod poſt diligens examen tamquam honeſtum à recta ratione proponitur, prudenter judicari poſſit tale: voluit enim Deus bonitatem derivari

Rectitudo rationis ex variis ſignis nobis innoteſcit.

vari

vari ad voluntatis actum proximè per objectum poſt diligens examen tamquam honeſtum ab intellectu propoſitum: ita ut voluntas ſimpliciter obligetur ſe conformare judicio quo intellectus poſt diligens examen dictat hoc vel illud eſſe bonum vel malum, faciendum vel omittendum. Itaque recta ratio ſuo modo poteſt dici menſura vel regula objecti honeſti; non quidem à priori, quaſi ipſa faciat objectum honeſtum; ſed à poſteriori, & reſpectu noſtri, quatenus nimirum nobis demonſtrat objectum honeſtum, & addit circumſtantiam diligentis examinis præmiſſi: unde fit quod objectum illud cohoneſtetur reſpectu talis perſonæ; alioquin à priori, objecti honeſtas conſiſtit in convenientia ejus cum natura rationali ut ſic.

Petes, an idem aliquod judicium poſſit eſſe ſpeculativè falſum, & practicè verum.

Quomodò judiciũ aliquod poſſit eſſe ſpeculativè falſum, & practicè verum.

Reſp. ſic communiter authores loqui. Quo tamen modo loquendi non ſignificatur aliud, quam quod judicum quod eſt ſpeculativè falſum, ratione ſuæ probabilitatis poſſit eſſe fundamentum alterius judicii, quod eſt practicè verum: ut patet in hoc judicio ſpeculativè falſo quod formabat Jacob de hac propoſitione, hæc eſt mea uxor; quod judicium ideo dicitur practicè fuiſſe verum, quia erat fundamentum alterius judicii veri, nempe quo judicabatur vera concluſio hujus argumenti practici, licitum eſt marito uxori debitum reddere; hæc eſt mea uxor; ergo licitum eſt mihi, ut marito, illi reddere debitum: proinde quando judicium aliquod dicitur ſpeculativè falſum & practicè verum, neceſſariò debet fieri comparatio ad diverſa objecta, reſpectu quorum ſit reſpectivè verum & falſum, & propriè loquendo judicium ſpeculativè falſum & judicium practicè verum ſunt duo judicia realiter & ſpecie diſtincta.

DUBIUM II.

An lex æterna ſit regula humanorum actuum.

PRænotandum, bonitatem, ſeu perfectionem alicujus rei dupliciter poſſe cognoſci. 1. Ex intrinſecis principiis, & accidentibus. 2. Ex conformitate cum extrinſeca menſura, ſeu regula.

Lex æterna eſt regula actuum humanorum.

Antea indagavimus bonitatem actus humani ex ſuis principiis; modò illa venit cognoſcenda ex ſua regula extrinſeca, prout cognoſcitur rectitudo muri à perpendiculo, tamquam ſuâ menſurâ: præcipuæ autem regulæ, ſeu menſuræ actuum humanorum ſunt, lex æterna, recta ratio, & judicium conſcientiæ.

Petes, quid hic intelligatur nomine legis æternæ.

Quid lex æterna.

Reſp. per illam hic non intelligi aliquam legem propriè dictam, ſed ipſum dictamen divinæ mentis, quo

quo Deus judicat ſuppoſito rationali hoc vel illud eſſe conveniens, vel diſconveniens; adeoque tamquam tale faciendum, vel omittendum; quod dictamen non ſemper imponit ſimpliciter obligationem talis actus faciendi, vel omittendi; ſed præſcribit modum ſecundum quem homo debet operari, quando operatur; v. g. lex æterna non præſcribit hunc actum debere ab homine fieri; volo vovere caſtitatem; ſed tantum præſcribit modum quo illam debet ſervare ſi ſponte illam voverit: ſimiliter non præſcribit, ut quis hoc momento recitet orationem dominicam, ſed tantum præcipit ut attentè illam recitet, ſi ſponte velit illam recitare: & hoc quidem modo omnis actus bonus debet eſſe conformis legi æternæ, ſi non ſimpliciter præcipienti, ſaltem præcipienti ut debito modo & debitis circumſtanſtantiis fiat.

Petes, quomodo ergo actus bonus debeat præcisè eſſe conformis legi æternæ.

Quomodo actus bonus debeat eſſe cōformis legi æternæ.

Reſp ſicut imago ſuo exemplari remoto; quia quod recta ratio noſtra ſit immediata regula actionum noſtrarum, hoc habet à lege æterna, juxta illud Pſal. 4 *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; & ita quidem ut lex æterna ſit prima regula, ſecunda verò ſit recta ratio; ac proinde ſicut effectus cauſæ ſecundæ non tantum pendet ab ea, ſed etiam à cauſa prima in genere cauſæ efficientis; ita & bonitas actus non tantum pendet à regula proxima, quæ eſt recta ratio, ſed etiam à lege æterna tamquam regulâ prima; & quamvis lex æterna ſit nobis ſecundum ſe ignota, tamen illa nobis innoteſcit vel per legem naturalem mentibus noſtris impreſſam, vel per legem poſitivam, vel per revelationem ſupernaturalem, vel per alios modos nobis à Deo indicatos ad benè operandum; adeoque prima ratio cur v.g. hi actus, dare eleëmoſynam, orare &c. objectivè boni ſint, eſt; quia ſunt conformes legi æternæ: unde ſi petatur, unde veniat conformitas hujus vel illius objecti cum natura rationali ut ſic, vel unde veniat difformitas hujus vel illius objecti à natura rationali, reſpondetur ex conformitate, vel difformitate ejus ad legem æternam; adeoque ſublatâ lege æternâ tamquam primâ ideâ & exemplari, conſequenter tollitur omnis perfectio & imperfectio actus humani; ſiquidem ſublatâ causâ convenientiæ vel diſconvenientiæ, tollitur neceſſariò ipſa convenientia vel diſconvenientia.

Lex æterna eſt prima regula actuum humanorum.

Unde ultimatè proveniat conformitas aut difformitas alicujus objecti.

Dices, furtum, mendacium, adulterium &c. non ſunt mala quia prohibita, ſed è contra, ideo ſunt prohibita quia mala; ergo ſimiliter nec ideo opus aliquod eſt bonum quia eſt conforme legi æternæ; ſed è contra, ideo eſt conforme legi æternæ quia bonum.

Furtum & mendacium ſunt mala quia legi æternæ difformia.

Reſp.

Reſp. admittendo antecedens; & addo illa opera eſſe mala, quia difformia legi æternæ, & è contra opus bonum eſſe bonum, quia conforme legi æternæ; nec enim ſunt eadem, eſſe conforme legi æternæ, & eſſe præceptum, aut eſſe difforme, & eſſe prohibitum: ſiquidem, ut ſupra notavimus, per legem æternam non intelligitur hìc abſolutum & poſitivum præceptum, ſed tantum dictamen divinæ mentis, ſeu judicium quo Deus judicat ſuppoſito rationali hoc vel illud eſſe conveniens, vel diſconveniens.

Ex quibus omnibus patet quomodo bonitas actus humani magis pendeat à lege æterna tamquam à prima ſua regula, quam à judicio rectæ rationis; quia rectitudo, ſeu perfectio alicujus rei magis venit penſanda ex aſſimilatione ejus cum exemplari, quam cum imagine dicti exemplaris: & etiam quia qui legem aliquam obſervat habet pro ſua regula potius ipſam legem, quam vocem præconis dictam legem promulgantis; juxta illud Pſ. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quaſi diceret, lumen rationis quod in nobis eſt in tantum poteſt nobis oſtendere bona, & eſſe regula noſtræ voluntatis, in quantum eſt lumen vultus tui, id eſt lumen à tuo lumine, nempe lege æternâ derivatum.

Hic Lector.

Expende pondere ſanctuarii omnia opera tua, & an juſtum habeant valorem, ſeriò conſidera verendum enim eſt ne quam plurima adulterina, & apparenter ſolum bona reperias: ut verò cauſam unde hæc potiſſimum inficiuntur, cognoſcas; ſcrutare diligenter quiſnam in anima tua obtineat principatum, à quo hæc imperentur; an ſit Deus, an creatura; an gratia an concupiſcentia. Siquidem in ea prout experiris, plurima contingunt certamina; & aliud caro adverſus Spiritum, & aliud adverſus carnem Spiritus concupiſcit: in qua diſſenſione, ſi concupiſcentia prævaluerit turpiter animus propriam amittet dignitatem, & valde probroſum erit ei ſervire, quem decuerat imperare: ſi autem mens rectori ſuo ſubdita, & ſupernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, & in ſuo mortali corpore peccatum regnare non permiſerit; ordinatiſſimum tenebit ratio principatum; & munitiones ejus nulla terrenarum voluptatum labefactabit illuſio; quia tunc eſt vera pax hominis & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.

TRAC-

TRACTATUS XI.

De Conſcientia.

QUÆSTIO I.

De variis Conſcientiæ acceptionibus.

Varia acceptio conſcientię

NOMEN Conſcientiæ a S. Scriptura & SS. Patribus variè accipitur: & quidem 1. pro ipſa anima, quo modo appellatur mũda, vel immunda; & hoc modo etiam dicimur examinare conſcientiam; nec enim examinamus actum, vel habitum intellectus; ſed omnes angulos animæ noſtræ, an nihil illis inſit quod diſpliceat divinæ Majeſtati: ſub hac ratione agit S. Bernardus de ea toto libro de interiori domo, ſive de conſciéntia ædificanda.

Quid Synderesis.

2. Frequenter accipitur conſcientia pro ipſa ſyndereſi, quæ non eſt aliud quam habitualis cognitio primorum principiorum moralium ſeu practicorum; qualis eſt notitia Decalogi: ſicuti enim nobis eſt à natura indita habitualis cognitio primorum principiorum ſpeculabilium, nam quilibet naturaliter novit omne totum eſſe majus ſua parte; item, partem eſſe minorem ſuo toto; ita etiam nobis eſt indita habitualis cognitio primorum principiorum moralium. Et quidem ſub hac ratione nomen conſcientiæ uſurpatur à SS. Patribus, Baſilio, Damaſceno, & aliis.

Numquam errat.

Rectè verò notat S. Thomas quod Syndereſis numquam erret; quia verſatur circa univerſaliſſima principia agendorum, quæ per ſe nota ſunt, nec umquam poteſt deleri, nequidem in damnatis; dicente Scripturâ Marci 9. *vermis eorum non moritur.* Unde conſcientiæ hoc modo acceptæ tribuuntur hæ proprietates: nempe accuſare, mordere, reprehendere, teſtari &c.

Numquam exſtinguitur.

Quid conſcientia ſtrictè dicta.

Tertiò accipitur conſcientia propriè pro regula practica actuum humanorum: quo modo accepta eſt judicium practicum certum immediatè directivum actionis humanæ, dictando v. g. aliquid eſſe faciendum quia bonum eſt, vel præceptum; aut omittendum quia malum eſt & prohibitum. Unde conſcientia, tertio modo ſumpta eſt veluti concluſio ſyllogiſmi practici, cujus majorem ſtatuit ſyndereſis, minorem verò ſtatuit vel lex naturæ, ſi illa ſit lumine naturæ nota, vel Fides, vel Scriptura, vel Theologia, vel Philoſophia, vel alia ſcientia, ſi illa ex illarum principiis per diſcurſum deducta ſit; concluſio verò hujus ſyllogiſmi eſt conſcientia: unde ſicut ſyndereſis verſa-

Conſcientia verſatur.

Digitized by Google

circa particularia, ſynderelis circa univerſalia,

verſatur circa univerſalia, ita conſcientia verſatur circa particularia per ratiocinationem deducta: eapropter ſi in ipſa concluſione practica ſit aliquis error, ille neceſſariò ſubſequetur ex ſubſumto erroneo.

Petes, quodnam ſit objectum conſcientiæ, an præſens, præteritum, an futurum.

Quid objectum cõſcientiæ.

Reſp. conſcientiam propriè ſumendo pro judicio practico antedicto, illam pro objecto ſuo ſolum habere opus faciendum: quia tamen conſcientiæ tribuuntur diverſa officia quæ reſpiciunt opera non tantum futura, ſed & præſentia & præterita; dicimus illam componi quaſi ex duobus judiciis, uno nempe practico, & alio ſpeculativo; uno judicante opus eſſe faciendum alio judicante poſtquam opus factum eſt, benè vel male eſſe factum: ratione judicii practici dicitur conſcientia ſubire officium legiſlatoris vel conſiliarii, quatenus nimirum nos obligat ad agendum: ratione verò judicii ſpeculativi ſubit ipſa officium judicis, item accuſatoris, & teſtis; quatenus nimirum ipſa judicat vel teſtatur opus benè vel malè eſſe factum. Hæc officia conſcientiæ partim nobis innoteſcunt ex Scriptura, partim ex SS. Patribus: ſic enim 2. ad Cor. 1. Apoſtolus ait; *gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et S. Auguſt. lib. contra Manichæos capite 1. 7 Senti, inquit, de Auguſtino quod lubet, dummodò eum „ conſcientia ſua non accuſet. „ Et S. Bernardus lib. Meditat. cap. 3. „ Peccata mea, inquit, celare non „ valeo quia quocumque vado con„ ſcientia mea mecum eſt, ſecum „ portans quidquid in ea repoſui ſi„ ve bonum ſive malum: ſi malè „ facio adeſt illa, ſi autem benè fa„ cere videor, & inde extollor, ſic „ in domo propriâ habeo accuſato„ rem, teſtem, judicem; quinimo „ tortorem; malum enim non tan„ tum reprehendit, ſed & exercet „ vindictam, pungens continuo „ ſuo remorſu. „ Ultra prædicta officia tribuitur quoque conſcientiæ officium ſecretarii cuncta fideliter annotantis & ſuo tempore manifeſtantis; juxta Apocal. 20. *libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt, mortui ex his quæ ſcripta erant in libro ſecundum opera ipſorum.* Quo ſenſu Jeremiæ 17. habetur *peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in ungue adamantino.* Id eſt charactere indelebili: hic liber conſcientiæ, inquit S. Bern. c. 22. de interiori domo „ modò in hac vi„ ta ſignatus & clauſus eſt, ſed ape„ riendus in die judicii unicuique „ liber eſt, inquit, ſuæ conſcien„ tiæ; „ ad hunc librum diſcutiendum & emendandum omnes alii inventi ſunt: anima dum de corpore egredietur nullum alium præter librum conſcientiæ ſecum portare poterit, atque in illo cognoſcet quò debeat ire, & quid debeat recipere.

Plura alia de officio conſcientiæ habent alii Patres; tantùm hoc addo, quod habet S. Bernardus c. 21. de interiori domo, ,, multi quæ-,, runt ſcientiam, pauci conſcien-,, tiam; ſi verò tanto ſtudio quære-,, retur conſcientia, quanto quæri-,, tur vana ſcientia, & citius appre-,, henderetur, & utilius retinere-,, tur,, Eapropter acutè dixit quidam Generalis ordinis cujuſdam religioſi adhortans ſuos magis ad ſtudium conſcientiæ quam ſcientiæ, dum ait; ,, majores noſtri ſtudue-,, runt conſcientiæ, nunc verò ver-,, bum iſtud videtur unâ ſyllabâ ,, abreviatum, & remanet ſola ſcien-,, tia: verendum eſt deinceps ne & ,, una ſyllaba omittatur, & tunc ,, quid reſtabunt, niſi ſola entia? ,,

Petes, an conſcientia quandoque extinguatur.

Conſcientia quandoque extinguitur.

Reſp. Conſcientia, ſumpta pro ſynderesi, numquam extinguitur, prout ſupra diximus: unde ait S. Aug lib. 2. Confeſſ. cap. 4. ,, lex ,, tua ſcripta eſt in cordibus homi-,, num, quam nec ulla delebit ini-,, quitas. ,, Sumpta vero pro dictamine practico immediatè directivo humanæ operationis circa concluſiones ex principiis univerſalibus deductas, quamvis rariſſimè extinguatur circa particulares concluſiones comprehenſas lege naturæ (quippe quarum rariſſimè dari poteſt ignorantia invincibilis, eò quod earum turpitudo tam evidens ſit, ut raro effugiat lumen rationis, ſaltem ità, quin deſuper intellectus dubitet vel ſuſpicetur unde obligatur ad acurationem veritatis inquiſitionem) extinguitur tamen nonnumquam circa concluſiones comprehenſas lege divinâ vel humanâ; quippe quarum dari poteſt ignorantia invincibilis.

Sicuti verò quandoque extinguitur conſcientia ſumpta pro judicio practico, ita quoque nonnumquam extinguitur ſumpta pro judicio ſpeculativo quod ſequitur actum patratum illum reprobante & reprehendente: prout quoque horror, dolor, & pudor inde ſecuti quandoque omnino extinguuntur: quod patet Prov. 18. *impius cum in profundum venerit peccatorum*, nempe cæcitatis ortæ ex concupiſcentia vel mala conſuetudine, *contemnit*, id eſt nihili facit ipſum peccatum; adeoque nec de eo dolet, nec ſentit ejus remorſus, habens frontem meretricis, neſciens erubeſcere: qualem, poſtquam decem annis contra eam reluctatus fuiſſet, ſenſit Lutherus; qui gloriabatur ſe tot annis oppugnaſſe ſuam conſcientiam, quot Græci Troiam.

Probatur hoc ipſum ratione; eſto enim intellectus debeat aliquo modo cognoſcere peccati malitiam dum illud committit, non tamen neceſſariò fit quod illud improbet jam commiſſum; idque contingere poteſt vel ex imperio voluntatis, vel per diſtractiones circa res alias: unde

Digitized by Google

unde ſi intellectus peccati malitiam non proponat, ne quidem poterit erubeſcere vel dolere ipſa voluntas: quin imo etſi intellectus proponat, poterit illa pro ſuâ libertate nolle erubeſcere. Sanè ipſa experientia hanc veritatem ſatis demonſtrat in illis qui bibunt, velut aquam, iniquitatem. Unde nec ulla major pœna à Deo poteſt inferri, quam dum ab homine conſcientiam remordentem tollit, eumque ſuis appetitibus tradit, tollendo gratiam per cujus abſentiam induratur, & non ſecus ac terra per abſentiam ſolis excæcatur & obtenebratur ruens de ſcelere in ſcelus, prout Apoſt. Rom. 1. enarrat contigiſſe antiquis Philoſophis; *Quia cum cognoviſſent Deum non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum .... propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Eapropter nullum Dei irati evidentius ſignum aſſignant SS. Patres, quam hoc, dum ſublato omni conſcientiæ remorſu, ab ipſo, peccatori liberè permittuntur habenæ ad omnè malum: nec ſolet Deus hanc pœnam infligere niſi ob gravia ſcelera præcedentia.

Tollitur nō-nunquam omnis remorſus cōſcientiæ.

Plerumque tamen poſt peccatum grave patratum ſubſequitur ille conſcientiæ remorſus, atque etiam voluntatis pudor & dolor; juxta illud Marc. 2. *Vermis eorum non moritur.* Quem Judas ferre non ſuſtinens, laqueo ſe ſuſpendit. Unde S. Bernardus ait nulla pœna eſt gravior malâ conſcientiâ; omnium ſiquidem delictorum ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa eſt tortor: ipſa cavet, ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa condemnat.

Ad hanc rem narrat Crombecius lib. 2. de ſtudio perfect. de quodam viro opulento habitante Antuerpiæ, qui mirum in modum conſcientiâ alicujus criminis, quod erubeſcebat confiteri, torquebatur: conatus is fuerat illo tormento ſe liberare ambulando, ignotas regiones inviſendo, imo variis ſtudiis & occupationibus, quin operibus pœnitentiæ, cilicio, item eleëmoſynis &c. ſed totum in vanum: itaque remordentem conſcientiam amplius ferre non ſuſtinens, deſperabundus decreverat laqueo ſibi vitam eripere: quod meditanti, occurrit ipſi in via quidam Pater Societatis, quo ſecum aſſumpto in rhedam, illi tandem per varios diſcurſus ulcus detexit, qui eum Sacramentali confeſſione factâ, abſolvit, hominemque, ipſo teſte, vitæ reſtituit. Hæc nimirum eſt carnificina lancinantis conſcientiæ.

Petes, an quandoque extinguatur conſcientia quoad offenſam Dei, remanente illa ſic ut non extinguatur quoad malitiam peccati.

Reſp. negativè: quia non datur ignorantia invincibilis unius Dei

Digitized by Google

Conſcientia numquam extinguitur quoad Dei offenſam, quin extinguatur quoad malitiã.

nec in Ethnicis, nec in Atheis: quæ ſi daretur, non deſinerent equidem peccare mortaliter; quia contravenientes rectæ rationi, quæ ſubit officium vicarii ipſius Dei, cenſentur interpretativè Deum ipſum contemnere: ut patet in hoc ſimili, ſi Rex Hiſpaniæ, qui ſtatuit in Belgio vicarium & gubernatorem ſuum, crederetur à Belgis mortuus, illique interea contra Vicarium illius rebellarent; Rex tamen ab illis offenderetur, ſibique factum putatet quod Vicario ſuo eſſet irrogatum: quidni ergò Deus, eſto putaretur non exiſtere meritò puniret tamquam rebelles, eos qui in materia gravi rectæ rationi tamquam ejus vicario, deliberatè contravenirent?

Petes, an adhuc eſſent peccata mortalia, ſi per impoſſibile Deus non eſſet.

Si Deus non exiſteret, nulla poſſent peccata eſſe.

Reſp. negativè: quia cum peccatum conſiſtat in difformitate actus à recta ratione; difformitas illa non eſſet, ſi Deus non eſſet: nec enim poteſt eſſe imago ubi non eſt exemplar.

DUBIUM PRIMUM

An practicum judicium conſcientiæ, quod eſt immediata regula actuum humanorum debeat eſſe certum & evidens.

Practicum judicium, quod eſt regula actuum humani, debet eſſe certum & evidens

RESP. affirmativè. Ratio eſt, quia judicium conſcientiæ eſt actus prudentiæ; quæ, cum ſit virtus intellectualis, involvit in ſuo objecto aliquam certitudinem: unde ex defectu certitudinis excluditur à numero virtutum intellectualium opinio utpote fallibilis: quia verò prudentia eſt virtus practica, & non ſpeculativa, neceſſe non eſt, illam ſpeculativè eſſe veram & infallibilem, ſed ſolum practicè: & ideo licet ejus objectum quandoque ſpeculativè ſit falſum; eſt tamen practicè verum. Unde prudentia eſt notitia practicè certa de honeſtate vel turpitudine objecti: quod inde à poſteriori patet; quod ſi quis judicet ſibi aliquid honeſtum eſſe, vel licitum, de quo rationabiliter dubitat an illud faciendo peccet, imprudenter judicet.

Prudentia debet eſſe notitia practicè certa

Petes, unde prudentia habeat hanc certitudinem.

Hanc certitudinem accipit prudentia ex modo tendendi in objectum.

Reſp. ex modo tendendi in ſuum objectum, quo excludit omnem rationabilem formidinem de oppoſito. Dico rationabilem, quia non ſemper excludit ſcrupulum, qui ſæpe perſeverat cum judicio prudentiali.

Petes, ex quo oriatur modus ille ſic tendendi in objectum.

Reſp. ex eo, quod prudentia præſupponat diligentem, &, attentâ rei gravitate, & perſonæ capacitate, ſufficientem rei conſiderationem; quâ poſitâ, etiamſi objectum ſecundum ſe non eſſet honeſtum, tamen reſpectu hujus hominis ſic affecti eſt honeſtum; & in his circumſtantiis, & cum hoc incul-

Digitized by Google

inculpato errore judicatur honeſtum; eo modo quo cibus vel potus aliquis alicui in certa diſpoſitione conſtituto cenſetur bonus, v. g. aqua frigida febricitanti qui extra talem diſpoſitionem eſſet moleſtus, ſic Jacob licet ſpeculative erraret judicando hanc eſſe ſuam uxorem (nam hoc erat judicium erroneum licet inculpati erroris) prudenter tamen judicabat, in his circumſtantiis conſtitutus, licitum ſibi eſſe ad hanc accedere, quam inculpatè putabat eſſe ſuam uxorem.

Petes, quâ certitudine objectum prudentiæ, vel conſcientiæ debeat eſſe certò honeſtum, vel turpe.

Objectum prudentiæ debet eſſe certum certitudine morali non metaphyſica.

Reſp. certitudine morali; non verò neceſſario omnimodâ. Pro quo nota, tunc dici aliquid certum certitudine omnimodâ, quando penſatis omnibus rationibus tam communibus, quam particularibus objecti, impoſſibile eſt illud aliter ſe habere: quale eſt hoc; adulterium eſt peccatum. Tunc verò dicitur objectum moraliter certum, quando, attentis propriis & particularibus rationibus, judicatur res aliter ſe non poſſe habere, quamvis ſecundum aliquas rationes communes aliter quandoque ſe poſſit habere. Et ita atteſtatio Parochi in ſcriptis facit moralem certitudinem quod infans ſit baptiſatus: & hoc ideo, quia, attenta ratione particulari ſeu conditione atteſtantis, qui in ſui officii functionibus præſumitur verax quia ſupponitur non eſſe ulla particularis ratio propter quam vel minimè dubitari poſſit quod velit falſum teſtari, merito judicatur quod res illa, non poteſt aliter eſſe; quamvis ſecundum aliquam rationem communem ſeſe aliter poſſet habere, conſiderando nempe Paſtorem quatenus homo eſt: ſub qua conſideratione non repugnat eum aſſerere falſum, quippe cum omnis homo ſit mendax. Ex quo tamen non ſequitur certitudinem moralem admittere aliquam dubitationem; quia hoc eſt merè per accidens, & rarò contingens quod ille in prædictis particularibus circumſtantiis velit mentiri.

Petes, an objectum probabile quatenus tale poſſit eſſe objectum prudentiæ: item, an opinio poſſit eſſe judicium prudens.

Objectum probabile nequit eſſe objectum prudentiæ.

Reſp. ad utrumque negativè: quod patet ex antedictis: eò quod prudentia tendat in objectum ſuum abſque ulla formidine quod ſit falſum: opinio verò tendit in objectum cum formidine de oppoſito.

Ex his quoque concludes, quomodo ad licitam operationem neceſſaria ſit conſcientia practicè certa, tamquam proxima regula directiva illius operis: nam qui operatur ex conſcientia dubia non ſciens certo ſaltem moraliter quod ſua actio non ſit illicita exponit ſe periculo Deum offendendi: eo modo quo is qui rationabiliter dubitat

bitat quod amicus ejus lædetur ex aliqua ſua operatione, ſi cum hoc dubio operetur, amicum ejus interpretativè cenſetur contemnere.

Petes, an ad rectè operandum neceſſe ſit quod practicum judicium conſcientiæ ſit ſemper conforme judicio ſpeculativo.

Judiciũ practicum, per ſe loquendo, debet eſſe conforme ſpeculativo.

Reſp. per ſe loquendo Affirm. quia judicium de re aliqua particulari non poteſt eſſe contrarium judicio univerſali, ſub quo illud particulare continetur: unde, ut logici dicunt, ad veritatem propoſitionis alicujus univerſalis neceſſariò requiritur veritas omnium individuarum directè ſub ea contentarum: hinc ſi quis ſpeculativè judicet contractum aliquem ſpecificum eſſe uſurarium, debet practicè etiam judicare hunc individualem contractum ſub illo ſpecifico contentum eſſe uſurarium, adeoque ſibi illicitum.

Hinc generaliter, & per ſe loquendo, quale eſt judicium de honeſtate operis in communi, tale quoque debet eſſe in particulari; adeoque ſi dubites an aliquid liceat in communi, debes etiam dubitare an liceat in particulari. Interdum tamen, & per accidens practicum judicium conſcientiæ poteſt diſcrepare à judicio univerſali & ſpeculativo; nempè quando ſupervenit novus aliquis titulus, vel ſpecialis aliqua ratio ob quam homo prudenter formet judicium practicè certum, hoc vel illud ſibi licere: ratio autem immutandi hoc practicum judicium poterit eſſe deducta vel ex principiis intrinſecis, vel extrinſecis.

Nonnũquam tamen judiciũ practicũ poteſt diſcrepare à ſpeculativo.

Petes, an ergo dubietas ſpeculativa poſſit conſiſtere cum certitudine practica de eodem objecto.

Reſp. affirmativè: pro quo,

Nota; quando intellectus eſt dubius, quia videlicet pro utraque parte contradictionis ſunt urgentia motiva, quænam pars ſit vera, quænam falſa. Si tamen factâ diligentiâ nequeat veritas indagari ſolvendo rationes alterius partis, & ſi de poſt pro una parte ſuperveniat novus titulus, vel nova ratio ſpecialis, qualis eſt auctoritas virorum prudentum hanc partem aſſerentium, conſuetudo patriæ, poſſeſſio, vel aliqua alia ratio deſumpta ex motivo extrinſeco, tunc intellectus adhærebit illi parti, formabitque de ea judicium practicè certum, de qua ante dubitabat: quia tamen motivum intrinſecum pro parte oppoſita non eſt evidenter ſolutum; hinc adhuc remanebit dubium ſpeculativum: ſic v. g. aliquis dubitat an in monte pietatis ſit licitum aliquid accipere ultra ſortem, quia videtur uſura: depoſt advertit definitionem Leonis X. in Concil. Lateran. quâ definit in monte pietatis aliquid licitè poſſe accipi ultra ſortem: hæc auctoritas Pontificis eſt motivum extrinſecum tollens omne dubium practicum, eſtque fundamentum

Digitized by Google

damentum formandi practicum judicium, quo quis judicat licere tali Monti aliquid accipere ultra ſortem.

Petes, an in moralibus judicium de objecto ſit ejuſdem rationis cum judicio de operatione.

Quomodo, & quãdo judiciũ, de objecto ſit conforme judicio de operatione.

Reſp. Affirm. per ſe loquendo & poſitis eiſdem circumſtantiis; quia judicium de operatione infertur tamquam concluſio practica ex judicio de objecto tamquam ſubſumpto: unde ſi unum ſit probabile, & alterum erit probabile; ſi unum ſit certum, alterum etiam erit certum; ſiquidem concluſio nequit excedere certitudinem præmiſſarum; quin imo ſemper ſequitur debiliorem partem antecedentis: hinc ſi dubitem quod hæc ſit mea uxor, debeo quoque dubitare mihi eſſe licitum ad hanc accedere.

Dixi *per ſe, & poſitis eiſdem circumſtantiis*; quando enim pro judicio particulari militat probabilis ratio, vel titulus, prout ſupra diximus, poterit judicium de operatione formari certum, exiſtente dubio de objecto: ſic enim fœmina poterit dubitare an matrimonium ſuum valeat, & tamen in caſu quo maritus exiſtens in bona fide petit debitum, poterit formare judicium quod licitè poſſit illud reddere: ita quoque Sacerdos poteſt dubitare an aqua ex ſale ſit materia baptiſmi, & tamen in caſu neceſſitatis poterit certum judicium formare, ſibi licere in tali aqua baptiſare.

DUBIUM. II.

Quot peccata committat agens contra dictamen Conſcientiæ.

Per ſe loquendo non eſt ſpeciale peccatũ agere contra cõſcientiam.

DIco per ſe loquendo non eſſe ſpeciale peccatum agere contra conſcientiam; ſiquidem agere contra illam non eſt aliud quam ſcienter admittere aliquod peccatum; major autem vel minor ſcientia non diverſificat ſpecie actus, utpote quæ ſit tantum circumſtantia generalis aggravans vel minuens: hinc furari vel fornicari contra conſcientiam non eſt aliud, quam ſcienter furari vel fornicari. Quod ulterius probatur; quia agere contra conſcientiam eſt conditio generalis inexiſtens omni peccato, ſicut eſt, eſſe contra præceptum: ſiquidem omnis ille qui peccat, non poteſt invincibiliter ignorare legem quam tranſgreditur; unde conſequenter requiritur ut aliquo modo ſciat, ita ut ſaltem advertere poſſit & teneatur, id quod omittit ſibi eſſe faciendum, vel omittendum quod facit: eapropter ſicuti peccatum ex eo præcisè quod ſit contra præceptum non contrahit ſpecialem aliquam malitiam, ſed generalem in omni ſpecie malitiæ incluſam; ita quoque ex eo quod peccatum ſit contra conſcientiam non contrahit ſpecialem malitiam.

Petes, unde peccatum contra con-

conſcientiam commiſſum diſumat ſuam ſpeciem.

Unde-nam peccatum contra côſcientiam deſumat ſpeciẽ.

Reſp. ex materia particulari in qua putatur verſari, ſeu ex ordine ad particulare præceptum cui putatur adverſari: ſic v. g. ſi putes rem quam accipis eſſe alienam, quæ interim à parte rei ſit tua, illa acceptio erit peccatum furti: ſimiliter ſi putes eſſe diem feſtum, qui à parte rei non eſt, & omittas ſacrum, peccas contra præceptum audiendi ſacrum in die feſto. Ratio horum eſt; quia peccata accipiunt ſpeciem ab objecto, non prout eſt à parte rei, ſed prout a ratione proponitur.

Petes, quid ſi quis faciat aliquid contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum in genere, abſtrahendo à mortali vel veniali quale peccatum committet.

Reſp. quod ſi quis actu dubitet, an id quod facit, ſit peccatum mortale vel veniale, & interim illud agat, indubiè peccabit mortaliter; quia ſic agens exponit ſe periculo peccandi mortaliter. Quod ſi tamen hæc dubitatio non occurrat, ſed tantum in genere quis putat opus, quod facit, eſſe malum, & tamen facit, peccabit quoque mortaliter; partim propter periculum peccandi cui ſe exponit; partim quia ſic videtur affectus, ut ſi ſciret eſſe grave peccatum, nihilominus illud committeret.

Per accidens

Dico 2. agere contra conſcientiam poteſt per accidens eſſe peccatum diſtinctæ ſpeciei; ut ſi quis contra conſcientiam agat ut eam extinguat, idque ne amplius remordeat: ratio eſt, quia talis contemnit regulam omnis bonæ operationis; & conſequenter exponit ſe periculo omnis peccati: unde ſicuti in contemptu formali ſuperioris malitia ſpecialis eſt, ita quoque in contemptu conſcientiæ.

peccatum contra côſcientiam poteſt eſſe diſtinctæ ſpeciei.

Petes, quomodo voluntas poſſit agere contra conſcientiam, cum illa nequeat agere contra judicium actuale ipſius intellectus, ne alioqui detur actus voluntatis ſine objecto.

Quomodo voluntas poſſit agere contra conſcientiã.

Reſp. cum judicio actuali quo judicamus aliquid eſſe præceptum, ſimul ſtare aliud judicium, quo judicamus exequi tale præceptum eſſe moleſtum; & ita poſſumus rem præceptam nolle exequi ſtante judicio dictante nos ad hoc teneri, quod eſt agere contra conſcientiam

DUBIUM III.

Quotupliciter dividatur conſcientia.

Multiplex diviſio côſcientiæ.

RESP aliter myſtici dividunt conſcientiam, aliter ſcholaſtici. Myſtici eam dividunt ex Scriptura 1. in bonam, & malam; de priori agit Apoſtolus 1. ad Tim. 1. *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* De poſteriori agitur in Epiſt. ad Tit cap. 1. *Inquinata ſunt eorum & mens, & conſcientia.*

Secun-

Secundò, eam dividunt in cauteriatam, & perturbatam: de prima habetur 1. ad Timoth. 4. *in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*. Eſt autem conſcientia cauteriata, quæ ita obduruit, ut vulnus ſuum non ſentiat: qualis eſt hominum ebrioſorum, luxurioſorum, & ex conſuetudine peccantium, qui ita habituati ſunt in peccatis, ut conſuetudo peccandi ſit illis quaſi verſa in naturam. De ſecunda dicitur in Ep. Judæ *Væ illis, qui in via Caïn abierunt &c.*

Tertiò eam dividunt in phariſaicam, laxam, ſupinam & delicatam.

Phariſaica, eſt eorum qui excolantes culicem, glutiunt camelum, id eſt, qui parva magni faciunt, & magna parvi.

Laxa, eſt eorum, qui ſolum mortalia curant. Supina, eſt eorum, qui nolunt intelligere ut bene agant. Delicata eſt, quæ culpam agnoſcit, ubi culpa non eſt: & hæ diviſiones à myſticis factæ in recto conveniunt conſcientiæ ſumptæ pro ipſa anima.

Diviſio conſciētiæ ſecundū ſcholaſticos, quæ accipitur à diverſo modo quo intellectus tendit in obiectum.

Aliter conſcientiam dividunt Scholaſtici; nempè in certam, erroneam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam: deſumitur autem hæc diviſio à diverſo modo quo intellectus ſe habet in judicando de operis honeſtate; ſeu, ut clarius dicam, à diverſo modo intellectus tendendi in objectum; ſi enim intellectus nihil determinet, ſed hæreat anceps circa objecti bonitatem & malitiam, exſurgit conſcientia dubia; ſi verò is determinatè judicet; tunc vel judicat ex probabili motivo cum formidine tamen de oppoſito; & exurgit conſcientia probabilis; vel judicat ſine formidine & exurgit conſcientia certa: & tunc quidem vel judicat opus eſſe tale quale eſt à parte rei; & exurgit conſcientia ſpeculativè certa; vel præmiſsâ debitâ diligentiâ judicat opus honeſtum, quod à parte rei eſt inhoneſtum, & exſurgit conſciētia practicè certa. Conſcienta erronea eſt quæ judicat objectum eſſe tale quale non eſt à parte rei.

Nota ſupradictas conſcientias dici tales vel intrinſecè, id eſt ratione practici dictaminis de rei bonitate vel malitiâ, quod illud ſit verum, falſum, dubiūm, probabile, vel ſcrupuloſum; vel extrinſecè ratione fundamenti ſeu cognitionis ſpeculativæ, quæ ſit vera, probabilis, falſa, dubia, vel ſcrupuloſa: ſic in exemplo Jacob, judicium, quo judicabat licere ſibi accedere ad Liam erat practicè verum ſeu rectum, ſpeculativè verò falſum & erroneum; nam falſum erat ſubſumptum, nempè, hæc eſt mea uxor; adeoque conſcientia quam formabat erat intrinſecè certa, licet eſſet extrinſecè dubia; ſimiliter ſpeculativè dubitans an poſſideat rem alienam an ſuam, certam ſibi format conſcientiam quod illam non teneatur reſtituere ex privilegio poſſeſſionis: ita quoq; judicium de admini-

miniſtrando Baptiſmo infanti in digito in neceſſitate, eſt intrinſece certum, etſi extrinſecè ſit dubium: inſuper ſcrupuloſus dubitans an confeſſus ſit certa peccata, poteſt ſibi formare conſcientiam practicè certam ſe illa non debere confiteri ob auctoritatem confeſſarii; quæ conſcientia eſt practicè & intrinſecè certa, & ſpeculativè ſeu extrinſecè dubia.

Hic tamen bene notandum, qnod adhuc ſupra tetigimus quod, quando dicitur judicium aliquod ſpeculativè dubium vel falſum, practicè verò verum & rectum; tunc neceſſariò fieri comparationem ad diverſa objecta; ſiquidem per hoc ſignificatur quod judicium, quod eſt ſpeculativè falſum vel dubium, poſſit ratione ſuæ probabilitatis eſſe fundamentum alterius judicii, quod ſit practicè verum & rectum: ita judicium, quo Jacob judicabit Liam eſſe Rachëlem uxorem ſuam, erat quidem ſpeculativè falſum; attamen practicè verum; nempè in ſenſu cauſali: quia nimirum erat cauſa ſeu fundamentum alterius judicii practici veri nempè quo judicabat licitum ipſi eſſe accedere ad hanc mulierem.

Petes, an ſint eadem conſcientia ſpeculativa, & practica: item ſpeculativè dubia, & practicè dubia.

Alia eſt conſcie tia ſpeculativa, alia practica, alia

Reſp. nequaquam ut patet ex dictis; nam tunc eſt conſcientia ſpeculativa, quando quis cognoſcit aliquid eſſe bonum, vel malum in genere; a leoq; licitum vel illicitum: tunc verò practica: quando quis in particulari judicat aliquid eſſe bonum, vel malum, agendum, vel omittendum: ſimiliter illa vocatur conſcientia ſpeculativè dubia; quæ extra exercitium actionis dubitat aliquid eſſe licitum, vel illicitum; practicè verò dubia, quando quis hic & nunc tempore operis præſtandi dubitat, ſitne illud hic & nunc ſibi licitum, vel illicitum.

ſpeculativè dubia, alia practicè.

DUBIUM IV.

Quid & quotuplex ſit conſcientia vera, ſeu recta.

DICO 1, conſcientia alia eſt ſpeculativè recta, alia practicè, illa non eſt aliud quam judicium intellectus eo modo objectum ſuum repræſentans, ſicuti à parte rei ſe habet. Practicè recta eſt judicium prudens, & practicum de bonitate vel malitia actus, quod infertur ex duabus præmiſſis ſaltem practicè veris. Pro cujus intellectu.

Conſcientia alia ſpeculativè recta, alia practicè.

Nota: præmiſſas quandoq; eſſe veras tam ſpeculativè quam practicè, & tunc emergit conſcientia omnimodè recta: exemplum hujus eſt concluſio hujus ſyllogiſmi; licitum eſt viro conjugato tempore & loco debito accedere ad ſuam legitimam uxorem; hæc eſt mea legitima uxor ergo licitum eſt mihi viro conjugato ad hanc accedere.

Nota 2. unam præmiſſam quandoque eſſe ſpeculativè falſam, & ſolum

Digitized by Google

ſolum practicè veram, qualis eſt in hoc ſyllogiſmo formato à Patriarcha Jacob; licitum eſt viro accedere ad ſuam uxorem; hæc eſt mea uxor, nempè prout prudenter præſumo; ergo. Ubi vides minorem eſſe ſpeculativè falſam, attamen practicè veram,

Conſcientia practicè recta eſt regula actuum humanorum.

Dico 2. hæc conſcientia practicè recta eſt proxima regula actuum humanorum bonorum; ſiquidem omnis actio humana cenſetur recta, quando eſt conformis proximæ ſuæ regulæ, ſicuti perfectio omnis rei menſuratæ conſiſtit in conformitate ad ſuam menſuram: proinde hæc eſt quæ omnem actum humanum debet præcedere & concomitari; cum enim per intellectum debeat objectum voluntati proponi, utpote quæ non feratur in incognitum, illud dictamen intellectus, utpote practicum, quod eſt proxima regula actionum voluntatis eſt conſcientia recta.

Dixi, conſcientiam rectam eſſe menſuram actum bonorum, quia malorum propriè eſſe non poteſt, niſi indirectè, in quantum illos improbat & reprobat, oſtendendo illorum malitiam.

Peteſ, unde proximè deſumatur rectitudo conſcientiæ.

Rectitudo cõſcientiæ proximè deſumitur ab objecto.

R. ab objecto prout eſt conforme legi æternæ: quia tamen ſæpè ignoramus conformitatem objecti cum lege æterna, ideo nobis data eſt proxima regula, nempè recta ratio; ita ut tunc præſumere poſſimus actionem noſtram eſſe conformem legi æternæ, dum eſt conformis rectæ rationi.

Petes, quandonam ratio noſtra cenſeatur practicè recta.

Reſp. quando eſt conformis appetitui recto; ita ut illud judicium rationis cenſendum ſit rectum quod præmiſsâ debitâ diligentiâ concluditur ex principiis moralibus à viro probo & prudente.

Dices, appetitus dicitur rectus quia eſt conformis rectæ rationi, ergo recta ratio nequit appellari recta quia eſt conformis appetitui recto, quia committeretur circulus.

Quomodo recta ratio pendeat ab appetitu.

Reſp. negandò aſſumptum; ſiquidem recta ratio dicitur dependere ab appetitu recto in quantum dependet à voluntate viri prudentis & pii; nam ipſum judicium intellectus ſubeſt imperio voluntatis. Appetitus verò alio modo dicitur rectus à recta ratione, nempè quoad electionem mediorum ad finem, quæ ut ſit prudens, prærequiritur recta ratio:

Petes, quomodo conſcientia recta, ratione ſui objecti ſit conformis legi æternæ, quandoquidem ſæpè verſetur circa objectum à parte rei malum & illicitum, quod proinde Deus non judicat naturæ rationali, ut tali, conveniens.

Reſp. etiamſi objectum iſtud ſit materialiter malum, eſſe tamen formaliter bonum reſpectu hujus perſonæ, cui hic & nunc proponi-

tur ut veſtitutum omnibus ſuis circumſtantiis debitis, etiam invincibilis ignorantiæ, quod proinde dictat lex æterna tamquam bonum hic & nunc proſequendum.

Petes, an conſcientia recta omninò obliget ad faciendum, vel omittendum quod ipſa dictat.

Conſcientia recta obligat ad faciendũ, vel omittendum quod ipſa dictat.

Reſp. affirmativè: hæc verò vis obligandi oritur ex lege divina naturali quâ voluntas, utpote cæca, tenetur ſequi dictamen rationis ut ducem & proximam ſuam regulam, à qua ſi diſcedat, exponit ſe periculo committendi quodcumq; peccatum; non aliter ac cæcus ſine duce exponit ſe periculo labendi in omnes foveas.

DUBIUM V.

Quid & quotuplex ſit conſcientia erronea.

Definitio conſcientiç erroneç tam practicæ, quam ſpeculativæ.

CONſcientia erronea practicè, eſt judicium falſum circa rem moraliter operabilem deductum ex aliquo principio practico, & ſubſumpto falſo, vel collectum per vitioſam conſequentiam; ſeu, ut clariùs dicam, eſt dictamen intellectus præſcribens aliquid tamquam bonum faciendum quod tamen ſpectatis etiam particularibus circumſtantiis revera malum eſt; vel è contra dictans aliquid tamquam malum fugiendum quod revera bonum eſt.

Conſcientia erronea ſpeculativè, non eſt aliud quam judicium falſum intellectus, ſeu alio modo repręſentans objectum quam à parte rei ſe habet, nempe dictans bonum, malum; vel malum, bonum.

Petes, undenam oriatur error conſcientiæ erroneæ practicæ.

Reſp. vel ex ſubſumpto falſo, vel ex falſitate conſequentiæ: exemplum prioris eſt concluſio hujus ſyllogiſmi; quidquid à Deo prohibetur eſt malum; ſed omne juramentum à Deo prohibetur, ut Jacobi 5. *nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*; ergo omne juramentum eſt malum: ubi ex falſitate minoris infertur concluſio falſa, exemplum poſterioris eſt concluſio hujus ſyllogiſmi; quidquid Deus præcepit ſemper eſt ſervandum; ſed Deus præcepit obediendum ſuperioribus etiam diſcolis; ergo ſemper eis eſt obediendum: ubi concluſio apparet manifeſtè falſa; ſiquidem aliquando non poſſumus eis obedire: nempe ubi præcipiunt intrinſecè & manifeſtè mala: & licet utraque præmiſſa ſit vera, tamen propter vitium in forma non rectè infertur: ſiquidem omittitur in minori, *ſemper*, quod in conſequente ponitur; & propterea antecedens eſt verum conſequente falſo.

Diviſio conſcientiæ erroneæ in vincibilem & invincibilem.

Dico 2. dividitur conſcientia erronea in vincibilem, & in invincibilem.

Vincibilis eſt illa, quam quis præmiſsâ debitâ diligentiâ poteſt depo-

deponere. Poſterior eſt illa, quam quis præmiſsâ debitâ diligentiâ non poteſt deponere.

Petes, an conſcientia vincibiliter erronea poſſit ad libitum deponi.

Quomodo conſcientia erronea poſſit deponi.

Reſp. ſi fuerit formata ſine ulla ratione vel fundamento, poterit quoque ſine ulla ratione aut fundamento deponi; quia res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur: quod ſi verò cum fundamento fuerit formata, tunc quoque ad eam deponendam requiritur fundamentum & cauſa; alioquin enim temerè deponetur, & committetur peccatum ſimile illi, quod contra conſcientiam committeretur ab aliquo; nam exponeret ſe periculo peccandi.

Petes, quænam ſint media ad deponendam conſcientiam erroneam.

Reſp. inprimis humilis & frequens oratio 2. totius negotii diligens diſcuſſio 3. bonorum librorum, qui ea de re tractant, ſedula lectio. 4. conſilii a viris doctis & piis petitio, & ſui ipſius, qui legit vel audit, humilis ſubmiſſio: quæ media ſic ſunt neceſſaria, ut ſi per unum non attingatur veritas, adhibeantur alia: quibus adhibitis, & veritate non detectâ, error remanens cenſebitur invincibilis.

Ex quibus patet conſcientiam erroneam deponi poſſe vel per principia intrinſeca; qualia ſunt cauſa vel effectus ipſius rei, vel per principia extrinſeca; qualia ſunt auctoritas virorum doctorum, eorum exemplum &c.

Petes, an conſcientia vincibilis obliget.

Quomodo, & qualiter cõſcientia vincibilis obliget.

Reſp. affirmative: non quidem ut illam poſitivè ſequamur, & ſecundum ejus dictamen operemur: nam ſi illa dictat aliquid faciendum quod revera malum eſt, qui illam ſequitur ſine dubio peccabit; quippe cum teneatur illam deponere & errorem corrigere: ſed in tantum obligat in quantum homo non poteſt contra dictamen conſcientiæ erroneæ agere, illo nimirum ſtante & dictante aliquid eſſe faciendum, vel omittendum. Cujus ratio eſt, quia non tantum is qui de facto facit contra legem Dei, ſed etiam is qui putat ſe facere contra legem Dei, illam contemnit: qualis eſt is qui peccat contra conſcientiam vincibiliter erroneam.

Petes, ad quod peccati genus revocetur peccatum contra conſcientiam vincibiliter erroneam commiſſum.

Ad quod peccati genus revocetur peccatum contra conſcientiã vincibiliter erroneã admiſſum.

Reſp. ad illud, in quo homo putat ſe peccare: cujus ulterior ratio eſt, quia actus voluntatis accipit malitiam ab objecto prout illi ab intellectu proponitur; qui, ſi bonum proponat tamquam malum; adeoque fugiendum; jam peccabit voluntas illud acceptans illâ ſpecie peccati in qua apprehendit illud eſſe; eò quod cenſeatur habere affectum erga peccatum talis ſpeciei: ex quo ſequitur quod carnaliter cogno-

Digitized by Google

cognoſcens fœminam, quam erronee putat monialem, conſanguineam, vel conjugatam, ultra peccatum fornicationis ulterius committat peccatum ſacrilegii, inceſtus, vel adulterii; & qui opus aliquod ex ſe indifferens putat eſſe peccatum in genere, non deſcendendo ad aliquam ſpeciem, ſi illud committat, peccabit contra ſyndereſim dictantem malum fugiendum & bonum faciendum.

Petes, unde conſcientia vincibiliter erronea habeat illam vim obligandi ad non agendum contra illius dictamen.

Unde conſcientia erronea habeat vim obligãdi.

Reſp. ex lumine naturæ, quatenus dictat malum fugiendum, & voluntatem, utpote cæcam, non debere agere contra præſcriptum ſui ducis.

Petes, quis gravius peccet, an ſequens conſcientiam vincibiliter erroneam, an contra illam agens.

Uter gravius peccet, ſequens cõſciẽtiam vincibiliter erroneã, an contra illã agens.

Reſp. id generaliter determinari non poſſe, ſed dependere à gravitate rei, vel præcepti, quod conſcientia apprehendit: ſic v.g. qui apprehendit erroneè ſe obligatum ad mentiendum ſub mortali ut innocentem liberet à morte, contra illam agendo, peccabit mortaliter; illam vero ſequendo venialiter: qui verò erroneè putat licitum pejerare ut proximum à morte liberet, gravius peccat illam ſequendo, quam contra agendo; ſiquidem ſequendo, peccat contra religionem, non ſequendo, cõtra miſericordiam.

Petes; an conſcientia erronea magis obliget quam præceptum ſuperioris.

Reſp. affirmativè: ſi ſit invincibilis, quod eſt rariſſimum; præſumendum enim ſemper eſt conſcientiam vincibiliter erroneam eſſe quæ eſt contra mandatum ſuperioris; ſiquidem lex naturalis (ex qua immediate vim habet obligandi conſcientia invincibiliter erronea) cujus auctor Deus omnium ſuperior eſt, magis obligat quam præceptum humanum; quin imo magis quam præceptum poſitivum divinum; ſiquidem illud ſine iſta non habet completam vim obligandi; eò quod lex poſitiva egeat concurſu legis naturalis cujus eſt hoc præceptum: legitimo ſuperiori eſt obediendum; iſta verò ſe ſolo eſt completa: quod ſi verò conſcientia vincibiliter erret, magis obligat præceptum ſuperioris; quod inde probatur, quia per talem conſcientiam à præcepto ſuperioris non excuſamur, quippe cum obligemur illam deponere ad ſuperioris præceptum.

Magis obligat præceptũ ſuperioris quam conſcientia vincibiliter errans.

Petes, quomodo confeſſarius geret ſe cum pœnitente laborante conſcientiâ erroneâ.

Quomodo cõfeſſarius ſe geret cum laborante conſcientiâ erronea

Reſp. ſi laboret conſcientiâ vincibiliter erronea in re gravi, quod confeſſarius cautè indagabit, tenebitur illum monere & manifeſtare veritatem antequam illum abſolvat: ratio eſt, quia cum ſit in malo ſtatu, non eſt capax abſolutionis, niſi

niſi prævià monitione confeſſarii velit facere ad quod obligatur: quod ſi verò pœnitens laboret ignorantià invincibili, diſtinguendum eſt; vel enim illa verſatur circa aliqua præ-requiſita ad valorem abſolutionis, ut v. g. circa credenda neceſſitate medii ad ſalutem; & tunc ex parte confeſſarii eſt obligatio pœnitentem prævie inſtruendi antequam abſolvat: quod ſi verò ignorantia invincibilis verſetur circa res alias, quarum ignorantia pœnitentem non facit incapacem abſolutionis, tunc opus erit hâc diſtinctione; vel enim ex manifeſtatione timentur majora vel graviora mala, quam ex ſilentio, & tunc pœnitens relinquendus eſt in bona ſua fide; juxta illam regulam: *Ex duobus malis minus eſt eligendum*: in exemplo: confeſſarius novit matrimonium à pœnitente contractum eſſe nullum, quod invincibiliter à pœnitente ignoratur; & novit moraliter certò ex manifeſtatione nullitatis matrimonii ſecuturas graves rixas, & à pœnitente non petendam diſpenſationem ſuper impedimento dirimente; adeoque qui materialiter ante peccabat, peccaturum formaliter: quo caſu obligabitur confeſſarius veritatem tacere, pœnitentem relinquere in bona ſua fide: quod ſi verò ex veritatis detectione nullum tale timeretur incommodum; tunc confeſſarius ex officio obligabitur pœnitenti veritatem manifeſtare.

DUBIUM VI.

Quomodo, & qualiter obliget conſcientia invincibiliter erronea.

DIco primò: conſcientia invincibilis erronea eſt, quam quis adhibitâ debitâ diligentiâ deponere non poteſt: quali laborat ruſticus, qui dubitans an contractus aliquis ſit uſurarius deſuper conſulit Paſtorem, qui dicit non eſſe, cum tamen à parte rei ſit: quod ſi verò dictus ruſticus conſuluerit aliquem ſuæ ſortis virum indoctum, qui ei reſpondit licere, dicetur laborare conſcientiâ vincibiliter erroneâ, quam poteſt & tenetur deponere conſulendo doctiorem. Quid conſcientia erronea invincibilis.

Petes, quam multum excuſet conſcientia erronea à peccato. Quam multũ excuſet conſcientia erronea à peccato.

Reſp. tantum, quantum ignorantia excuſat: cum enim mater erroris ſit ignorantia, ſi hæc ſit talis ut tollat omne voluntarium, illa quoque excuſabit ab omni peccato.

Dico 2. conſcientia invincibiliter erronea non ſolum obligat ne quis contra ejus dictamen agat, ſed etiam ut eam poſitivè ſequatur. Probatur; quia recta ratio eſt proxima regula actuum humanorum, utpote imago legis æternæ; adeoque ſicuti conformitas actus cum illa, eſt ipſa actus bonitas, ità difformitas ab illa, eſt ipſa actus malitia: Adquid obliget conſcientia invincibiliter erronea.

ſed

ſed conſcientia erronea invincibilis eſt ratio practicè recta; ergo &c.

2. Quia voluntas accipit bonitatem vel malitiam ab objecto prout illud ſibi per rectum rationem proponitur: quare ſi ratio dictet illud ut prohibitum, debebit illud fugere; ſi verò dictet illud ut præceptum, debebit facere: unde quando objectum malum prudenter proponitur voluntati ſub ratione boni, quia videlicet omnibus bene examinatis putatur bonum; tunc actus voluntatis ſumit bonitatem ab illo; quando verò imprudenter proponitur voluntati ſub ratione boni, quod à parte rei malum eſt, tunc ab eo ſumit malitiam, utpote indirectè volitam. quorum ratio eſt, quia etſi bonitas actuum noſtrorum deſumatur ab objecto prout eſt conformè legi æternæ, proximè tamen eam accipit ab objecto prout eſt conforme rectæ rationi tamquam imagini legis æternæ.

Dices, ergo poterit quis obligari ad actum intrinſecè malum, v.g. ad mentiendum, dum per ignorantiam invincibilem quis judicabit ſe obligatum ad mentiendum idque ad fugiendum majus malum.

Reſp. ad malum materiale concedo, ad formale nego: ſiquidem id, ad quod is tunc obligatur, omnibus attentis, proponitur ſub ratione boni; objectum verò voluntatis, à quo accipit ſuam ſpeciem, non eſt opus à parte rei, ſed prout à conſcientia & ratione proponitur tamquam bonum.

Petes, an ergo percutiens laicum invincibiliter putans eſſe ſacerdotem, incurreret excommunicationem.

Reſp. neg. eſto enim peccaverit peccato formali ſacrilegii, non ſecus ac ſi ſacerdotem à parte rei percuſſiſſet, non tamen incurrit excommunicationem; quia illa tantum incurritur ob externam percuſſionem clerici.

Petes, an peccet qui carcere detentus putat ſe peccare non audiendo ſacrum in die feſto, quod ei omnino eſt impoſſibile.

Reſp. neg. quia omne peccatum debet eſſe voluntarium; talis verò omiſſio ſacri non eſt ei voluntaria; utpote non pendens ab ejus voluntate: unde quando diximus aliquem peccare agendo contra conſcientiam, ſuppoſuimus actionem, vel actionis omiſſionem debere à voluntate libere procedere: non tamen excuſaretur à mortali qui carcere detentus diceret ſe in die feſto nole audire ſacrum etiamſi poſſet.

Petes, an licitè quis poſſit inducere aliquem ad actum intrinſecè malum, quem ille ex ignorantia invincibili putat eſſe bonum.

Non eſt licitum aliquē inducere ad actū intrinſecè malum

Reſp. neg. nam ſi ex præcepto charitatis teneamur docere ignorantes ne peccent, quantò magis cavere debemus illos inducere in errores materiales; & ſi in Evangelio reprehendantur cæci, qui cæco duca-

quem ille invincibiliter putat bonum.

ducatum præbent; quantò magis erunt reprehenſibiles videntes qui cæcum in foveam ducunt.

Dices: licitum eſt Paſtori inducere conjuges ad redditionem debiti, quorum matrimonium novit eſſe nullum, quod illi invincibiliter ignorant; dummodo ſubſit juſta cauſa nullitatem matrimonii occultandi.

Reſp. concedendo ant: ſed dicimus hoc ex alio capite provenire: nempe, quia hic occurrunt duo præcepta incompatibilia nempe præceptum prohibens fornicationem, & præceptum obligans conjuges ad reddendum debitum; quæ cum non poſſint hic ſimul ſervari, dictat ratio ſervandum eſſe id quod magis obligat; magis autem obligat præceptum de reddendo debito illos qui putant ex ignorantia invincibili ſe eſſe veros conjuges, utpote clarum, quam præceptum prohibens fornicationem, quod non niſi velut materialiter tales, ſuppoſitâ illâ ignorantiâ, obligat. Unde non eſt mirum quod Paſtor tales inducere poſſit ad redditionem debiti, quando juſtam habet cauſam nullitatem matrimonii ipſis celandi: quia ex duobus malis prudenter eligere debet minus, eſt autem minus malum monere conjuges ut ſatisfaciant præcepto de ſequenda conſcientia invincibiliter erronea, quam eos monere de impedimento dirimente: eò quod ex hac manifeſtatione timeantur, ut ſupponitur, graviora mala.

Petes, an ſit licitum poſteà gaudere de actu voluntatis conformi judicio conſcientiæ invincibiliter erroneæ; v. g. an Petrus poſſit gaudere quod ex ignorantia invincibili conſumpſerit rem alienam de qua non eſt factus ditior, vel quod cognoverit uxorem alienam putans invincibiliter eſſe ſuam.

Reſp. tria in ſimilibus actibus eſſe ſpectanda; primò actum voluntatis. 2. Objectum. 3. Effectum inde ſecutum. Quod attinet ad actum voluntatis bonum ut ſic, licitum eſt de eo gaudere: de objecto verò cujus turpitudo jam nota eſt, etſi ante invincibiliter ignorata, non licet gaudere; v. g. Petrus poteſt gaudere de actu interno quo voluit pauperi dare eleëmoſynam ex pecunia aliena, quam bona fide putabat eſſe ſuam: poteſt quoque gaudere de effectu inde ſecuto, nempe ſubventione pauperis; non tamen de donatione pecuniæ alienæ, prout eſt objectum actus interni, quia illud objectum modò eſt turpe, etſi ante ob ignorantiam invincibilem putabatur honeſtum, ſiquidem putabatur donatio pecuniæ propriæ.

Petes, an conſcientia erronea non reddat quandoque hominem abſolutè perplexum, ita ut obligetur ad peccandum.

Reſp. quod non, quia licet non poſſit aliquis agere contra conſcientiam erroneam quin peccet, tamen non

Conſcientia erronea nunquã

Digitized by Google

absolute obligat ad peccādum. non tenetur abſolute ſecundum illam agere, quandoquidem poſſit & ſæpe teneatur illam deponere.

Petes, quid agere debeat ille qui erroneè putat utramque partem contradictionis eſſe peccatum, v.g. ruſticus aliquis in ſilva ſolus exiſtens ad cuſtodiam pecoris putat ſe teneri audire ſacrum in die feſto, quod non poteſt audire niſi deſerendo gregem: putat tamen etiam ſe non poſſe ſine peccato gregem deſerere. Item conjux dubitans de valore matrimonii putat ſibi non eſſe licitum reddere debitum, & etiam eſſe illicitum ſibi illud petenti conjugi negare; ſimiliter Paſtor in die feſto putat ſibi illicitum eſſe celebrare ſacrum non jejuno, putat quoque ſe teneri ſacrum celebrare, ut illud Parochiani audire poſſint?

Reſp. pro reſolutione ſimilium caſuum diſtinguendum eſſe; vel enim tales ſolummodo ſpeculativum habent dubium quod utraque pars contradictionis ſit illicita; cum quo bene conſiſtit quod ad alterutram ſeſe determinare poterunt formando judicium practice certum quod illa hic & nunc ſibi ſit licita, prout ſupra oſtenſum eſt. Et quidem ſi una pars ipſis omnibus attentis appareat tutior, illam poterunt & debebunt amplecti; juxta illud, in dubiis, tutior pars eſt eligenda. Si vero neutra appareat illis tuta, tunc amplecti debebunt illam in qua apparet minus periculi. Cenſetur autem illa eſſe minus periculoſa, in cujus electione levioris culpæ periculum eſt, quam in electione alterius. Suppono autem quod ſimiles dubitantes non poſſint hic & nunc alios peritiores conſulere ſuper ſuis dubiis, quia ſi poſſent, ad hoc tenerentur ut non temerariè agant. Vel tales etiam practice dubitant habentes conſcientiam hic & nunc utrimque dubiam: & tunc manente tali conſcientia utrimque dubia, neutrum poterunt agere ſine peccato; quia tunc agerent contra propriam conſcientiam, quod numquam licitum eſt. Debet ergo ille qui in ſimilibus anguſtiis eſt conſtitutus ut licitè alterutrum agat, deponere conſcientiam dubiam qua putabat hoc hic & nunc ſibi eſſe illicitum agere, & proinde peccatum; & formare ſibi conſcientiam qua putet ſibi hoc eſſe hic & nunc licitum ſic agere. Et quidem ſi conſcientia, qua putat unam partem eſſe peccatum, erat vincibiliter erronea, poterit & debebit illam depônere, & formare conſcientiam qua jam moraliter certo judicet non eſſe peccatum; Si vero conſcientiam utrimque habeat invincibiliter erroneam, (ſi tamen hoc fieri poteſt) equidem poterit illam mutare, formando ſibi conſcientiam qua judicet illam partem, in qua eſt minus periculum peccati, ſibi hic & nunc licere amplecti. Qui enim ſic eſt conſtitutus

tutus inter duo quæ apparent mala & quorum alterum neceſſario eligere debet, eligendo quod minus apparet omnibus attentis, non eligit peccatum, nec peccat, quia lex quæ prohibet illud minus, ceſſat obligare in concurſu alterius legis quæ prohibet majus aliud malum quod non poteſt vitari niſi eligendo illud minus.

Petes, an Deus poſſit diſpenſare ut quis agat contra conſcientiam invincibiliter erroneam.

Nō poteſt Deus diſpēſare ad agēdū contra cōſcientiā invincibiliter erroneam.

Reſp. neg. non plus quam contra legem naturæ: ratio eſt; quia formale peccati ſitum eſt in difformitate à recta ratione, ſive à conſcientia practicè recta: unde implicat contradictionem ut agatur contra conſcientiam, & non peccetur; quia eo ipſo aderit difformitas à recta ratione, adeoque ipſum peccatum.

Petes, unde conſcientia erronea habeat vim obligandi.

Unde cōſciētia erronea accipiat vim obligandi.

Reſp. & dico 1. ex lege naturæ; quia obligamur fugere omne peccatum. 2 Ex præceptis particularibus aliarum virtutum: nam ſi conſcientia erronea dictet v. g. hanc actionem eſſe præceptam ex virtute juſtitiæ vel religionis; ad hanc exercendam obligabit juſtitia vel religio; & ita de cæteris: cujus ratio eſt, quia virtutum præcepta non tantum obligant ad vitanda illis adverſa, ſed etiam ad ea vitanda quæ conſcientia invincibiliter erronea dictat adverſa.

QUÆSTIO II.

De Conſcientia probabili.

Quia vaga illa & effrænis quælibet opinandi licentia in his quæ ad mores & vitam inſtituendam pertinent hàc noſtrâ ætate in tantum invaluit, ut quidam quamlibet etiam tenuiſſimam probabilitatem ſufficere arbitrentur ad abſtergendum omne peccati periculum, & cohoneſtandum actum humanum, &, quod pudet referre, nihil ferè in tota doctrina morali ab aliquibus intactum relinquatur quod non probabiliter pro utraque contradictionis parte ab ipſis ſuſtineatur: unde contingit cum ſumma animarum pernicie diſciplinam Eccleſiaſticam penitus enervari, conſcientias relaxari, vitam plane libertinam induci, jus naturale, divinum, & humanum per metaphyſicas ſubtilitates & probabilitatum commenta in tantum explodi, ut graviſſima etiam crimina illis adverſa hoc probabilitatum velamine contegantur; ac tandem omnibus latiſſimam aperiri viam quæ ducit ad perditionem, ac de Religione Chriſtiana meram componi fabulam atque ludibrium: quas conſequentias animadvertens Sanctiſſimæ me-

 moriæ

moriæ Alexander VII. Pontifex Maximus tædere ſe ait novarum opinionum in hoc ſæculo ad moralem materiam introductarum, quibus diſciplina Evangelica reſolvitur, ac conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur. Quidni & omnes genuini eccleſiæ filii ingemiſcant; dum luce meridianâ clarius agnoſcunt hiſce libertatum fulcris quam plurimis animabus, præſertim libertinis, viam ſterni ad infernum?

Eapropter in præſenti quæſtione pro modulo noſtro indagabimus limites ad quos uſus probabilitatum ſine peccato ſeſe extendat; idque ut providi, pii, & zeloſi animarum curatores recognoſcant quouſque, quando, & quomodo in directione animarum uti poſſint probabilibus.

DUBIUM PRIMUM

Quid Probabile, & ex quo oriatur probabilitas.

Quid probabile.

DIco 1. probabile hic idem eſt, ac probabiliter, ſeu apparenter verum: eapropter hæc duo bene conſiſtunt, hoc eſt probabile, & oppoſitum eſt probabilius, ſeu probabilius verum: ita quoque utriuſque contradictionis partes poteſt quis ſimul judicare probabiles: quamvis enim alterutra contradictoriarum ſit falſa, nihilominus tamen verum eſſe poteſt illas videri ſimul probabiles [illegible] tamen hæc judicia ſimul ſunt compatibilia in eodem, hæc ſententia eſt probabilis; & oppoſita huic eſt certa: ſiquidem eo ipſo quo una pars contradictionis eſt probabilis, oppoſita non poteſt eidem eſſe certa; eò quod certitudo excludat formidinem de oppoſito, quæ tamen formido involvitur in omni opinione probabili.

Eo ipſo quo una contradictionis pars eſt probabilis, oppoſita nequit eſſe certa.

Dico 2. probabilitatem ultimatè provenire ex ignorantia & imperfectione noſtri intellectus; qui utrobique non poteſt aſſequi veritatem prout in ſe eſt, ſed prout illa veroſimiliter ex fallibilibus aliquibus ſignis colligitur: ac eapropter reſpectu Dei nihil eſt probabile, ſed totum certum, quippe qui omnem rem prout in ſe eſt penitus inſpicit.

Unde nam oriatur probabilitas.

Porro duo ſunt principia cauſantia probabilitatem alicujus propoſitionis; nempè intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca ſunt, cauſa, effectus, circumſtantiæ, definitio ipſius rei, item abſurda, & impoſſibilia inde deducenda: extrinſeca ſunt authoritas virorum doctorum, & piorum exempla &c. Eapropter ſiquis ob rationes oſtendentes majorem veroſimilitudinem in una contradictoriarum quam in alia illi aſſentiatur, erit ille aſſenſus probabilis per principia intrinſeca; ſi verò illi aſſentiatur ob majores & excellentiores auctoritates Doctorum, erit probabilis per principia extrinſeca.

Duo principia probabilitatis.

Dico,

Quomodo inter ſe differãt ſciencia fides, & opinio.

Dico 3. ſcientia, fides, & opinio ita inter ſe diſtinguuntur, ut ſcientia ſit aſſenſus evidens & certus ſaltem moraliter, ita ut non ſit prudentis deſuper dubitare. Fides eſt aſſenſus obſcurus & certus præſtitus ob auctoritatem perſonæ rem illam affirmantis. Opinio eſt aſſenſus unius propoſitionis cum formidine quod oppoſita ſit vera. Aſſenſus verò eſt judicium quo judicatur quod propoſitio aliqua ſit vera, ſicuti diſſenſus eſt judicium quo judicatur quod propoſitio aliqua ſit falſa.

Quid opinio ſpeculativè verã.

Dico 4. opinio aliqua poteſt eſſe ſpeculativè, item practicè vera: tunc eſt ſpeculativè vera, quando judicat aliquid in communi verum aut falſum, licitum aut illicitum quod revera tale eſt a parte rei tunc

Quid practicè

autem eſt practicè vera, quando judicat aliquid in particulari attentis omnibus circumſtantiis hic & nunc verum aut falſum, licitum aut illicitum.

Petes, an judicia illa ſpeculativa & practica non debeant inter ſe eſſe conformia; adeoque an intellectus judicans in univerſali aliquid eſſe verum aut falſum, licitum aut illicitum; non debeat idem judicare de omni particulari quod ſub illo univerſali continetur.

Judicia ſpeculativa & practica per ſe debent eſſe conformia.

Reſp. per ſe loquedo affirmativè: ſiquidem, ut adhuc ſupra inſinuavimus, abſurdum foret opinari aliquid in univerſali & communi eſſe illicitum, & interim illud in particulari judicare nobis eſſe licitum; quæ intellige, quando ipſum univerſale & particulare capiuntur utrobique veſtita eiſdem circumſtantiis. Cujus ratio eſt; quia tunc utrobique eſt una & eadem ratio opinandi.

Petes, an judicium practicum quandoque non poſſit diſcordare à ſpeculativo; ita ut practicum ſit certum, ſpeculativum autem tantum probabile.

Judicium practicũ per accidẽs quandoque diſcordat à ſpeculativo.

Reſp. affirmativè: ſed per accidens tantum: quod tunc contingit, dum res quæpiam conſideratur in particulari cum quibuſdam circumſtantiis, cum quibus non fuit conſiderata in unverſali, quod ſemper verum eſt dum ſupervenit nova aliqua ratio, nova authoritas, novus titulus, aut nova cauſa poſt adhibitam diligentiam debitam, dans fundamentum variandi in praxi ipſum judicium ſpeculativum, & judicandi in particulari licitum, quod in univerſali judicabatur illicitum: prout patet in illo qui licet abſolutè judicet illicitum eſſe accipere rem alienam, ſuperveniente nihilominus neceſſitate extrema, judicat ſibi licitum rem alienam accipere; eò quod extrema neceſſitas ſit titulus ſufficiens ad variandum judicium ſpeculativum. Et quia judicium ſpeculativum non eſt proxima regula actuum humanorum, ſed practicum; hinc hujus potiſſima habenda eſt ratio.

Petes, an ex eiſdem principiis

pendeat veritas judicii ſpeculativi & practici.

Veritas judicii ſpeculativi & practici non pendet ex eiſdem principiis.

Reſp. neg. quia prior pendet à principiis intrinſecis, poſterior verò potiſſimum à principiis extrinſecis: ex quo conſequenter fit, quod licet cognitio aliqua ſpeculativa ſit probabilis, practica poſſit eſſe certa; ſi nimirum eliciatur ob aliquod principium practicum certum: neque enim principia practica deſumuntur ex rei vel objecti veritate, ſed ex circumſtantiis, aliiſque titulis hinc inde ſupervenientibus.

DUBIUM. II.

An conſcientia probabilis, ſeu judicium opinativum poſſit eſſe proxima regula directiva actuum humanorum.

QUod eſt petere, an is qui ſequitur aliquam ſententiam cum formidine quod ſit falſa, poſſit ex hoc ipſo ſolo habere certitudinem moralem quod licitè & honeſtè operetur.

Conſcientia probabilis nequit eſſe regula directiva actuũ humanorum.

Reſp, neg. & ratio fundamentalis patet ex ante dictis: quia proxima regula actuum humanorum debet eſſe judicium prudentiæ, quæ tendit in objectum abſque ulla formidine quod poſſit eſſe falſum, qualiter non tendit opinio, quippe quę tendit cum formidine de oppoſito: quod inde patet; quia opinio, ſeu conſcientia probabilis deducitur tamquam concluſio ex doctrina univerſali quæ continetur in prima præmiſſa & ſubſumpto probabili, quæ proinde non poteſt habere majorem certitudinem quam habeant ipſæ præmiſſæ, eò quod concluſio ſequatur debiliorem partem antecedentis; eapropter ſi præmiſſæ ſint tantum probabiles, concluſio tantum poteſt eſſe probabilis.

Dices quandocumque formatur conſcientia probabilis interveniunt duo judicia, unum pure probabile, quo nempe judicatur objectum probabiliter ſolum honeſtum; aliud verò certum & evidens, quo intellectus judicat licitum eſſe operari ſecundum ſententiam probabilem.

Hoc judicium licitum eſt ſequi ſententiam probabilem, non eſt certum aut evidens.

Reſp. quidquid ſit de antecedente; negandum tamen eſt illud ſecundum judicium eſſe certum & evidens, ſiquidem illud nequit habere majorem certitudinem, quam primum cui innititur; ſed primum eſt tantum probabile; ergo & ſecundum: nam ſi infirmum ſit fundamentum, totum quoque ædificium quod illi incumbit, vacillabit; ac eapropter nemo poteſt eſſe certus & ſecurus, qui incertis tantum & dubiis nititur rationibus.

Dices: quicumque ſequitur ſententiam probabilem, eſto non ſit certus ſpeculativè an ſit licitum id quod tale judicat, tamen eſt certus practicè; quia nimirum certum in praxi format judicium prudenter operari illum qui ſequitur ſententiam probabilem.

Reſp.

Reſp. judicium illud practicum eſſe planè falſum, eò quod prudentia non poſſit errare ſeu errorem ſequi, quod faceret ſequendo ſententiam probabilem, quippè quę poſſit eſſe falſa.

Porrò quomodò poteſt hæc ſententia eſſe certa, quæ ait licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem; cui contrariantur non ſolum maxima rationum pondera, ſed & maximorum & plurimorum Doctorum tam Italiæ, quam Galliæ, & Belgii authoritates, qui dogma illud tamquam malorum omnium ſentinam in moribus reprobant illique conſtantiſſimè contradicunt.

Profectò ſi ut aliqua ſententia ſit probabilis, ſufficiant; juxta aliquorum placitum, tres, aut quatuor Doctores illam aſſerentes tamquam probabilem: cur tot Doctorum Parochorum & Epiſcoporum Galliæ, Italiæ, & Belgii authoritates non ſufficient ad huic oppoſitam reddendam probabilem, nempe non eſt licitum ſequi ſententiam probabilem: unde ſequitur non eſſe certam hanc ſententiam quæ aſſerit licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem.

Dices illa regula morum eſt in praxi tuta quæ paſſim ab omnibus Doctoribus ut talis admittitur; ſed omnes DD admittunt in materia morali licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem; ergo.

Reſp. neg. ſubſumptum; ut patet ex ante dictis: & ſi quidam ex melioribus & antiquioribus DD, hoc aſſerant, interpretandi ſunt de probabilitate ſententiæ habentis annexam certitudinem moralem: prout ex ſequentibus adhuc magis patebit. Et dein authoritas DD. eſto apud rudes & indoctos faciat certitudinem moralem, non tamen apud doctos, apud quos ipſorum authoritas non habet majorem efficaciam, quam rationes quibus innituntur.

Quæ ut melius intelligantur: Notandum, cum in rebus moralibus impoſſibile ſit habere omnimodam & metaphyſicam de rebus omnibus certitudinem (unde nec ad illam habendam Deus nos obligavit) poſſe tamen haberi moralem, ad quam obtinendam obligantur fideles ad hoc ut honeſtè & licitè operentur, ne alioqui ſe peccatorum periculis exponant. Cum autem hæc moralis certitudo haberi non poſſit ex hoc fallibili fundamento ante recenſito, nempe, *licitum eſt ſequi ſententiam probabilem*, illa aliunde venit deſumenda; quæ quamvis in difficultatibus occurrentibus frequenter haberi non poſſit per rationes intrinſecas; tamen ſemper obtineri poteſt per principia extrinſeca, cujuſmodi ſunt virorum Doctorum authoritas, conſuetudo hominum piorum & proborum, præſcriptio, poſſeſſio, exempla piorum &c. ſuper quibus proinde fundanda eſt certitudo conſcientiæ; non verò ſuper incertitu-

In rebus moralibus impoſſibile eſt ſemper habere certitudinē metaphyſicā poteſt tamen ſemper inveniri moralis. Quæ haberi non poteſt hac regula: licitum eſt ſequi ſententiam probabilem.

titudine hujus aſſerti, *licitum eſt ſequi ſententiam probabilem.*

Quomodo moralis hæc certitudo in quacumq; re poſſit haberi.

Nec difficile erit pro praxi hanc moralem certitudinem obtinere; nam qui debet operari, vel eſt doctus, vel indoctus: ſi indoctus, ut plurimum certificari poterit conſilio ſui Paſtoris, confeſſarii, aut alterius viri docti & pii, quorum authoritas illi ordinariè ſufficit ut ipſe prudenter operetur, Si verò qui vult operari ſit vir doctus, habens rationem aliquam probabilem de operis ſui honeſtate, poterit ſtatim fieri certus præmiſsâ aliquâ diligentiâ ſuper cognitione principiorum moralium: & quod ſi interea ejus conſcientia non pacificetur, & urgeat neceſſitas operandi, poterit uti hoc principio, *ex duobus malis minus eſt eligendum*: quod ſi verò non urgeat neceſſitas operandi & adhuc duret formido de oppoſito, debet abſtinere ab opere; donec reddatur moraliter certus de illius honeſtate; nec hoc mirum quia tantam oportet nos adhibere diligentiam ut inveniamus veritatem pertinentem ad ſalutem animæ, quantam prudenter ſolemus adhibere in rebus corporalibusmagni momenti.

Ex quibus omnibus conclude: ſententiam probabilem numquam poſſe eſſe regulam directivam actionum noſtrarum, niſi aliunde habeat annexam certitudinem moralem.

Petes, quid ſit ſententia probabilis.

Quid ſententia probabilis.

Reſp. illa à Philoſopho definitur hoc modo; quæ videtur omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, & iis vel omnibus, vel maximè familiaribus, & probatis. Recentiores verò Theologi, illam magis dilatantes, definiunt, quod ſit illa quæ innititur rationi vel authoritati magni momenti, & pro oppoſita nihil habet convincens.

DUBIUM III.

An authoritas unius Doctoris ſufficiat non tantum ad reddendam ſententiam aliquam abſolutè probabilem in materia morali, ſed etiam ad reddendam illam tutam in praxi.

RESP. ſic pleroſque recentiores ſentire conformiter ſuæ definitioni ſupra datæ: ſiquidem auctoritatem unius viri docti & probi illi cenſent magni momenti, præſertim ſi non inconſideratè, ſed poſt perſpecta rationum pondera, talem doctrinam ſit amplexus. Si enim, inquiunt, agatur de quæſtione facti, quod contigit Romæ, probabile id mihi faciet vir fide dignus inde veniens & hoc aſſerens cur nön ſimilem fidem merebitur auctoritas viri docti & pii aſſerentis in materia morali aliquid tamquam verum: unde infert Caramuel; quærenti an hoc vel illud liceat, ſufficit reſpondere, Diana dixit: quibus rejectis.

Sententia unius doctoris non ſufficit ad cauſan-

Di-

dã probabilitatem abſolutam.

Dico primò unius Doctoris auctoritatem communiter & per ſe loquendo non ſufficere ad faciendam abſolutam probabilitatem & ſententiam tutam in praxi.

Probatur 1. ex definitione Philoſophi ante data; quippe quæ uni ſoli videntur, non videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus; ergo quæ uni ſoli videntur, per ſe non ſunt probabilia.

2. Unico teſti non habetur fides in judicio in præjudicium alicujus tertii; ergo nec illa venit adhibenda uni viro docto.

3. Quia Academia Lovanienſis ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis hunc Articulum proſcripſit; *auctoritas unius Doctoris probi & docti reddit opinionem probabilem.* Quam propoſitionem ut pernicioſam in materia doctrinæ moralis, & innumeras abſurditates invehentem ipſa damnavit.

4. Si ſufficiat auctoritas unius viri docti ad reddendam opinionem probabilem & tutam in praxi; ſequetur aliqua maximè abſurda, à ratione naturali, & communi fidelium ſenſu aliena, ab aliquibus tamen Doctoribus aſſerta, poſſe tutò practicari: ut hæc ſequentia: licere clerico aut religioſo qui vilem fœminam cognovit, eam occidere, quando periculum foret ne factum evulgaret, & ipſum infamaret. Et iterum, licere religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem, occidere quando alius defendendi modus non ſuppetit. 3. Licere falſum accuſatorem, teſtes, & judicem occidere, quando aliter oppreſſio innocentis impediri nequit. 4. Licere procurare abortum ante animationem fœtus ut conſulatur vitæ, aut honori puellæ. 5. Concubinarium non teneri pellere domo concubinam, quando eâ relictâ vitam triſtius tranſigeret, dummodò polliceatur ſe deinceps cum ea non peccaturum. 6. Abſolvendos eſſe juvenes toties quoties ſe polluunt atque reincidunt in eadem peccata mortalia; eſto ab his non conentur abſtinere. 7. infidelem, cui proponitur catholica fides ut credibilior, non teneri ad illam recipiendam quamdiu ejus ſecta illi apparet credibilis. 8. Quemque in ſua religione, quam probabilem putat, poſſe ad ſalutem pervenire. 9. Dare pecunias pro beneficio, tamquam motivum quo voluntas collatoris permoveatur ad illud conferendum, non eſſe ſimoniam, ſi non dentur ut pretium beneficio æquale: & plurima ejuſmodi monſtroſa opinionum portenta, à quibus ipſum rationis lumen, non offuſcatum fuligine concupiſcentiarum, abhorret. De quibus Reverendiſſimus Epiſcopus Gandavenſis Antonius Triestius in Epiſtola ſua Paſtorali ad clerum ſuæ diœceſis ſic loquitur. Experimur quotidie tantâ paſſim licentiâ novas & laxas in materia morali excogitari opiniones ut vix quid-

Digitized by Google

quam illicitum futurum ſit, ſi quorundam placitis acquieſcamus; nec ullum penè præceptum poſitivum aut naturale, quod quæſtuoſis illorum probabilitatibus obnoxium non ſit, & eludatur: uſque adeo ſtudent peccata omnia fucare & obvolvere, aut è medio tollere, arctamque cæli viam, reclamante Chriſto Domino, dilatare.

Dices, id quod aſſerunt decem Doctores eſt probabile, ſed decem Doctores aſſerunt ad probabilitatem ſufficere auctoritatem unius Doctoris, ergo unus Doctor poteſt facere ſententiam abſolutè probabilem.

Reſp. negando conſequentiam; & dico quod quando Doctores dicunt auctoritatem unius ſufficere ad conciliandam probabilitatem alicui ſententiæ, id intelligi de Doctore adeo excellenti, ut auctoritas ejus quæ in optimis rationibus prudenter præſumitur fundata, præponderet quam pluribus aliis; & etiam intelligunt de tali ſententia, quæ non repugnet communi, nec ab aliis ut falſa & improbabilis paſſim reprobetur. Alioqui opinio aſſerens unum doctorem per ſe ſufficere ad probabilitatem ſententiæ generaliter & abſque reſtrictionibus prædictis intellecta, repugnat communi torrenti doctorum, quæ proinde meritò tamquam pernicioſa in materiâ morali proſcribitur.

Petes, an ergo Parochianus ſimplex & rudis, non poſſit ſequi ſententiam ſui Parochi, non tantum ut probabilem, ſed & ut practicè certam: & an idem non ſit dicendum de pœnitente reſpectu confeſſarii: item de diſcipulo reſpectu ſui magiſtri.

Quãdo & quomodo parochianus poſſit tutò ſequi ſententiam ſui parochi, item diſcipulus ſui magiſtri.

Reſp. talem poſſe tuto ſequi ſententiam ſui Paſtoris, aut Confeſſarii in illis ad quæ ſcienda non obligatur adhibere majorem inquiſitionem; illa enim diligentia quam adhibent ad vincendam ſuam ignorantiam, petendo conſilium à ſuo Paſtore, aut Confeſſario reſpectu rudium *ordinarie* eſt ſufficiens ut error, ſi quis in illis remaneat, cenſeatur invincibilis ſaltem in iis quæ ſunt juris poſitivi. Habent enim fundamentum judicandi, quod nemo promoveatur ad illa officia niſi ſint ſufficienter docti ut alios rudiores poſſint inſtruere. In illis autem quæ requirerent majorem diligentiam ut ſciri poſſint, vel quæ aliunde ſufficienter ſciri poſſunt, non excuſaretur aliquis ex hoc quod ſequeretur ſententiam ſui Paſtoris aut Confeſſarii; verbi gratia ſi ille reſponderet contra communia juris naturæ præcepta, vel contra aliquam concluſionem ſatis clarè ex illis deducibilem. Prout docet in terminis S. Thomas quodlib. 3. art. 10. ubi ait „ Reſp. „ dicendum quod diverſæ opinio„ nes Doctorum ſiquidem non „ pertineant ad fidem aut bonos „ mores, abſque periculo auditores „ utram-

Digitized by Google

„ utramque opinionem ſequi poſ„ ſunt. „ In his vero quæ pertinent „ ad fidem & bonos mores, nullus „ excuſatur ſi ſequatur opinionem „ erroneam alicujus magiſtri. In „ talibus enim ignorantia non ex„ cuſat. „

Dixi, *ordinariè*; & quidem reſpectu Parochiani aut pœnitentis rudis & indocti, qui auctoritate magis quam rationum pondere permovetur, quique utriuſque contradictionis partes non valet examinare; ut inſinuarem hoc non habere locum in pœnitente Parochiano aut diſcipulo doctiori, eò quod nemo prudenter alteri credat quod ipſe melius novit: & hinc ſi S. Theol. Doctor, aut profeſſor aſſumeret in confeſſarium aliquem ſe indoctiorem, aut pœnitens, v. g. mercator, conſiliarius, advocatus, aut procurator proponeret in confeſſione caſum in quo ſcit ſe confeſſario ſuo doctiorem, non poſſet prudenter ſequi auctoritatem iſtius ſui confeſſarii; prout neque aliquando pœnitens indoctus & rudis in caſu aliquo valde perplexo & intricato; nam ſicuti illi in morbo aliquo valde gravi non ſufficeret adire quemcumque medicum, ſed vellet habere maximè expertem, neque in caſu alicujus magni intereſſe ſufficeret ei quilibet Advocatus, ſed optimum quemque perquireret: ita quoque in perplexo negotio animæ ſuæ non debet ei ſufficere quilibet confeſſarius, ſed tenetur quærere quem poteſt præſtantiorem.

Petes, quomodo hæc conſiſtant cum ante dictis, quibus negavimus auctoritatem unius facere ſententiam probabilem, & tutam in praxi.

Reſp. nos ibidem locutos de probabilitate abſoluta: hæc verò tantum eſt reſpectiva.

Petes, quomodo communes confeſſarii ſeſe gerent in materia probabilitatum, & ſignanter an non poſſent tutà conſcientià ſequi quod abſolutè in aliquo auctore legunt tamquam tutum in praxi. Quomodo cōmunes cōfeſſarii ſe gerēt in materia probabilitatum.

Antequam reſpondeamus advertendum; deberi hic primò attendi, an auctor quem legunt, non ſit Doctor antiquus, adeoque meritò non poſſit timeri quod ſententia ejus ſit antiquata, & modò plane improbabilis: ſiquidem plurimæ in antiquis auctoribus habentur opiniones improbabiles & continentes errorem; eò quod frequenter evenire ſoleat quod contrarium poſtea in aliquo concilio ſit definitum: quod ſi verò auctor ſit recentior, tunc attendere oportet, an ejuſmodi ſententia, quam tenet, non habeatur paſſim ab omnibus falſa & improbabilis, neque ſit contra communem Chriſti fidelium ſenſum, prout ſunt omnes illæ ſuperius recenſitæ. Quibus præſuppoſitis.

Reſp. & dico, communem confeſſarium, qui auctoritate po-

tius, quam rationum pondere movetur, poſſe tutò ſequi in praxi ſententiam quam in aliquo auctore claſſico & uſu recepto legit tamquam tutam in praxi, eoquod reſpectu talis auctoris ſeſe habeat tamquam diſcipulum: conſtat verò ex S. Thoma & aliis communiter, diſcipulum poſſe ſequi ſententiam ſui magiſtri: præterea ſi talis auctor oretenus à confeſſario tali conſultus id doceret, poſſet ejuſmodi confeſſarius ipſum ſequi; cur non quoque quando hoc ſcripſit? Quæ tamen dicta illi intelligenda ſunt de iis quæ non ſunt prohibita lege naturæ quam conſulens ſcire teneatur, juxta ante dicta. Quod ſi tamen talis auctor diceret propoſitionem aliquam eſſe probabilem, oppoſitam verò eſſe probabiliorem, & tutiorem, deberet ejuſmodi confeſſarius eligere magis probabilem, & magis tutam; eamque pœnitenti conſulere; prout pluribus poſtea oſtendemus.

Nemo tamen hinc inferat, ſeſe poſſe ſequi quidquid in aliquo auctore legerit tamquam probabile; eò quod multa ab auctoribus aſſerantur tamquam probibilia, quæ non habent tamquam tuta in praxi: quare etiam notandum erit quod ſi auctor aliquis ſit in iſta opinione quod aliquid ſit tutum in praxi hoc ipſo quo eſt ſpeculativè probabile; non poterit confeſſarius ſequi ſententiam quam talis author dicit in praxi tutam; quia per hoc nihil aliud dicit quam quod ſit probabile; quod non ſufficit ut confeſſarius eam ſequatur.

Notet hîc quoque prudens confeſſarius ſeſe non debere pudefieri ſi in caſibus majoris momenti interrogatus à pœnitente non reſpondeat ex tempore; ſed è contra petat ſpatium deliberandi: hoc ſiquidem facere eſt prudentis; eò quod deciſio, ſeu reſolutio caſus ſæpe pendeat ab aliqua lege, canone, vel circumſtantiis illi ſtatim non occurrentibus: eapropter Confeſſarii valde imprudenter & præſumptuosè procedunt; qui, ne videantur minus docti, verentur tempus deliberandi petere ad caſum melius examinãdum; qui ſic præcipitanter reſpondendo, ſæpe peccant formaliter, dum pœnitens eos ſequendo, tantum peccat materialiter; quippe qui juxta ſuperius dicta, ordinariè prudenter acquieſcit illorum conſilio.

Quando tamen res non patitur moram, & urgetur confeſſarius reſpondere; tunc poterit abſque peccati periculo ex tempore reſpondere id, quod hic & nunc coram Deo omnibus bene attentis & ponderatis judicaverit melius juxta uſum hujus regulæ; *ex duobus malis minus eſt eligendum.*

Ex quo collige hanc regulam, quâ confeſſarii etiam mediocriter docti poterunt ſeſe eximere ab anxietatibus in confeſſionibus audiendis, occaſione dubiorum caſuum occurrentium.

Vel

Vel res, ſuper qua interrogatur, eſt magni momenti & patitur moram; & tunc ſi dubitet, debet petere tempus deliberandi, legendi libros, & conſulendi alios.

Vel res, ſuper qua interrogatur, eſt parvi momenti, aut nullam omninò patitur moram; & tunc reſpondeat quod omnibus attentis illi melius viſum fuerit in Domino.

DUBIUM IV.

An ſit peccatum operari ex præſcripto opinionis minus probabilis relictâ probabiliori.

PRænotandum 1. non eſſe eadem: opinionem aliquam eſſe tutiorẽ, & eſſe probabiliorem: nam illa vocatur tutior, cui ſubeſt minus periculum peccati; illa verò probabilior, quæ rationi & veritati apparet conformior; & hinc quandoque fieri poteſt quod magis tuta, ſit minus probabilis: prout eſt illa quæ aſſerit pœnitentem lapſum in mortali ſtatim debere confiteri. Quibus præmiſſis.

Aliud eſt opinio tutior, aliud probabilior.

Reſp. quamvis multi hoc tempore affirment, tamen attentis & bene conſideratis rationibus complurium magnæ auctoritatis Theologorum cogimur in oppoſitam, tutioremque ſententiam abire, & abſolutè reſpondere, neminem per ſe loquendo tutâ conſcientiâ poſſe ſequi ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori, nempe quando minus probabilis favet libertati, & ait actum eſſe licitum; magis probabilis verò favet præcepto dictans actum eſſe illicitum: idque ducti his rationibus.

Non eſt licitum ſequi ſententiam minus probabilem relicta probabiliori.

I. Nemo prudenter in gravi aliquo negotio corporali, in quo agitur de proprio commodo aut intereſſe temporali ſequetur ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori; ergo multo minus id poterit facere in negotio animæ in quo agitur de offenſa Dei, & amiſſione ſalutis.

Probatur antecedens diverſis exemplis.

1. Nemo prudenter, & ſine peccato bibet ex poculo, vel cibum ſumet, quem ſecundum ſententiam magis probabilem novit infectum veneno; quamvis ſit minus probabile eum non eſſe infectum.

2. Nemo prudenter jaculabitur ad ſepem in qua habet probabiliora indicia latere ſuum patrem, quamvis minus probabile ſit ibi latere feram.

3. Nemo prudenter ingredietur viam quam probabilius novit plenam latronibus, quamvis illi ſit minus probabile ibi non eſſe latrones.

4. Famulus imprudenter emet equum pro Domino ſuo habentem minora ſigna bonitatis, & probabiliora ſigna vilitatis.

II. Qui dirigit conſcientiam ex præſcripto opinionis minus probabilis exponit ſe probabiliori periculo peccandi: quod inde probatur quia ſi revera nullum eſſet periculum peccandi, oppoſita ſententia non poſſet dici probabilior, ſed fal-

ſa; aſſerit enim illa ſubeſſe periculum peccandi; quod ſane nullum eſſet, ſi opinio minus probabilis totum periculum abſtergeret: quod dici non poteſt, niſi conſequenter dicatur oppoſitam jam non eſſe probabiliorem; ſed certò falſam.

III. Ad rectitudinem alicujus operis prærequiritur certitudo moralis de honeſtate illius operis; ſed qui ſequitur ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris non habet ex hoc ſolo certitudinem moralem de honeſtate ipſius operis: quod inde ulterius probatur: quia opus illud apparet ipſi veroſimilius malum quam bonum; ac proinde non poteſt eſſe certus de bonitate vel honeſtate ipſius operis.

IV. Ut quis licitè operetur, debet eſſe moraliter certus quod in hac actione ſua non peccet; qui verò dirigit conſcientiam ſecundum ſententiam minus probabilem non eſt moraliter certus quod non peccet; ſiquidem regula ex cujus præſcripto agit; nempè *quod ſit licitum ſequi ſententiam minus probabilem, relictâ probabiliori*; eſt valde incerta: & a pluribus maximæ auctoritatis rejicitur & negatur. igitur cum antecedens ſit incertum; idem quoque dicendum erit de conſequenti.

V. Ut quis prudenter operetur debet habere judicium practicè certum quod ſit licitum id quod operatur; ſed qui ſequitur ſententiam minus probabilem non poteſt habere tale judicium.

VI. Judex in ferendis ſententiis non poteſt tutâ conſcientiâ ſequi minus probabilē relicta probabiliori; ſed unuſquiſque eſt judex propriæ ſuæ conſcientiæ; ergo quiſque in ferendo judicio practico an actus ille hic & nunc ſit licitus, aut illicitus, non poterit ſequi minus probabilem relictâ probabiliori: ſi enim ratio in hoc judicio conſcientiæ velit ferre ſententiam in favorem minus probabilis contra Deum pro quo ſtat ſententia probabilior, quare non eodem modo peccabit, ſicut judex qui in cauſa civili ſtat pro minus probabili? ratio enim in tali judicio non dat Deo quod ſuum eſt; cum tamen ſint reddenda quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

VII. Dictamen rationis, quod fundatur ſuper ſententia minus probabili, non poteſt eſſe regula morum; eò quod hæc debeat eſſe conformis legi æternæ, quale non eſt illud dictamen de ſequenda ſententia minus probabili, ne quidem quoad apparentiam: quia pars probabilior oppoſita apparet illi magis conformis.

VIII. Qui facit aliquid quod probabilius credit poſſe diſplicere ſuo amico, quam illi placere, interpretativè cenſetur amicum ſuum contemnere: ſed qui ſequitur ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris facit opus quod pro-

probabilius credit Deo diſplicere, quam illi placere; ergo cenſetur Deum interpretativè contemnère.

IX. Oppoſita ſententia non ex Dei revelatione, ſed à carne & ſanguine, (quæ ſemper quærit quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti) mediante dæmone videtur adinventa, qui ſe nonnumquam transfigurat in Angelum lucis: & ſub ſpecie probabilitatum ad fovendas immundas concupiſcentias carnis ſæpe ſe animabus noſtris ingerit; cum enim non audeat manifeſtis ſe vitiis prodere, præſertim apud animas rimoratæ conſcientiæ, paſſim eis vitia ſub pallio probabilitatis nititur ſuggerere.

X. Opinio probabilior ſæpius eſt in foro conſcientiæ tutior; ergo ſaltem tunc non licebit dirigere conſcientiam ſecundum ſententiam minùs probabilem; quia in dubiis tutior via eſt eligenda.

Ultimò probatur ex illo Christi Matthæi 7. *quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Si enim liceat operari ex quacumque opinione probabili relictâ eâ quam judicamus probabiliorem & tutiorem, certè via cœli non erit arcta vel difficilis, ſed valde mollis & lata, ut nemo ferè ſit qui cum ſuis concupiſcentiis, delectationibus, & commoditatibus carnis eam tranſire non poſſit; ſiquidem præſuppoſito ſemel hoc principio, quod liceat ſequi quamcumque ſententiam probabilem, vix aliqua reperietur actio mala quæ non ſit licita, quia vix eſt aliqua talis quæ à probabilitatum patronis pro utraque parte contradictionis non probabiliter diſputari poſſit.

Dices contra: qui ſequitur ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori prudenter operatur; ſed licitum eſt conſcientiam dirigere ex præſcripto prudentis judicii; ergo quicumque ex præſcripto ſententiæ minus probabilis conſcientiam dirigit, prudenter operatur. Objectio 1.

Reſp, negando aſſumptum; quia ſi hoc verum eſſet: eodem argumento probaretur, quod in omnibus exemplis in prima ratione aſſignatis liceret opinioni minus probabili inſiſtere; quod tamen ibidem clarè refutatum eſt: unde licet prudens judicium foret quo mihi minus probabiliter aſſereretur à duobus, cibum quem ſumo non eſſe infectum veneno, contra probabilius judicium trium virorum prudentum aſſerentium illum eſſe veneno infectum; non tamen licebit illum ſumere, & magis probabile illud judicium, quod aſſerit eſſe infectum veneno, negligere: ut ſequar illud minus probabile quod dictat non eſſe infectum veneno. idem dic de reliquis. Unde eſto verum ſit, licitum eſſe conſcientiam dirigere ex præſcripto prudentis judicii, non tamen quando reſiſtit aliud prudentius, & oppoſitum judicium,

Digitized by Google

dicium; quippe quod in tali caſu debet præponderare; & quo poſito imprudentis eſt illud negligere, nec attendere.

Objectio 2. Dices 2. regula de ſequenda ſententia minus probabili à quinquagintà & amplius annis eſt introducta in eccleſiam, & fideles ſunt in legitima illius poſſeſſione; ergo ab ea non debent deturbari donec ſedes Apoſtolica quid certi in hac controverſia reſolverit: eò quod *in dubio melior ſit conditio poſſidentis.*

Reſp. negandò aſſumptum pro poſteriori parte: ſiquidem illa ſola venit cenſenda legitima poſſeſſio, quæ eſt pacifica, nec ab initio aut ſucceſſivè habuit contradictores, qualis non eſt poſſeſſio hujus regulæ; quippè quæ ab initio & ſucceſſivè quam plurimos habuit contradictores.

Objectio 3. Dices: ſaltem uſus hujus regulæ de eligenda minus probabili videtur comprobari per tolerantiam eccleſiæ, quia illa hactenus in ea tacet.

Reſp. prælatos eccleſiæ permittere libros de hac materia tractantes; eò quod non ſoleant damnare opiniones in materia morum, niſi ſint apertè falſæ, temerariæ, vel ſcandaloſæ; hæc verò opinio de ſequenda ſententia minus probabili habet adhuc aliquam apparentiam veritatis ſpeculativè loquendo unde per ejuſmodi taciturnitatem non cenſentur hanc approbare.

Objectio 4. Dices: non tenemur ſemper amplecti id quod eſt perfectius, ut patet in illis qui amplectuntur ſtatum matrimonialem relicto religioſo perfectiori; ergo nec id quod eſt probabilius.

Reſp. negando conſequentiam; quia minus probabile & magis probabile non habent ſe ut perfectum & perfectius; ſed ſicut minus tutum, & magis tutum in agibus.

Dices: ſi teneamur ſequi ſententiam probabiliorem maximis quotidie angemur ſcrupulis indagando quænam ſit probabilior; non eſt autem credibile Deum tam grave onus humeris noſtris impoſuiſſe. Objectio. 5.

Reſp. nos non docere ſemper & ubique inveſtigandam eſſe ſententiam probabiliorem; hoc ſiquidem fatemur nimis fore oneroſum; ſed dicimus ad hoc nos obligari in concurſu magis & minus probabilis; quando nimirum minus probabilis docet actum aliquem eſſe licitum, & probabilior negat; dicimus, inquam, tunc eſſe ſequendam ſententiam probabiliorem; & falſum eſſe dicimus quod ſequendo magis probabilem quis exponatur ſcrupulis, quin potius à ſcrupulis liberetur; eò quod ad vitandos graves remorſus conſcientiæ pars ſecurior tenenda ſit, ut ait Clemens V in Concilio Viennenſi.

Dices: omnimoda de rebus certitudo in hac vita haberi non poteſt, ad quam proinde Deus nos mini- Objectio 6.

Digitized by Google

minimè obligavit, ſed tantum ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione minus probabili reperitur.

Reſp. conceſsâ priori parte antecedentis, negando poſteriorem; nempè minus probabilem in concurſu magis probabilis habere certitudinem moralem: quippe de qua intellectus in tali diſpoſitione non poteſt habere niſi dubietatem practicam, ut ſupra oſtendimus.

Objectio 7. Dices: opinio benignior ſemper debet præferri ſeveriori, prout habetur c. *final.* de tranſactionibus; ſed opinio minus probabilis dicens actum aliquem eſſe licitum eſt benignior oppoſitâ probabiliore dicente eſſe illicitum, ergo illa in praxi eſt eligenda.

Reſp. benigniorem opinionem debere præferri ſeveriori quando manet intra limites honeſtatis & prudentiæ, quod dici non poteſt de opinione minus probabili in concurſu oppoſitæ magis probabilis. quæ eò ipſo imprudens eſt & mala: præterea textus ille debet intelligi in criminalibus, & in infligendis pœnis, & aliis ibidem expreſſis.

Objectio 8. Dices, poteſt ſubditus obedire ſuperiori præcipienti id quod ſibi apparet minus probabile quam oppoſitum; & miles militare regi in bello quod ſibi apparet minus probabiliter juſtum; ergo & in aliis caſibus licebit ſequi ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori.

Reſp. conceſſo antecedente negandò conſequentiam: quia auctoritas proprii ſuperioris vel principis de quo præſumitur quod ſolum honeſta & licita præſcribat, eſt motivum extrinſecum certificans ſubditum de honeſtate operis, quod ipſe ex motivo intrinſeco probabilius putat non eſſe honeſtum.

Objectio 9. Dices, non eſt veroſimile quod DD. hujus noſtri ſæculi excellentes in aliis materiis conſcientiæ enucleandis, præcisè erraverint in tradenda hac regula, & Deus univerſaliter permiſerit fideles hâc in parte errare.

Reſp. retorquendo argumentum, & dicendo minus eſſe veroſimile Theologos, qui fuerunt in doctrina morali maximè expertes, erraſſe, docendo ſectandam ſemper eſſe ſententiam probabiliorem & tutiorem; & eo minus veroſimile eſſe, quod Deus per quindecim ſæcula permiſiſſet fideles errare, credendo ſe peccare, dum ex fragilitate eligebant minus probabilem relictâ probabiliori.

Petes pro praxi; quid ſi ergo pœnitens aliquid confiteatur, quod ſecundum ſententiam minus probabilem non eſt peccatum mortale, eſt tamen tale ſecundum magis probabilem; quomodo ſe in tali caſu geret confeſſarius: ut v.g. minus probabilis dicet pœnitentem non teneri ad reſtitutionem, magis probabilis verò affirmabit.

Reſp. candidè tali pœnitenti in caſu propoſito apperiendum eſſe, duas deſuper eſſe ſententias, unam videlicet minus probabilem, quæ dicit eum non obligari ad reſtitutionem; aliam verò magis probabilem quæ dicit ipſum obligari; quando verò concurrunt duæ tales ſententiæ, illi inſinuandum eſſe quod probabilior ſit eligenda, quia eſt tutior; quod ſuadet ratio naturalis ut patet in exemplis in prima ratione propoſitis, & præcipui Doctores tenent: & profectò nonne illi qui in negotiis ſæculi prudentes haberi volunt, quando poſſent, ſemper eligent partem tutiorem & minus periculoſam? quantò ergo magis id agere oportet in negotio animæ.

DUBIUM V.

An ſaltem quandoque non ſit licitum ſequi minus probabilem relictâ probabiliori.

RESp. affirmativè: idque per accidens: imo quandoque poſſet dari caſus in quo obligemur ſequi ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori; eò quod poſſit contingere quod pro minus probabili urgeat aliquod præceptum majus, cui obligamur ſatisfacere: ut patet in eo qui oſtendit ſigna contritionis in extremis; quin imo in illo qui nequidem ullum ſignum oſtendit, dummodò Chriſtianè vixerit; qui ſecundum ſententiam minus probabilem poteſt & debet abſolvi ſub conditione, eſto oppoſita probabilior neget: ſiquidem hic concurrit lex charitatis, quâ quiſque, dum poteſt, obligatur ſuccurrere proximo in tali neceſſitate ſpirituali conſtituto, ex quo eodem capite baptizari debet ſub conditione infantulus indigito ſolummodo exſtāte, licet probabilius ſit talem baptiſmum nō eſſe validū.

Secundò poteſt eligi minus probabilis relictâ probabiliori, quando minus probabilis favens præcepto eſt tuta, quæ verò favet libertati eſt probabilior; eapropter eſto probabilius ſit valere hanc formam calicis; *hic eſt calix ſanguinis mei* omiſſis aliis ſubſequentibus verbis: non tamen in praxi ſic eſt licitum conſecrare, ſed tenenda minus probabilis & magis tuta, aſſerens hanc formam eſſe proferendam unà cum aliis ſubſequentibus verbis.

Tertiò, ſi una pars contradictionis ſit probabilior alterâ, & utraque habeat ſuam probabilitatem ex motivo intrinſeco, poterit quis quandoque ſequi minus probabilem relictâ probabiliori, nempe quando minus probabilis ex motivo intrinſeco, redditur moraliter certa per motivum extrinſecum: ſic in exemplo, attentis rationibus intrinſecis an ſit licitum in die feſto per horam ſerviliter operari, pars negativa videtur probabilior; & affirmativa minus probabilis: quod ſi quis tamen poſtea advertat etiam viros pios

pios & Deum timentes imperare famulis ſuis laborem in die feſto per horam extra caſum neceſſitatis; hoc exemplo tamquam medio extrinſeco poterit ſequi ſententiam ex motivo intrinſeco minus probabilem,& eam habere practicè certam ob hoc motivum extrinſecum.

DUBIUM VI.

Quomodo in adminiſtratione Sacramentorum ſe geret miniſter quoad uſum ſententiæ magis & minus probabilis: item quomodo judex, Medicus, & Advocatus in ſuis reſpectivè functionibus.

RESP. illum per ſe loquendo non poſſe ſequi minus probabilem relictâ probabiliori vel certâ: quia non agit prudenter qui in re magni momenti, (qualis eſt adminiſtratio Sacramenti) in qua meritò timetur grave malum vel damnum quod ex charitate vel juſtitia tenetur avertere, ſequitur viam incertam cum poſſit habere certam: hinc S. Auguſtinus contra Donat cap. 3. ſic ait; „ in rebus ad ſalutem animæ „ pertinentibns hoc ipſo quis graviter peccat, quod certis incerta „ præponat. „

Præterea in adminiſtratione Sacramentorum ſemper tutior pars eſt eligenda; illa verò cenſetur tutior quæ favet valori Sacramenti & indemnitati proximi: hinc quoties occurrunt diverſæ opiniones probabiles circa valorem alicujus Sacramenti, & eſt in poteſtate miniſtri Sacramentum adminiſtrantis opinionem probabiliorem & magis tutam amplecti, tenetur eam ſub mortali eligere; partim ne exponat Sacramentum nullitati, partim ne exponat ſuſcipientem periculo æternæ damnationis vel periculo privationis gratiæ ſacramentalis: unde licet ſit probabile valere hanc formam baptiſmi; *ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque*; tamen non eſt licitum ſic baptizare: ſimiliter quamvis probabile ſit vinum congelatum eſſe vinum; & panem ſiligineum eſſe materiam Euchariſtiæ, non tamen eſt licitum in iis conſecrare.

Petes, an ergo numquam ſit licitum ſequi minus probabilem in materia Sacramentorum.

Reſp. affirmativè: nimirum 1. quando urget neceſſitas, nec eſt in poteſtate miniſtri habere materiam certam vel probabiliorem: exemplum ſit in baptizante infantem in digito dum nulla alia pars exſtat: item in abſolvente moribundum nulla edentem ſigna doloris: dum enim in neceſſitate certa via haberi non poteſt, prudenter facit qui ingreditur probabilem; nam ſic operatur optimo modo quo poteſt.

Quandonam licitum ſit in materia Sacramentorum ſequi minus probabilē relictâ probabiliori.

Præterea quando in adminiſtratione Sacramenti opinio quæ favet valori ipſius eſt minus probabilis,

Digitized by Google

ſed magis tuta, oppoſita verò probabilior, priorem debet amplecti: ſiquidem regula ſecuritatis moralis non deſumitur à majori probabilitate, ſed ex carentia periculi Deum offendendi.

Dices, quando exſtant opiniones probabiles circa juriſdictionem confeſſarii poteſt ille relictâ opinione magis probabili aſſerente illum carere juriſdictione, adhærere negativæ minus probabili, dicenti illum habere juriſdictionem.

Reſp. negandò antecedens per ſe loquendo; quia cum juriſdictio ſit unum ex eſſentialiter prærequiſitis ad validam Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem: ſicuti in aliis Sacramentis non eſt licitum uti materiâ & formâ probabili, relictâ certâ vel magis probabili, ita nec in hoc: unde ſacerdos non approbatus, præſente approbato, non poteſt audire confeſſionem hominis moribundi per ſe loquendo; licet in iſtis circumſtantiis habeat juriſdictionem probabilem.

Dico, per ſe loquendo; quia quando ſubeſt juſta cauſa v. g. ut conſulatur bono pœnitentis qui ſacerdoti approbato non audet confiteri, tunc ab eccleſia confertur juriſdictio, & ab ea ſuppletur in iſtis circumſtantiis; non verò generaliter quia illa nemini vult patrocinari in illis quæ ſunt valde irrationabilia, vel fraude & dolo extorquentur.

Petes an ergo Parochus, vel alius ſacerdos approbatus, & expoſitus ad audiendas confeſſiones in aliquo loco non poſſit audire omnes etiam extraneos non ſuos ad ſe adventantes: ratio dubii eſt, quia non habet juriſdictionem in extraneos.

Reſp. affirmativè: quia Pontifex cenſetur illi hanc juriſdictionem in extraneos conferre mediantè conſuetudine fidelium, eo ipſo quo ſcit hanc paſſim ob omnibus practicari, & non contradicit; idque ad evitanda plurima incommoda & perplexitates alioquin oriundas; prout communiter aſſerunt Doctores.

Petes, an ſit licitum abſolvere pœnitentem à mortalibus cum ſola attritione orta ex puro metu gehennæ.

Reſp. negativè; quod patet ex dictis; quia nimirum nec licitum eſt Sacramentum exponere periculo nullitatis, nec ipſum pœnitentem periculo æternæ damnationis & privationis gratiæ Sacramentalis; quod hic fieret quandoquidem ſententia quæ dicit talem attritionem ſufficere ad Sacramentum ſit tantum purè probabilis.

Petes, an Medicus in applicandis medicamentis poſſit ſequi ſententiam probabilem relictâ probabiliori & tutiori.

Reſp. negativè ex fundamento ante dato; quia imprudenter ſequitur quis viam incertam aut minus tutam, ubi poteſt habere certam aut tutam; præſertim ubi timetur

Medicus in applicandis medicamẽtis

metur

non poteſt ſequi ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori.

metur proximo grave aliquod malum quod quis ex juſtitia vel charitate tenetur avertere: multò autem gravius peccabit, ſi neglecto medio certo adhibeat probabilius: quando verò nullum remedium certum adeſt præ manibus, tenetur adhibere probabilius relicto minus probabili; quia imprudenter alioquin aget, ſalutem proximi in diſcrimen adducendo, omittendo medicinam probabiliorem; cum ex officio obligetur curare ne proximo ſuo ex opinione ſua damnum ſequatur: quando verò nulla ſuppetit ſpes de ſalute infirmi, nec aliud adeſt remedium præter illud de quo dubitatur an proderit vel oberit, poteſt, & debet ægro tunc illud adhibere. Ratio eſt, quia utiliter agit cauſam infirmi illud applicando, nam ſic fieri poterit ut per illud ſanetur; non applicando verò relinquitur æger deſperatus: neque, ſi mors ſequatur, veniet huic medico imputanda; quandoquidem alias non habeat ſpem recuperandæ valetudinis.

Petes, an peccet Medicus ſi infirmo tradat pharmacum ad capiendum experimentum virtutis pharmaci.

Reſp. affirmativè; idque mortaliter contra juſtitiam, ſi habeat remedia certa vel probabiliora, quia injuſtè exponit periculo vitam infirmi, dum adhibet hoc incertum, prætermiſſo certo, vel probabiliori.

Petes, an judex in ferenda ſententia poſſit ſequi opinionem minus probabilem relictâ probabiliori.

Judex in ferenda ſententia non poteſt ſequi minus probabilem relictâ probabiliori.

Reſp. etſi complures probabilitatum patroni reſpondeant affirmativè, aſſerentes hic dari caſum pro amico: nihilominus abſolutè reſpondendum negativè; quia judex eſt in republica conſtitutus ut tribuat unicuique quod ſuum eſt juxta merita cauſæ; illa verò pars pro qua ſtat opinio probabilior habet majora merita ſuæ cauſæ; & conſequenter majus jus: ac proindè judex ipſi facit injuriam ſi non ferat ſententiam in favorem illius: quod intellige tam in controverſia juris, quam facti: ſiquidem in dubiis nequit niſi temerariam ferre ſententiam. Sed quando partium jura ita ſe habent, quod probabiliter ſtent pro una parte, probabilius verò pro altera; tunc judex dubitat de minus probabili: nam ſi intellectus ſit dubius quando rationes utrimque æqualiter urgent; quantò magis dubitabit de illa parte, quæ licet ſit probabilis, tamen contra eam militant rationes validiores. Præterea quia judicare in favorem minus probabilis repugnat principiis naturæ; quilibet enim noſtrum ſi haberet pro ſe rationes probabiliores quam pars adverſa, vellet ut judex ferret ſententiam in ſui favorem, & doleret ſi faceret oppoſitum; quinimo appellaret à ſententia judicis aliter judicantis; ergo & reſpectu aliorum non debe-

mus hoc arbitrium judici concedere nam *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Petes, quam viam ſequi debeat Advocatus in delectu opinionum.

Quam viam ſe qui debeat Advocatus in delectu opinionum.

Reſp. indubitatum eſt Advocatum poſſe defendere cauſam, quam poſt diligentem inquiſitionem invenit pro utraq; parte contradictionis probabilem; inſuper ſuſtinere poteſt cauſam minus probabilem, eſto, pro parte adverſa ſint probabiliores rationes. Ratio eſt, quia ejus officium non conſiſtit in decidenda controverſia, ſed tantum in adferendis rationibus in patrocinium ſuæ cauſæ, ut illis attentis judex poſtmodum videat quid ſecundum jura in illa controverſia ſit decidendum: ſiquidem poteſt contingere quod rationes quæ habentur ab Advocato minus probabiles, à judice, melius illas ponderante, habeantur probabiliores; & idcirco talis advocatus tali cauſæ patrocinans non videtur agere contra rectam rationem. Quod ulterius probatur: quia frequenter evenit quod inter litigandum jus accreſcat; eò quod tractu temporis inveniantur novæ ſcripturæ vel rationes ob quas probabilitas cauſæ ex parte ſui clientis augeatur & tandem oriatur certitudo.

Dices: judex, ut dictum eſt tenetur ferre ſententiam ſecundum ſententiam probabiliorem; ergò Advocatus nequit defendere ſententiam minus probabilem.

Reſp. conceſſo antecedente, negandò conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod judex, ut dictum eſt, debeat judicare ſecundum merita cauſæ: Advocatus verò fovens cauſam minus probabilem, non ſuadet judici ut ſecundum illam ferat ſententiam, ſed proponit ſolum rationes pro ſuo cliente ut judex eas conſideret, & ſecundum juſtitiæ leges decidat.

Nota tamen pro praxi; quod quando Advocatus ſuſcipit cauſam minus probabilem ſui clientis, ut ſibi videtur, debere hoc illi manifeſtare; quia ſi cliens ſciret ſe non habere certum jus, non eſſet forſitan litem ſuam proſecuturus: unde Advocatus hanc informationem negligens, quam ex officio præſtare tenetur, tenebitur clienti ſuo expenſas reſarcire quas fecit in cauſæ progreſſu; ſiquidem rogatus conſilium tenetur ex officio veritatem aperire & periculum perdendi litem: quod niſi aperiat, decipit ſuum clientem, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem.

DUBIUM VII.

Quid faciendum in materiâ morali quando pro utraque parte contradictionis ſtat æqualis probabilitas.

PRænotandum 1. intellectum humanum ſimul poſſe judicare utramque contradictionis partem eſſe probabilem, eo quod in eodem poſſint ſimul conſiſtere motiva ob

quæ

quæ utraque contradictionis pars videatur æquè apparenter vera: ex quo minimè ſequitur in eodem intellectu ſimul poſſe eſſe aſſenſus contradictorios; eò quod videri verum, & videri non verum, non ſint contradictoria, nam ſunt duæ affirmationes; cum tamen contradictoria debeant eſſe affirmatio & negatio ejuſdem de eodem: inſuper neque neceſſe eſt ejuſmodi duos aſſenſus debere procedere ex eiſdem principiis, ſiquidem intellectus unam contradictionis partem judicare poterit probabilem ex principiis intrinſecis, alteram verò ex principiis extrinſecis. Et quid vetat quandoq; illum utramq; contradictionis partem judicare probabilem ex eiſdem principiis intrinſecis, ſi illa in diverſo ſenſu diverſimodè & probabiliter intelligantur.

Prænotandum 2. eundem intellectum non poſſe ſimul opinari pro utraque parte contradictionis: cujus ratio eſt; quia qui opinatur judicat illam propoſitionem eſſe veram, & conſequenter oppoſitam eſſe falſam: ſi ergo opinaretur de utraque, judicaret eandem eſſe veram & non veram; quod eſt impoſſibile, ſaltem ex eiſdem principiis: quod addo, quia poteſt quis opinari de utraque parte contradictionis, uni quidem aſſentiendo ob principia intrinſeca, alteri verò ob principia extrinſeca.

Prænotandum 3. quando pro utraque parte contradictionis ſtat æqualis probabilitas quod intellectus non poſſit ad libitum de alterutra opinari, ſed neceſſariò hærebit ſuſpenſus, non ſecus ac ſtatera, durante æquali pondere in utraque parte bilancis, in neutram partem inclinat, ſed hæret in medio. Quibus præmiſſis.

Dico 1. quando pro utraque parte contradictionis ſtat æqualis probabilitas, adeoque intellectus hæret ſuſpenſus non valens reſolvere inter licitum & illicitum, quippè poſitivè dubius, non poteſt bene operari ſtante hoc dubio. Ratio eſt; quia ad honeſtatem operis prærequiritur judicium certum de honeſtate ipſius, quod ille nequit habere; quippe cui opus illud æque apparet malum ac bonum: præterea ille qui operatur cum dubio practico negativo (ut in ſequenti quæſtione dicemus) peccat ejuſdem ſpeciei peccato, de quo dubitat; ergo multò magis peccabit dubitans poſitivè; eò quod non tantum ſciat actum ſuum dubiè malum; ſed, quod majus eſt, probabiliter malum: eapropter ut uterque evitet periculum peccati, neceſſe eſt utrumque ſequi hoc axima; *in dubio tutior pars eſt eligenda*; nimirum abſtinendo ab opere; niſi forſitan ſuperveniat novus aliquis titulus quo poſſit conſcientiam poſitivè dubiam deponere.

Petes; quid faciet judex ſi ſint utrimque opiniones æquè probabiles ſive ex parte juris, ſive ex parte facti;

facti; v. g. ſi duo contendant de hæreditate,& jus eorum conſiſtat in facto quis eorum in linea conſanguinitatis ſit proximior.

Reſp. Judicem tunc debere rem utrique æqualiter adjudicare dividendo illam inter partes, ſi ſit diviſibilis; vel dividendo fructus aut rei pretium, ſi ſit indiviſibilis; cum enim partes habeant æquale jus,ipſum lumen naturæ dictare videtur ut judex rem illam æqualiter partibus adjudicet.

Nota verò tunc opinionem vocari æque probabilem ex parte facti, quando utraque pars probat ſuam cauſam teſtimoniis æque idoneis, vel ſcripturis æqualis auctoritatis: tunc verò vocatur æquè probabilis ex parte juris, quando lex, juxta quam lis eſt decidenda, aliter ab aliquibus, & aliter ab aliis, æquè tamen probabiliter explicatur.

Quandonam cenſeatur opinio æque probabilis ex parte facti,& quādonam ex parte juris.

Dices; collator in collatione beneficiorum habet electionem inter duos æquè dignos, & poteſt conferre cui vult, ergo & judex in ferenda ſententia idem poterit, quando ſtant pro utraque parte opiniones æquè probabiles.

Reſp. negando conſequentiam; quia duo æqualiter digni non contrariantur ſibi invicem in dignitate, ita ſcilicet ut dignitas unius faciat dubitare de dignitate alterius, ſicuti probabilitas unius ſententiæ facit dubitare de veritate oppoſitæ. Deinde beneficium non eſt diviſibile: nec etiam habent jus acquiſitum illi competentes ratione cujus teneretur collator ipſis fructus æqualiter dividere.

Petes, quid facturus ſit judex in cauſa criminali quando hinc inde opiniones ſunt æquè probabiles.

Reſp. tunc judicem debere ferre ſententiam ſecundum opinionem benigniorem: quando enim partium jura ſunt obſcura, favendum eſt potius reo quam actori: quinimo eſto probabilior ſententia ſtaret contra reum, non poſſet illum condemnare; quia ad condemnandum reum criminalem oportet probationes luce meridianâ eſſe clariores; prout jura diſponunt: eò quod quilibet præſumatur probus, niſi evidenter probetur improbus.

Petes, quid faciet confeſſarius quando hic & nunc opiniones ſunt æquè probabiles in materia reſtitutionis, an totum, an nihil ſit reſtituendum.

Reſp. quando præmiſsâ debitâ diligentiâ res manet æquè ambigua cui ſit reſtituendum, nec conſtat cui faveat poſſeſſio, res illa eſt dividenda. Ratio eſt; quia eatenus in dubiis opinionum tenemur ſequi partem tutiorem ut vitemus periculum lædendi proximum: proinde ſi nihil reſtituas, poſſet fieri quod proximum in toto defraudares; quia fieri poteſt quod opinio affirmativa ſit vera, quod ſi verò totum reſtituas, poſſet fieri quod te ipſum defraudares; quia opinio negans

Digitized by Google

negans poteſt eſſe vera. Unde ex duobus malis minus eſt eligendum, nempè ut fiat reſtitutio pro medietate.

Pro coronide hujus quæſtionis utiliſſimum ſuggerit conſilium Cardinalis Bellarminus in opuſculo ad Epiſcopum Theamenſem ſuum nepotem; quod utinam omnes confeſſarii & conſcientiarum directores in praxi ſequantur: ſunt autem hæc verba, „Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino „debet certam veritatẽ inquirere,& „non reſpicere quid multi hoc tempore dicant aut faciant: & ſi rei „certitudo non poſſit ad liquidum „apparere, debet omnino tutiotiorem partem ſequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propoſitâ, ad „minus tutam partem declinare: „agitur enim de ſumma rei, cum de „ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam „aliorum exemplo inducere, & eo „modo, conſcientiâ non remordente, ad eum locum deſcendere ubi „vermis non moritur, & ignis non „extinguitur.

QUÆSTIO III.

De Conſcientia dubia.

Conſcientia dubia, propriè loquendo, non eſt conſcientia; ſed potius privatio conſcientiæ; quia cum conſcientia dicat poſitivum & practicum judicium, ut ſupra vidimus; dubium verò ſit ſuſpenſio omnis judicii: clarum eſt illud non poſſe propriè appellari conſcientiam: nihilominus quia ſic uſus obtinuit ut nomen conſcientiæ tribuatur etiam illi ſuſpenſioni, eam quoque nomine conſcientiæ dubiæ intitulabimus.

Dico ergo 1. dubium propriè ſumptum eſt quædam ſuſpenſio intellectus hærentis in æquilibrio inter duo oppoſita nec aſſentiendo nec diſſentiendo. Quid dubium.

Dividitur in dubium poſitivum & negativum: negativum eſt ſuſpenſio intellectus eò quod pro neutra parte contradictionis aliquæ rationes occurrant; ut ſi dubites v.g. an in hac civitate homines ſint numero pares vel impares. Ejus diviſio in poſitivum, & negativum.

Dubium poſitivum eſt ſuſpenſio aſſenſus & diſſenſus ex eo quod rationes pro utraque parte contradictionis habeant æqualem probabilitatem: ita ut intellectus nequeat diſcernere majorem convenientiam in uno extremo, quam in alio: & ſic dum ſingulæ partes quaſi ad ſe trahentes intellectum ſe mutuò impediunt, intellectus manet in æquilibrio; eo modo quo lingua in ſtatera ratione æqualitatis ponderum non inclinat nec in unam, nec in aliam partem: & talis ſuſpenſio vocatur dubium poſitivum, diciturque intellectus exinde poſitivè dubius: pro ut præcedenti dubio fuſius deduximus. Quid dubiũ poſitivum. Quid dubiũ poſitivum.

Digitized by Google

Dubiũ aliud juris, aliud facti.

Præterea dubium aliud eſt juris aliud eſt facti. Dubium juris tunc eſt,quando dubitatur an lata ſit aliqua lex, ſtatutum, vel præceptum vel de ejus ſenſu, aut extenſione; dubium facti verò contingit, quando dubitatur de facto: voto emiſſo v. g. homicidio commiſſo, &c.

Aliud ſpeculativum aliud practicum.

Subdividitur utrumque dubium ulterius in ſpeculativum & practicum. Solet verò diviſio iſta ſic explicari ut dubium ſpeculativum ſit,dum intellectus dubitat de re aliqua in genere, v. g. an ſit licitum in die feſto iter agere. Dubium practicum verò cenſetur,quando intellectus hic & nunc in particulari dubitat an mihi v. g. licitum ſit in die feſto iter agere, vel in die jejunii comedere. Et quidem (quod bene notandum) poteſt dubium ſpeculativum & practicum verſari circa eandem numero rem (quod & locum habet in judicio ſpeculativo & practico) ita tamen ut ſpeculativum verſetur circa illam ſecundum ſe ſpectatam, abſtrahendo à circumſtantiis : practicum verò verſetur circa illam ut affectam omnibus circumſtantiis in ordine ad opus: ut ſi hodie v. g. ſit dies jejunii ex præcepto Eccleſiaſtico, & tamen dubites an ratione alicujus morbi tenearis jejunare; poteris dubium de abligatione jejunandi practicè deponere conſilio Medici judicantis te hic & nunc in tali morbo non obligari ad jejunium: & ſic dubium debonitur per principium extrinſecum; & conſcientia practicè formatur non obſtante dubio illo ſpeculativo, quo hæres an infirmitas tua ſit cauſa ſufficiens,nec ne,ad te a jejunio excuſandum. Ex quo patet quod quandoque licitum ſit agere contra dubium ſpeculativum.

Dices, qui dubitat de re in genere, neceſſe eſt ut de ea quoq; dubitet in particulari; ſiquidem turpe & abſonum eſt judicare aliquid illicitum in genere, & in particulari licitum.

Reſp. concedendo totum; ſi objectum utrimque conſideretur eodem modo, & cum eiſdem circumſtantiis; quia tunc in utroque eſt eadem ratio judicandi : ſed ſi objectum attendatur in particulari tamquam veſtitum aliquibus circumſtantiis, ut ſupra diximus, cum quibus non fuit conſideratum in genere; tunc fieri poſſet (ut patet in exemplo ſupra allegato) quod de eadem practicè ſit certus, licet remaneat ſpeculativè dubius : ita qui ſpeculativè dubitat an hic liber quem habet in ſua bibliotheca ſit ſuus, ſe practicè certificabit per hoc principium; *Melior eſt conditio bonâ fide poſſidentis*; nec peccabit retinendo; quia ex juſta cauſa dubium ſpeculativum deponit, & ſe practicè certificat.

Petes,quænam requirantur ut vincatur dubium ſpeculativum,& formetur conſcientia practicè certa.

Reſp. hæc duo. 1. Diligentia in

Quænā requirantur ad vincendū dubium ſpeculativum.

rei veritate indaganda, qualem poſtulat negotii magnitudo, & circumſtantia perſonæ, temporis, & loci. 2. Requiritur juſta cauſa vel titulus aliquis deponendi dubium ſpeculativum: cujus ratio ante data eſt; quia judicium practicum ſemper debet eſſe conforme ſpeculativo, niſi juſta cauſa vel titulus ſuperveniat ad variandum judicium, & ad agendum contra judicium ſpeculativum: tales juſtas cauſas ſuperius plures enumeravimus.

Peccat qui operatur cum cōſcientia practicè dubia & quidem peccato illius ſpeciei cujus eſt de quo dubitat.

Dico 2. qui operatur cum conſcientia practicè dubia pro ratione materiæ peccat. Ratio eſt; quia operans cum tali dubio exponit ſe periculo peccati juxta illud Eccle. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* cenſetur enim talis affectum habere erga peccatum cujus periculo ſe exponit.

Petes, cujus ſpeciei peccatum committat.

Reſp. illius ſpeciei cujus eſt peccatum de quo dubitat; cenſetur enim illud velle ſub ea ratione, ſub qua illud apprehendit; propterea qui facit aliquid dubitans ſe peccare mortaliter, peccat mortaliter; qui dubitat an committat ſacrilegium, committit ſacrilegium: & ita de ceteris.

Petes, an conſcientia dubia nequeat quandoque ad libitum deponi.

Reſ. ſi non ſit dubium fundatum ſed merè ſcrupulus, poterit ad libitum ſine ulla cauſa deponi; ſiquidem res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: cum ergo (ut ſupponitur) dubium ſit ſine fundamento exortum, poteſt etiam ſine fundamento deponi: quod ſi verò ex gravi motivo formatum ſit, requiritur proportionaliter ad illud deponendum diligentia ſuper rei veritate inveſtiganda, & juſta cauſa.

Petes, an mulier quæ in concione audivit eſſe peccatum mortale ornare ſe capillis alienis, & deſuper dubitans, poſſit ſine ulla ratione dubium deponere, judicando ſibi licere geſtare capillos alienos.

Reſp. negativè: ſed graviter peccat ſic judicando: nam cum dubium illud ſit ortum ex gravi fundamento, videlicet ex dicto concionatoris, illud non poteſt ſine magno fundamento deponi. Ac proinde hæc regula generalis ſervanda eſt; quod, qui ſpeculativè dubitat, & non poteſt ex certis principiis practicis elicere an actio aliqua ſit honeſta an turpis: quod debeat talem omittere alioquin peccabit. Ratio eſt; quia talis non poteſt prudenter præſumere ſibi licere id de quo practicè dubitat; & aliunde habet certam viam non peccandi, nempè abſtinendo ab opere; ergo temerè exponit ſe periculo peccandi, quiâ relictâ viâ certâ ingreditur dubiam.

Petes, quid ſi præmiſſâ debitâ diligentiâ conſcientia remaneat ſpeculativè dubia, an poſſeſſio ſit titulus

tulus ſufficiens variandi judicium, illudque practicè deponendi: ut ſi v. g. poſſideas rem aliquam bonâ fide, & incipias dubitare an hæc ſit tua, an aliena; an poſſis illam retinere, illâque uti tamquam tua.

Poſſeſſio eſt titulus ſufficiẽs deponẽdi dubiũ practicum.

Reſp. affirmative: quia idem judicare oportet in foro conſcientiæ, prout in foro externo quando forum externum non nititur falsâ præſumptione; ſed forum externum ordinariè ſolet in dubiis judicare in favorem pŏſſidentis juxta commune axima; *Melior eſt conditio poſſidentis*; ergo etiam in foro conſcientiæ ſic erit judicandum: cujus ulterior ratio eſt; quia poſſeſſio eſt quoddam jus inſiſtendi rei, & percipiendi ex ea fructus: quare qui habet poſſeſſionem, habet majus jus: adeoque eſt alteri præferendus, qui licet in dubio par ſit poſſidenti quoad proprietatem, impar tamen eſt quoad poſſeſſionem.

Petes, undenam poterimus cognoſcere pro quo ſtet poſſeſſio.

Unde dignoſcantur pro quo ſtet poſſeſſio.

Reſp. quando ſuborto dubio, & præmiſsâ debitâ diligentiâ veritas haberi non poteſt, ſtandum eſſe præſumptioni fori externi: unde ſemper eſt idem utriuſque fori judicium quando externum non nititur falsâ præſumptione, quia jura non præſumunt ſine gravi causâ: unde dum forum externum præſumit de validitate alicujus legati, idem quoque in foro conſcientiæ eſt præſumendum.

Petes, quid ſi dubitetur pro quo ſtet juris præſumptio.

Reſp. tunc eſſe attendendum quænam pars transferat onus probandi in alteram; & hoc invento judicandum eſt juris præſumtionem ſtare ex illa parte quæ transfert onus probandi in alteram, juxta illud; *Actore non probante, reus abſolvitur*.

Petes, quid ſi hinc inde concurrant plures præſumptiones pro utraque parte.

Reſp. tunc eſſe judicandum in favorem illius pro quo ſtant efficaciores præſumptiores: ſi verò præſumptiones illæ pro utraque parte ſint æquales ita ut nequeat determinari pro quo ſtet poſſeſſio; tunc cenſendum erit ac ſi nulla eſſet præſumptio, & eſſet merum dubium; adeoque ſequenda tunc hæc regula juris *Cum partium jura ſunt obſcura; favendum eſt potius reo quam actori:* ille verò cenſetur reus qui ab altero impetitur, aut ab eo poteſt damnificari.

Petes, an illa quæ ſunt facti ſint præſumenda, an verò probanda.

Facta nõ præſumuntur, ſed poſſeſſio.

Reſp. communem juriſperitorum regulam eſſe, *Facta non præſumi; ſed debere probari*. Ratio eſt: quia cum facta ex natura ſua incerta ſint, ideo eorum probatio dicitur dubia; adeoque probanda.

Petes, pro quo ſtet poſſeſſio dum dubitatur an ſit lata aliqua lex, præceptum, vel conſuetudo, vel incurſa aliqua cenſura.

Reſp.

Reſp. pro dubitante; modò ipſe præmiſerit debitam diligentiam in inquirenda veritate. Contrarium dices, ſi dubitetur an lex ſit acceptata: lex enim præſumitur recepta, quando dubitatur an ſit recepta.

Petes, quid ſi quis bonâ fide contraxerit matrimonium, & poſtea incipiat dubitare an ſit validum: pro quo ſtet poſſeſſio.

Reſp. pro dubitante, dummomò adhibuerit ſufficientem diligentiam in indaganda veritate: unde habet ſufficientem titulum ad dubium ſuum practicè deponendum. Quod ſi tamen quis dubitet an homicidium commiſerit, tenetur ſe gerere pro irregulari, quia juris præſumptio ſtat contra ipſum etiam in foro externo: idem dicendum de eo qui dubitat an conſilio ſuo, an mandato concurrerit ad homicidium.

Ex his patet quomodo poſt præmiſſam debitam diligentiam & poſitâ juſtâ causâ licitum ſit agere contra judicium ſpeculativum, & formare conſcientiam practicè certam.

Dices, cap. *Ad audientiam*, & cap. *Iuvenis* de ſponſalibus dicitur, *In dubiis eligendam partem tutiorem.*

Reſp. prædictos textus eſſe intelligendos de dubio practico, quando nimirum necdum eſt adhibita debita diligentia ad rei veritatem inquirendam, nec adeſt ſufficiens titulus ad deponendum practicum dubium, præterea in dictis textibus agitur de caſibus particularibus in quibus pontifex ita diſponit: unde & concedemus nos, in illis partem tutiorem eſſe eligendam.

Petes, an in materia aliarum virtutum poſſeſſio quoque ſit juſtus titulus ad deponendum dubium præmiſsâ debitâ diligentiâ.

Reſp. affirmativè: cujus ratio eſt; quia ideo in materia juſtitiæ potior eſt conditio poſſidentis eò quod ultra jus proprietatis, quod eſt æquale inter ipſum & adverſarium, in dubio ipſe inſuper habeat certum jus poſſeſſionis; ac proinde, tamquam meliori jure fretus, vincit alterum: quæ ratio æquè militat in materia cujuſque virtutis, nam ultra æquale jus dubium obligationis ex parte voluntatis, & ex parte illius virtutis, ſtat jus certum quo voluntas poſſidet ſuam libertatem quamdiu non probatur illius libertatis privatio per contractam aliquam obligationem.

Poſſeſſio eſt juſtus titulus etiã in materia aliarum virtutũ.

Petes, an dubitans an ſit ordinatus ſacerdos ante 24. annum, ſtante dubio poſſit celebrare.

Reſp. negativè; quia poſſeſſio ſtat pro lege: ſic quoque dubitans in die jejunii, an ſit audita 12. noctis; non poteſt comedere carnes, quia poſſeſſio ſtat pro lege: ſecus dic de eo qui in die non jejunii, v. g. die jovis dubitat medium noctis tranſiviſſe; qui, poſt adhibitam diligentiam non valens invenire veri-

Digitized by Google

tatem, poteſt adhuc comedere carnes, quia poſſeſſio ſtat pro dubitante.

Petes, an ſi talis ſit Sacerdos, poſſit poſtero die celebrare.

Reſp. negativè: eò quod poſſeſſio ſtet pro præcepto eccleſiæ præſcribentis Euchariſtiam non eſſe ſumendam niſi cum jejunio naturali.

Petes, an qui poſt examen manet dubius de peccato mortali commiſſo, teneatur illud confiteri ſub dubio.

Reſp. affirmativè: eò quod poſſeſſio ſtat pro præcepto confeſſionis, ut dicetur in Tractatu de Pœnitentia.

Petes, an qui dubitat an ſit legitimus, poſt adhibitam debitam diligentiam, poſſit ſuſcipere ſacros ordines: & ſimiliter is qui dubitat an uxor, quam duxerat, fuerit virgo.

Reſp. ad utrumque affirmativè; quia ſic præſumitur in foro externo; in quo prior non privatur hæreditate; juxta illud; *quando partium jura ſunt obſcura, favendum eſt potius reo, quam actori.*

Petes, an qui cauſam dedit abortui, ſed dubitat an fœtus ſit animatus, cenſendus ſit irregularis.

Reſp. affirmativè: quod patet ex antedictis.

Petes, an quando agitur de contrahendo matrimonio, & dubitatur de impedimento dirimente, an ſtante dubio illud poſſit contrahi.

Reſp. negativè: quia poſſeſſio ſtat pro conſtitutione impedimenti dirimentis.

QUÆSTIO IV.
De Conſcientia Scrupuloſa.

Scrupulus propriè eſt lapillus qui in calceo poſitus, pedem non tam vulnerat quam moleſtat & affligit: metaphoricè verò ſignificat ſimilem afflictionem & moleſtiam animam interius inquietantem: quæ aptè definitur quod ſit ſuſpicio mâli in re bona vel indifferenti ſine ſufficienti fundamento conſcientiam perturbans & inquietans: & quamvis unicus talis actus dicatur ſcrupulus; ab uno tamen actu nemo denominatur ſcrupuloſus, ſed â pluribus. *Quid ſcrupulus.*

Unde ille propriè judicandus eſt ſcrupuloſus qui frequenter & quaſi ex habitu ejuſmodi apprehenſionibus & ſuſpicionibus ſine fundamento vexatur. Quare multum aberrat communis plebs, pios & probos homines vocans ſcrupuloſos; eò quod non audeant cum malè agentibus malè agere, v.g. ludere chartis, intrare tabernas &c. quandoquidem tales, ut à ſimilibus abſtineant, non levi fundamento, ſed magna ratione ducuntur, videlicet ne proximum ſuum ſcandaliſent.

Nota ſcrupulum vel eſſe ſpeculativum,

lativum, qui nempe verſatur in ſola cognitione; vel practicum, nempe qui verſatur circa actionem, vel rem gerendam: & de hoc ſolo poſtremo hic agimus qui propriè vocatur ſcrupulus conſcientiæ: eſtque vel de re præterita, veluti dum quis ex levi ratione anxiatur an aliquid in confeſſione omiſerit; vel de actione aliqua futura; ſicuti cum ex levi fundamento timet ne peccet agendo quod agendum occurrit. Itaque is propriè dicitur habere conſcientiam ſcrupuloſam qui licet practicè judicet licitum ſibi eſſe quod facit, vel omittere quod omittit, anxiatur tamen ne forſitan ſit illicitum, idque ex levi aliquo motivo.

Petes, unde confeſſarius cognoſcet aliquem eſſe ſcrupuloſum.

Unde cognoſcet cõfeſſarius aliquẽ eſſe ſcrupuloſum.

Reſp. ex eo quod frequenter concutiatur ejuſmodi inani timore, timeatque ex levi fundamento peccatum mortale ubi non eſt.

Petes, an ſit licitum aliquid agere cum conſcientia ſcrupuloſa permanente.

Licitũ eſt agere non tantum cũ conſcientia ſcrupuloſa, ſed & contra conſcientiã ſcrupuloſam.

Reſp. affirmativè: quia eâ non obſtante poteſt haberi judicium moraliter certum quod hoc non ſit peccatum; ergo qui ex tali judicio operabitur, non peccabit. Probatur aſſumptum: quia ſcrupulus cum oriatur ex levi fundamento, de ſe non ſufficit ad tollendum moraliter certum judicium, ita ut qui facit aliquid cum ſcrupulo permanente dicatur contra conſcientiam facere; ſiquidem conſcientia non dictat illud eſſe illicitum, ſed novit hoc eſſe licitum cum adjuncta levi formidine de oppoſito. Hinc graviſſimi Auctores dicunt non tantum licere, ſed & eſſe præſentaneum remedium, agere contra ſcrupulos; idque auctoritate confeſſarii, ſuperioris, vel alterius viri docti.

Certè non poteſt ſcrupuloſus præſtare quidquam Deo gratius vel ſibi utilius: ſiquidem longè perfectius eſt eâ ratione ſubjugare proprium ſuum judicium, quam corpus jejuniis & pœnitentiis refrænare: imo Chriſtus Dominus primus omnium remedium illud propoſuit Matth. 23. dicens; *ſuper cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* Eapropter ad omnes ſcrupuloſos ſpectat monitum Sapientis Prov. 3. *ne innitaris prudentiæ tuæ*; ſed potius ſinant ſe in omnibus dirigi ab aliquo viro docto & pio, cui conſcientiæ ſuæ latebras omninò aperiant, iſtiuſque judicio in omnibus obtemperent: non verò adeant diverſos, nunc hunc, nunc alium; ſiquidem diverſi dant ſæpè diverſa conſilia; varietas autem conſiliorum non eſt idoneum medium ad procurandam quietem conſcientiæ.

Dices, non eſt licitum agere contra conſcientiam; ſed conſcientia ſcrupuloſa eſt conſcientia ergo.

Reſp.

Reſp. negando ſubſumptum quod patet ex antedictis;cum enim ſcrupulus oriatur ex levi fundamento, non eſt ſufficiens ad tollendum morale & practicum judicium quo conſcientià dictat hoc vel illud eſſe licitum; ſed è contra operans ſcit certò hoc eſſe licitum, quamquam cum levi formidine de oppoſito.

Dico 2. non tantum eſſe licitum agere contra ſcrupulos, ſed quandoque eſſe obligationem agendi contra; quando nimirum illi occurrunt circa opus alias præceptum;ut v. g. circa lectionem horarum, vel quando alioqui eſſet periculum incidendi in amentiam &c.

Duplex modus agendi contra ſcrupulos.

Porro duplici modo agi poteſt contra ſcrupulos; vel poſitivè reſiſtendo & diſputando cum illis; vel negativè ſe habendo, illos contemnendo nec auſcultando: poſterior hic modus ſicut facilior, ita tutior; quo, ſcrupuloſus innixus alicui generali principio v.g. auctoritati vel exemplo viri docti & pii reſolutè procedat ad opus, nullâ ſcrupuli habitâ ratione: prior periculoſus eſt, utpote multis noviſque ſcrupulis obnoxius: quia, ut benè notat Cajetanus, ſicuti non expedit movere cumulum lapidum ſibi ſuppoſitorum, ne uno moto omnes moveantur, & corruat totus cumulus; ita nec expedit movere ſcrupulos diſputando cum illis, ne uno ſcrupulo tacto moveantur omnes & turmatim conſcientiam obruant. Itaque ne propterea exiſtimet ſcrupuloſus, dum agit contra ſcrupulos, ſe agere contra conſcientiam, ſed potius contra inanem formidinem: ſcrupulus ſiquidem non eſt conſcientia ſeu judicium aliquod practicum rationis, ſed tantum ſuſpicio perturbans & inquietans animam ſine ſufficienti ratione, qui optimè vincitur contra agendo, illumque contemnendo: nam ſicuti in quavis materia audendo & contra agendo homines redduntur audaces & reſoluti; ita etiam id potiſſimum contingit in materia ſcrupulorum: quare ſicut illi qui timent aſcendere turrim, vel locum ſublimem, poſtquam illum aliquoties aſcenderunt, deſinunt timere; ita ſcrupuloſi deſinunt timere cum ſæpe contra ſcrupulos egerint.

Dico 3. non eſt licitum agere contra ſcrupulum niſi quis reputet eſſe ſcrupulum, quia contra agendo, alioqui ageret contra dictamen conſcientiæ, licet erroneæ; ſufficit tamen quod moraliter reputet, vel ſciat eſſe ſcrupulum; quia ſemper eo ipſo cum illo poteſt conſiſtere conſcientia practicè recta, qualem poteſt illi facere auctoritas confeſſarii, ſuperioris, vel alterius viri docti & pii cui conſcientia ejus eſt perſpecta: unde eo ipſo quo confeſſarius, ſuperior, vel aliis quiſpiam vir doctus & pius cui conſcientia alicujus ſcrupuloſi eſt perſpecta, dicit eum eſſe ſcrupuloſum,

debet

Digitized by Google

debet credere ſe eſſe talem, etſi ſibi ſoli videatur alius: id autem eſt neceſſarium ut ſciat ſibi applicanda remedia, ſibique competere privilegia ſcrupuloſorum. Confirmatur hoc ex eo quod auctoritas unius viri docti & pii ſufficiat ad aſſecurandam conſcientiam, & tam reddendam practicè tutam, ſaltem reſpectivè: quare ex conſilio confeſſarii vel ſuperioris ſcrupuloſus nihil debet habere pro peccato mortali, ſive ſit præteritum, ſive futurum, niſi certiſſimè ſciat eſſe tale: ex quo ſequitur quod eo ipſo quo dubitat aliquid eſſe mortale, id tamquam ſcrupulum ab eo explodi & contemni poſſe; nam cum ſcrupuloſi dubitent etiam de rebus clariſſimis, & timeant vel ſpeculentur peccatum mortale ubi nulla eſt apparentia, intollerabile illis foret practicè pro peccato habere quidquid illis ut dubiè malum repræſentatur; & cum ſint ita propenſi ad judicandum quidlibet eſſe malum, non eſt morale periculum ne aliquid ſit mortaliter malum quod ab illis certiſſimè non creditur tale: hinc prudens confeſſarius nullatenus debet permittere ut ſcrupuloſus confiteatur peccata quę dubitat in prioribus confeſſionibus non fuiſſe manifeſtata; ſiquidem credulitas ſcrupuloſi in hac parte æquivalet certitudini hominis pacatæ conſcientiæ.

Petes, quomodo ergo prudens Confeſſarius diriget in particulari conſcientiam hominis quem novit ſcrupuloſum.

Reſp. ſecundum ſubſequentes regulas.

Quomodo confeſſarius diriget cōſciētiam hominis ſcrupuloſi.

I. Ipſi injunget ut in omnibus ſtet dictis ſui confeſſarii vel alterius directoris ſuæ conſcientiæ, illique per omnia obediat.

II. Illi injunget, ut non credat aliquid eſſe peccatum mortale, niſi hoc ipſi certò conſtet; quia ſcrupuloſus, ubi non habet certitudinem, habet rationabilem cauſam opinandi eſſe ſcrupulum.

III. Omnia ſcrupuloſorum dubia explicabit in meliorem partem.

IV. Poteſt quis eſſe tam ſcrupuloſus ut ex conſilio confeſſarii nihil habeat pro mortali, niſi quod auderet jurare eſſe mortale.

V. Non debet ſcrupuloſus ſecum diſputare an aliquid certiſſimè ſit peccatum, nec ne: ſed ſi primo intuitu hoc ipſi non videatur, id liberè & audacter contemnat tamquam ſcrupulum; nam eo ipſo hoc ipſi non eſt certiſſimum.

VI. Frequenter agat contra ſcrupulos; unde ſi quis dubitet ſe committere peccatum legendo aliquem librum pium, debet datâ oportunitate & operâ aliquando illum inſpicere.

VII. Debet confeſſarius pœnitentem monere de obligatione agendi contrà ſcrupulos, quoties pœnitens ex illis grave aliquod damnum animæ vel corporis pateretur, v. g. periculum incidendi in

 maniam.

Digitized by Google

maniam. Experientiâ conſtat plures hoc remedio eſſe ſanatos : nam ſic avertitur imaginatio à ſcrupulis, quarum ſpecies alioqui continuâ cogitatione magis augentur ſicut augetur habitus exercitio actuum : quin imo forti & frequenti imaginatione nonnumquam læditur ipſa potentia imaginativa.

VIII. Si ſcrupuloſus ſit vir doctus, cogitet quid conſilii alteri in ſimili caſu ſuaderet, & eo utatur pro ſemetipſo ; cum ipſe non ſit pejoris conditionis, quam alius.

IX. Doceat ſcrupuloſum ſentire de Domino in bonitate, & recurſum habere ad B. Virginem ſæpius dicendo, *Monſtra te eſſe Matrem*.

Petes, an eodem modo dirigenda ſit conſcientia ſcrupuloſorum in una tantum materia, qui quoad alias non videntur timoratæ conſcientiæ ; ſic v. g. ſunt aliqui tantum ſolliciti circa peccata præterita, nec multum curant peccata in futurum præcavenda.

Aliter dirigẽdus ſcrupuloſus in una ſoliì materia de cætero laxus.

Reſp. cum ſimilibus cautius eſſe agendum ; quia in illis non militant rationes æqualiter excuſantes, quas ſupra pro ſcrupuloſis timoratæ conſcientiæ adduximus : & idcirco prudens confeſſarius talibus præſentaneum præſcribet remedium, frequentem confeſſionem, ut vel ſic ad ſaniorem mentem reducti & paulatim abſtinentes à peccatis ſuis timoratiorem accipiant conſcientiam.

Petes, an verè ſcrupuloſus poſſit exiſtimare ſibi licitum illud agere vel omittere tamdiu, quam non conſtat ipſi de contrario.

Reſp. Affirmativè : ut adhuc ſupra diximus.

Dices, hæc conſequentia non valet ; non eſt certum hoc eſſe illicitum ; ergo eſt licitum.

Reſp. conſequentiam hanc factam ab homine ſcrupuloſo eſſe bonam ; non tamen reſpectu alterius hominis non ſcrupuloſi : quia verò magna pars medicinæ alicujus morbi conſiſtit in cognitione cauſæ morbi ; idcirco juvat hic indagare cauſas ſcrupulorum, quæ ordinariè à Doctoribus aſſignantur ſequentes.

Cauſæ ſcrupulorum.

1. Peccatum originale tamquam cauſa remota, ex qua profluit ignorantia, prima parens & origo omnium ſcrupulorum ; quæ ſane non ſunt niſi quædam judicia erronea ; ſi enim certò ſciretur res eſſe bona, quæ ſub ſpecie mali apprehenditur, vel hæc apprehenſio ſponte deſineret, vel certè animum non affligeret.

2. Eſt naturalis complexio, qualem habent phlegmatici, vel melancholici : ſiquidem defectu caloris naturalis ſpiritus vitales circa cor conſtipantur, vel quaſi congelantur ; unde ulterius per naturalem ſympathiam fit, ut per imaginationem apprehendantur omnia triſtia & mala : contingit quoque ex melancholia quod cerebrum ab atra bile lædatur ; & quidem ſi ab illa exun-

Digitized by Google

exundante lædatur anterior cellula cerebri, quæ eſt receptaculum imaginationis, lædetur imaginativa; quod ſi media cellula lædatur, lædetur judicativa: quod ſi verò poſterior, lædetur memorativa: conſtat autem plurimis medicorum experientiis unam quandoquo poſſe lædi, non læſâ alterâ.

3. Eſt tentatio Dæmonis, qui licet nequeat immediatè invadere ſuperiorem animæ noſtræ partem, cujus claves Deus ſibi ſoli reſervavit; poteſt tamen commovendo organa & humores appetitus ſenſitivi, objiciendo imaginationi objecta triſtia, indirectè movere appetitum ſuperiorem; ſicut & poteſt inflammando renes & ſanguinem, commovere ad libidinem: ita quoque poteſt commovere atram bilem & ita ſcrupuloſis objicere umbras peccatorum; illo enim humore tamquam præcipuo inſtrumento utitur ad omnes tentationes.

4. Converſatio cum ſcrupuloſis; ſicuti enim cum ſancto Sanctus eris, & cum perverſo perverteris, ita cum ſcrupuloſo ſcrupuloſus eris.

5. Eſt occulta ſuperbia alieno judicio nolentis acquieſcere, ſed ſuum proprium præferentis: ſolent enim ſcrupuloſi ordinariè eſſe boni ingenii; quare neſcio per quas conſequentias inveniant ſubinde ſubtiliſſimos ſcrupulos: unde ingenium ſuum æſtimantes non poſſunt ſibi perſuadere ſe falli; quod ſanè ſine peccato illis in initio non cōtingit.

Porrò expedit ſcire ex qua cauſa ſcrupuli oriantur, quia non omnibus morbis una eademque competit medicina; nam ſæpe uni obeſt quod alteri prodeſt. Addo ſcrupulos quandoque permitti à Deo in pœnam præcedentium peccatorum, ut patet in illis qui à diſſolutiori vita ad meliorem convertuntur, qui plurimis interdum ſcrupulis agitantur: aliquando verò permittit Deus aliquas animas ſcrupulis agitari ad majorem ipſarum profectum ſpiritualem; proſunt enim ad humilitatem & propriæ fragilitatis cognitionem, prout & ad refrænandas proprias paſſiones adhuc nimium vivaces: etſi verò hæc poſſint eſſe ſolatio hominibus ſcrupuloſis, plura tamen & majora ſunt ſcrupulorum incommoda, ob quæ hi ab animabus perfectionis ſtudioſis, nec habentibus laxas conſcientias, ſunt fugiendi. Unde S. Bernardus in anima pia prærequirit ſpiritum liberum ab omni perturbatione & ſcrupulo; addens cauſam; *quia in pace factus eſt locus ejus*: detrectat enim Deus habitare in anima turbida & inquieta; & certè ſcrupuli rationem interdum ita offuſcant, ut hominem exponant periculo dementiæ, & viros licet doctiſſimos reddant ineptos ad docendum, concionandum, confeſſiones audiendas &c. interdum quoque dum ipſis via virtutis apparet nimium arcta, rediguntur in deſperationem; & reſpicientes retro, revertuntur ad

viam latam, & fiunt noviſſima eorum pejora prioribus. Quibus omnibus attentis, patet quam prudenter agendum ſit cum hujuſmodi animabus ſcrupuloſis: unde benè notet prudens confeſſarius ut cum illis procedat in Spiritu lenitatis, cavendo ne propter aſperas increpationes cadant in deſperationem, qui per benignas monitiones poterant erigi; & in memoriam revocet illud Apoſtoli ad Gall. 6. *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Ad extremum obſervet, ne in dando eis conſilio vacillanter, aut dubiè reſpondeat, vel dicat ſe ita putare; ſed pro certo affirmet, imo & præcipiat ſimpliciter id agere, quod ſuggerit illis faciendum: quia ſi ſe dubitare oſtendat, novam dubitandi & anxiandi cauſam ſcrupuloſo adminiſtrabit.

Hic Lector.

Diſce diſperſiones cordis tui congregare, & collecto Spiritu, mente ſobriâ, & à curis vacuâ, attende quale, & quantum conſcientiæ ædificium Deo tuo in medio tui præpares: neque enim venitur ad bonam conſcientiam, niſi per cordis accuratam cuſtodiam: in hac, tamquam in ſpeculo, rationis tuæ oculus quidquid decet aut dedecet creaturam rationalem claro intuetur aſpectu. Hæc unicuique ſuus liber eſt, ad quem diſcutiendum, reformandum, & emendandum omnes alii libri reperti ſunt. Cum de corpore egredieris nullum alium præter hunc conſcientiæ librum tecum aſportabis: atque in illo clarè cognoſces quo te oporteat ire, an ad dexteram, an ad ſiniſtram. Ex his quæ ſcripta erunt in libro hoc, judicaberis: ſi quid ergo in eo corrigendum aut emendandum habes, id tempeſtivè in hac vita corrige & emenda; adeoque ſtatue ante te, judicans modò temetipſum, nam in die illa, quâ Dominus ad judicandum venerit; aperto conſcientiæ libro, prout in eo ſcripſeris, ita judicaberis: ut habetur Apocal. 20. Libri aperti ſunt & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATUS XII.

De Regulâ remota actuum Humanorum, quæ eſt Dei voluntas.

QUIA Dei voluntas eſt regula remota actionum humanarum, hinc nos oportet hic indagare quomodo actiones noſtræ ei debeant conformari ad hoc ut ſint bonæ. Pro quo.

Quadruplex conformitas voluntatis noſtræ cũ divinâ.

Notandum 1 quadruplicem poſſe diſtingui conformitatem voluntatis noſtræ cum divinâ: idque ſecundum quadruplex genus cauſæ. In volito materiali, ſeu in genere cauſæ materialis; id eſt parte objecti materialis, dum nimirum idem volumus quod vult Deus. 2. In volito formali, dum objectum materiale volumus ob eandem rationem, ob quam vult Deus; & quia ratio non diſtinguitur à fine, poteſt quoque illa conformitas dici in genere cauſæ finalis. 3. Alia eſt conformitas formalis ex parte principii volendi; quando nimirum aliquid volumus eodem voluntatis affectu, quo vult Deus: nempè affectu charitatis. 4. Eſt conformitas in generæ cauſæ efficientis, quâ nimirum voluntas noſtra conformatur divinæ, ut effectus ſuæ cauſæ: prout contingit quando volumus id quod Deus vult nos velle: ſeu quando voluntas noſtra eſt talis, qualem vult eam Deus eſſe.

Multiplex diviſio voluntatis divinæ.

Prænotandam 2. voluntatem divinam etſi in ſe unica ſit, tamen multipliciter dividi: primò quidem in voluntatem ſigni; & voluntatem beneplaciti: quæ quidem voluntas beneplaciti eſt propriè dicta voluntas in Deo; quâ nimirum ei aliquid abſolutè placet, & conſequenter conſtituit ut ſit vel fiat.

Alia voluntas bene placiti.

Hæc Dei voluntas æterna eſt, quæ mutari non poteſt, nec effectu ſuo carere; adeoque ſemper eſt efficax, & ſemper impletur, quantumvis invitâ ſæpe, & repitente voluntate humanâ: talis eſt voluntas Dei ut nullus electorum pereat, nullus reproborum ſalverur; & ut tam illorum gloria, quam horum pœna ſemper duret.

Eſt ſemper efficax.

Voluntas ſigni autem eſt tantum voluntas methaphorica: eſtque à parte rei, res aliqua vel actio, quæ ſicuti dũm fit ab homine eſt ſignum voluntatis in homine exiſtentis reſpectu talis actionis; ita quia de Deo cogitamus ſicut de hominibus ex actione aliqua ab ipſo procedente tanquam ex ſigno colligimus eſſe in illo voluntatem, quia dicimus eum velle hoc vel illud, ſignum autem

Alia voluntas ſigni; quæ eſt tantum voluntas metaphorica.

tem illud ſolet aſſignari quintuplex hoc verſu contentum.

Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Voluntas ſigni quintuplex. Nempè præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, operatio: quorum quodlibet dicitur impropriè voluntas, appellatione ſumptâ ab eò quod accidit circa voluntatem humanam; eò quod hæc ſoleant eſſe ſigna voluntatis in hominibus: nam ſi quid præcipimus vel prohibemus, volumus, quantum in nobis eſt, ut hoc fiat, vel non fiat; ſi quid verò operemur, certum eſt ordinariè nos id velle; ſi quid verò permittimus, quod eſt in noſtra voluntate impedire, cenſemur id velle; & reverâ ſæpe volumus indirectè, eſto directè velimus ne fiat. Deus verò quidquid operatur, id abſolutè vult; eſt enim operatio divina certiſſimum ſignum quod hoc velit; eamque, ut effectus ſuam cauſam, manifeſtè demonſtrat. Ex hac parte, voluntas ſigni ſemper coincidit cum voluntate beneplaciti; non tamen quidquid præcipit, prohibet, vel conſulit Deus, abſolutè vult fieri, vel non fieri; ſed horum omnium quædam vult, quædam non vult: porro eorum quæ tantum permittit vel tolerat, nihil omnino velle dicendus eſt; quia eorum auctor non eſt, utpote peccatorum, nec tamen permiſſio malè numeratur inter ſigna quæ voluntatis nomen accipiunt, etiam in Deo: quia hac ratione

Voluntas ſigni quoad operationē coincidit cum volútate beneplaciti.

Scriptura Sacra interdum dicit Deum mala facere, nimirum permittendo: concedendum quoque eſt eum hoc modo mala velle; nam in hujuſmodi non ſonat durius velle, quam facere; licet utrumque dicatur impropriè.

Petes, quomodo illa quinque rectè vocentur ſigna divinæ voluntatis, cum ſæpe Deus illa non velit; ergo illa erunt ſigna falſa.

Reſp. ex dictis hæc vocari ſigna non divinæ voluntatis ſeu beneplaciti divini; ſed ſimpliciter ſigna voluntatis; eò quod in nobis ſoleant eſſe ſigna volendi; eo modo quo punitio & caſtigatio non eſt ſignum quod in Deo ſit ira; ſed quia punitio in nobis eſt ſignum iræ, ideo quoque in Deo dicitur ita.

Alio modo dividitur voluntas Dei in Antecedentem & Conſequentem: quæ diſtinctio non deſumitur ex parte divinæ voluntatis, ſed ex parte volitorum.

Voluntas Antecedens vocatur illa, quia Deus vult aliquod objectum ſecundum ſe, non habitâ ratione circumſtantiarum: quomodo vult omnes homines ſalvos fieri. Voluntas Dei alia antecedēs.

Voluntas Conſequens vocatur illa, quâ Deus vult objectum habitâ ratione omnium circumſtantiarum, quod non vellet ſi non eſſent tales circumſtantiæ: quo modo vult aliquos in æternum damnari, habita ratione pec- Alia cōſequens

Digitized by Google

peccatorum. Harum duarum voluntatum diſtinctio declarari ſolet exemplo alicujus principis, qui omnes ſuos ſubditos vult eſſe incolumes voluntate antecedente: voluntate verò conſequente vult aliquos mori, qui nimirum commiſerunt crimen læſæ majeſtatis.

Dico ergo 1. obligamur voluntatem noſtram conformare voluntati divinæ præcipienti, vel prohibenti: tenemur ſiquidem facere quæ Deus præcipit, & omittere quæ prohibet: in his verò quæ tantum conſulit, non tenemur voluntatem noſtram ei conformare in volito materiali; ſed ſatis eſt quod ea reputemus tamquam bona & ſalutaria; quia certum eſt non omnes fideles obligari ad intrandam religionem, ad ſervandam virginalem caſtitatem; dicente Apoſtolo 1. Cor. 7. *De Virginibus præceptum Domini, non habeo: conſilium autem do &c.*

Quod attinet ad voluntatem Dei permittentem; non poſſumus voluntatem noſtram ita conformare divinæ, ut poſitivè velimus id, quod ipſe tantum permittit, vel poſitivè velimus, quod ipſe ea in nobis permittat: ſed ſufficit quod permiſſionem ejus non reprehendamus, nec contra illam murmuremus; utpote cum habeat juſtam cauſam permittendi. Ratio horum eſt, quia nobis non eſt licitum peccare; ſola autem peccata ſunt quæ Deus tantum permittit, quæ conſequenter non licet poſitivè velle, neque velle ut Deus nos permittat peccare.

Nota voluntatem noſtram quandoque conformari voluntati divinæ in volito materiali, quandoque in formali, quandoque in utroque ſimul; ſic quando Deus volebat mortem Chriſti, eandem quoque volebant Judæi; adeoque conveniebant in volito materiali: ſed non conveniebant in volito formali, quia non ſub eadem ratione formali volebant quâ Deus illam volebat; quia Deus mortem illam volebat ad redemptionem generis humani; Judæi autem ex odio & invidia; è contra verò quandoque reperitur conformitas in volito formali, & non in materiali: ſic enim quando Apoſtolus ad Phil. 1. volebat diſſolvi, eſſe cum Chriſto; Deus illam diſſolutionem nolebat: ambo tamen illa duo contradictoria volebant ſub eadem ratione formali, nempe boni divini.

Voluntas humana quandoque ſolum conformatur divinæ in ſolo volito materiali.

Quandoque in ſolo formali.

Quandoque in utroque.

Petes, an homo teneatur voluntatem ſuam conformare voluntati beneplaciti divini in volito materiali.

Non eſt obligitio ſemper cõformãdi ſe volũtati beneplaciti divini quoad volitũ materiale.

Reſp. ſi homo ignoret quod Deus hoc vel illud velit voluntate beneplaciti, non tenetur voluntatem ſuam illi conformare quoad volitum materiale.

Prob. quia idem objectum ſecundum diverſas rationes conſideratum poteſt eſſe appetibile & refugibile, habere rationem boni & mali;

mali; atque adeo ſecundum diverſa munia perſonarum ab uno laudabiliter appetetur ſub ratione boni, ab altero verò laudabiliter rejicietur ſub ratione mali: ſic mors latronis conſiderati poteſt tamquam juſta & commoda tranquillitati Reipublicæ quam proinde laudabiliter vult judex, cui imcumbit malefactores punire: uxor verò & proles poſſunt illam refugere tamquam familiæ ſuæ damnoſam: eodem modo fieri poterit, quod Deus velit aliquod particulare objectum ex aliquo univerſali motivo, quod ipſi convenit conſiderare: v g. patrem tuum hoc menſe mori; idque quia ita poſtulant ejus peccata: tu verò poteris mortem ejus hoc menſe nolle ex motivo aliquo inferiori, v. g. quia pietas naturalis, vel aliquod bonum corporale ſic poſtulat. Sic Abraham Gen. 22. volebat occiſionem filii, quam Deus nolebat. Sic quoq; David. 2. Reg. cap. 7. volebat ædificare templum Domino, quod tamen Deus nolebat: & Paulus 2. Cor. 12. volebat carere ſtimulo carnis, quo Deus ipſum carere nolebat.

Petes; quid ſi voluntas beneplaciti divini ſit nobis nota, an tunc teneamur voluntatem noſtram ei conformare in volito materiali.

Reſp. negativè: quia adhuc dubitare poſſumus an illa voluntas ſit abſoluta, an conditionata: quod præcipuè in malorum comminatione ſolet accidere; multa enim Deus comminatur abſolutè ad terrorem, licet ſubintelligatur aliqua conditio: ut patet in comminatione Ninive facta per Jonam Jo. 3. *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.*

Petes, quid ſi voluntas beneplaciti ſit nota tamquam abſoluta, an poterimus nolle objectum illud materiale.

Reſp. affirmativè: ſimplici nimirum & inefficaci voluntatis affectu, quamvis non ſub ea ratione, quâ eſt volitum à Deo. Quod probatur exemplis ſcripturæ S. ſic enim ſciebat Abraham Geneſis 18. Deum velle ſubvertere Sodomam voluntate beneplaciti; & tamen, quantum in ſe erat, id nolebat, & rogabat ne fieret. Sciebat David 2. Reg. 12. Deum abſolutè velle ut infans ejus ex adulterio ſuſceptus moreretur; & tamen de hoc vehementer dolebat. Sciebat Apoſtolus Rom. 9. Deum velle delere gentem Judaicam; & tamen ſuper hoc in tantum dolebat, ut vellet fieri anathema pro fratribus ſuis. Sciebat Chriſtus patrem ſuum abſolutè velle ut moreretur; & tamen triſtis fuit uſque ad mortem, etiam in appetitu ſuo rationali. Ita quoque viri Sancti & boni lugent præmaturam mortem eorum, quorum vitam putant fore utilem ad gloriam Dei; idque dolore non tantum ſenſibili, ſed & rationali.

Dices, qui optat non fieri quod Deus abſolutè vult fieri, optat implicitè divinam voluntatem non impleri; ſed hoc optare eſt impium:

pium : nam melius eſſet perire omnes creaturas, quam minimam Dei voluntatem non impleri. Inſuper qui conatur impedire quod Deus abſolutè vult fieri, ſe Deo opponit: & ſuo facto ſignificat ſe divinæ potentiæ velle reſiſtere : quod impium eſt.

Reſp. ad primum, talem nullatenus optare ut divina voluntas non adimpleatur; quod certe eſſet impium : ſed optare tantum ut tale decretum in Deo non fuiſſet; & quod malitia humana nunquam dediſſet Deo occaſionem faciendi tale decretum : quod ſane ſine injuria in Deum, quin imo ex perfecta charitate optari poteſt; ut patet ex Apoſtolo Rom. 9. qui graviſſimè dolebat de divino decreto reprobationis judæorum: nec obſtat quod illud decretum ſit æternum; quia ſuo modo pendet ab hominum malitia, quæ eſt in tempore. Ad ſecundum dico, non omnia quæ Deus vult fieri, velle illa fieri abſolutè & inevitabili neceſſitate; ſed multa tantum velle fieri ſuppoſita prævifione cauſarum ſecundarum, quæ impediri poſſunt: nec poſitâ tali præviſione ſemper abſolutâ voluntate vult; ſed ſæpe ſub conditione; quæ vel precibus vel humanâ induſtria ſæpius averti poteſt.

Dico 4. illicitum tamen eſt nolle efficaciter quod Deus efficaciter vult fieri, ſi divinum illud decretum tibi innoteſcat.

Probatur, quia id quod Deus abſolutè & efficaciter vult, impoſſibile eſt ut non fiat: unde inanis & ſtulta ejuſmodi nolitio eſt; adeoq; difformis rectæ rationi : quam ob rem efficaciter velle non poſſumus, ut aliquid factum vel dictum non ſit, quod jam dictum vel factum eſt; eò quod ad præteritum non detur potentia.

Dices, etiamſi ſciam ſuperiorem meum velle hoc vel illud à me fieri, non tamen teneor obedire niſi mihi præcipiat. 2. Quoties ego aliquid facio, Deus voluntate beneplaciti vult hoc à me fieri, & tamen ad hoc non teneor, niſi mihi præcipiat.

Reſp. ad primum; rationem diſparitatis eſſe, quod efficax Dei decretum nobis notum habeat vim præcepti; eò quod ex natura rei voluntas noſtra tamquam ſubdita & inferior debeat obſequi & conformari voluntati divinæ tamquam ſuperiori: ſecus eſt in decreto ſuperioris, quod non eſt efficax niſi præcipiat. Ad ſecundum verò dico; non omne quod fit, Deum abſolutè velle ut fiat; ſed multa ſolum permittere.

Petes, an homo quandoque non ſit obligatus nolle quod Deus vult: v. g. an filius familias non obligetur dolere mortem patris, quem ſcit peculiari Dei voluntate mortuum, vel damnatum.

Reſp. etſi ſpectatâ humanâ fragilitate ordinariè foret ſignum ali-

Digitized by Google

cujus inordinati affectus, & ſcandaloſum ſimili caſu nullum dolorem elicere, tamen per ſe loquendo, & ſepoſito ſcandalo, nullam eſſe obligationem contrarium volendi, aut dolendi: imo oppoſitum eſſe perfectius & laudabilius; ſiquidem charitas, pietas, vel aliæ virtutes non ſolent obligare, niſi dum earum motivo ſatisfacere, & proximis prodeſſe poſſumus: dolere verò ob ſimilem cauſam nullum poteſt eſſe commodum: quin imò magnum ſæpe eſt incommodum, quandoquidem dolor ille ſoleat excitare diſtractiones & perturbationes conſcientiæ; affectus enim partis inferioris per naturalem ſympathiam ſolent movere ſuperiores: & hinc probatur quod ſit perfectius exemplo multorum Sanctorum ejuſmodi affectus ſupprimere, ut voluntas noſtra undique ſit conformis divinæ: abſtrahendo tamen à ſcandalo, ad quod vitandum expedit dolorem exprimere.

Laudabiliſſima proinde & omnium perfectiſſima eſt praxis illarum animarum, quæ in omnibus idem volunt quod vult Deus, & ſub eodem motivo quo vult Deus, conformantes ſe illi tam in volito materiali, quam formali; etiam quoad damnationem omnium impiorum: ſiquidem voluntas divina, cum ſit bona, noſtra ei ſe conformans non poteſt eſſe mala innixa eidem motivo quod habet Deus: quin imò talis eſt voluntas omnium beatorum in cælo. Hinc cum Deus vult ut tu exiſtens in peccato mortali careas gratiâ; ut pater tuus, quem ſcis mortuum in peccato mortali, damnetur; potes idem velle ſub eadem ratione quâ vult Deus: ſimiliter dum vides hæreticos dominari, fidem Catholicam ex urbibus eliminari, pios occidi & affligi, monaſteria everti, Sacramenta conculcari, potes eadem velle ſub eadem ratione quâ Deus, dicendo; *Fiat voluntas tua*: ſiquidem in omnibus quæ vult Deus, juſtiſſimas habet cauſas cur velit; ergo ob eaſdem cauſas poſſumus & nos eadem velle.

Nota tamen quod, ſicut Deus multa vult voluntate conſequente, quæ non vult voluntate antecedente; ita nos debere affectu quaſi antecedente ſæpius optare oppoſitum, quamvis, ſuppoſitâ voluntate Dei conſequente, nos ejus voluntatem tamquam juſtam approbemus, illique nos conformemus: & ita voluntate antecedente debet filius dolere parentem, in mortali mortuum, damnatum; ſed voluntate conſequente, ſuppoſitis nempè ejus demeritis ſe conformare voluntati divinæ: ſiquidem ſanctiſſima hæc Dei voluntas eſt perfectiſſima regula omnium actionum noſtrarum.

Eapropter, ſicuti ad bonum hujus mundi regimen notamus duo horologia, unum naturale ſolis, quem Deus ad hoc in cælis cum cete-

cæteris ſtellis collocavit, ut eſſet in ſigna, tempora, menſes, & annos; quod horologium eſt adeo certum ut nullus in eo poſſit deprehendi defectus: alterum verò artificiale, confectum ex rotulis vel lineis, quod quandoque eſt pravum, quandoque rectum: tunc verò eſt rectum, quando omnes ejus lineæ vel rotulæ ad motum ſolis diriguntur: tunc autem pravum & irregulare, quando à motu ſolis diſcordat: unde ſi audires confectorem horologii artificialis, eo tempore quo ſonaret hora decima, cum in horologio ſolis notaretur tantum ſexta, dicentem, meum horologium eſt rectum, ſolis verò perverſum & irregulare; an non replicares, ipſum artificiale eſt perverſum, quippe cum horologium ſolis non debeat ſe illi conformare, utpote prima regula omnium horologiorum. Hoc modò in moralibus duo quoque ſunt horologia, unum Dei voluntas, aliud voluntas humana; illa eſſentialiter bona, adeoque horologium quaſi naturale; hæc quaſi alterum artificiale Quando quæſo hoc artificiale erit rectum? quando erit conforme horologio divinæ voluntatis. Tale erat horologium primi noſtri parentis quando recenter à Deo fuit formatus; de quo Scriptura S. ait, Eccleſ. 7. *Quod fecerit Deus hominem rectum*; quando nimirum pars inferior erat tota ſubdita ſuperiori, & ſuperior tota obediebat Deo: ſed quando horologium illud cœpit perverti, & fieri irregulare? quando Adam voluntatem ſuam præpoſuit voluntati divinæ, volens ut voluntas ſua ſibi eſſet regula per ſuperbiam elatus Dei contemnens voluntatem.

„ Duæ ſunt voluntates, inquit „ S. Auguſt. in Pſalm. 31. voluntas „ Dei, & voluntas tua; ſed voluntas „ tua corrigatur ad voluntatem Dei; „ non verò voluntas Dei corrigatur „ ad voluntatē tuam. Si quando horologium artificiale erret, ſignans horam octavam, cum tantum ſit quinta, inſpicis horologium naturale, & ſic tuum ad illius motum corrigis: pari modo voluntas noſtra eſt rectificanda ad voluntatem Dei. O! quantum aberrabat illud horologium Pauli Actor. 9. quot horas perverſas ſonabat! quomodò verò illud fuit correctum? *Subitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram .... dixit, Domine quid me vis facere?* Primum proinde quod director horologii mane facit dum ſurgit, eſt horologium ſuum componere ad motum ſolis; idque ut toto die congruè deſignet omnes horas; veſperi quoque idem facit, ut totâ nocte pariter benè notet: idem quoque nobis omnibus eſt agendum: mane dum ſurgimus, dicamus; *fiat voluntas tua*: Idem dicamus veſperi, & in omnibus voluntatem noſtram jugiter conformemus divinæ.

Sane iſtum Chriſtianæ perfe-

Digitized by Google

ctionis apicem S. Baſilius collocat in hac noſtra voluntatis conformitate cum divina: hæc enim hominem in manus Dei non aliter ſtatuit quam pauxillum luti in manibus figuli, ut is de illo vas ſtatuat quod ipſi libuerit. Sane hæc conformitas voluntatis noſtræ cum divina eſt quædam in terris beatitudo, nam ſicut in cœlo nullæ ſunt mutationes, nullæ viciſſitudines; ſed ſemper in uno ſtatu beati permanent, Deo ſuo fruentes; ita qui in hoc mundo ad perfectam illam conformitatem pervenerunt, nullus hujus mundi perturbationibus aut fortuitis ſucceſſibus turbantur, ſcientes nihil ſine divinâ voluntate contingere poſſe: unde nihil eſt quod eos conſternat, eſto videant impios dominari, probos opprimi, religionem everti, clerum perverti &c.

Ex hac conformitate ortum habuit in SS. viris perpetua illa pax & mentis tranquillitas: deerant forſitan illis labores, tentationes, moleſtiæ, aut infirmitates? non ſanè; quin imo maximos quoſque Sanctos Deus his ſolet probare: in uno tamen ſtatu & tranquillitate mens illorum manebat, eandem vultus ſerenitatem ſemper præ ſe ferentes; ita ut continuum feſtum diem in anima ſua peragere videntur: nec hujus alia cauſa fuit quam hæc conformitas voluntatis cum divina, in cujus adimpletione omne ſuum gaudium collocabant.

TRACTATUS XIII.

De Virtutibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit virtus.

SUpponendum 1. virtutem generaliter ſumptam eſſe quemdam habitum: quia quando juſtus ceſſat ab omni actu etiam interno, veluti dum dormit, vel peccat venialiter, certum eſt aliquid in eo remanere, quo manet Deo gratus, & potentiam habet ut poſſit benè & meritoriè operari; ſicuti qui eſt caſtus, temperans, vel ſobrius, etiam tunc talis eſt quando actu non agit formaliter ſobriè, temperanter, vel caſtè; ergo oportet in illis agnoſcere quemdam habitum permanentem: idem dicendum de hominibus malis, qui ceſſan-

ceſſante etiam omni prava operatione, ſunt vitioſi, utpote ab habitu eis intrinſeco.

Quid virtus generaliter ſumpta. Supponendum 2. habitum illum, qui eſt virtus generaliter ſumpta, quandoquidem ſit perfectio quædam naturæ rationalis quà rationalis eſt, ordinari ad perficiendas duas animæ potentias, videlicet intellectum & voluntatem in ordine ad ſuas operationes, quæ ſunt intelligere & velle; hæc autem perfectio potentiæ conſiſtit in attingendo vero, & bono honeſto: tunc enim intellectus perfectus eſt, quando in qualibet re aſſequitur veritatem clarè & certò quantum moraliter fieri poteſt: & tunc voluntas perfecta eſt, quando firmiter & conſtanter inhæret bono honeſto: ſic enim utraque potentia finem, ad quem à Deo eſt inſtituta, aſſequitur; itaque habitus ille, qui virtus vocatur, perficit & juvat illas duas potentias ad haſce duas operationes: hinc non malè Philoſophus virtutem definivit, eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum; quia ſcilicet perficit & quaſi complet utramque illam potentiam ad optimam oparationem circa ſua objecta.

Supponendum 3. virtutem generaliter ſumptam eſſe habitum operativum boni, quia nimirum moderatur paſſiones, quod facit agendo contra actus inordinatos paſſionum, nimirum ſua actione illos refrænando & impediendo.

Supponendum 4. eſſe duplex virtutum genus; unum intellectus, alterum voluntatis; nam cum ſint duæ ſupremæ potentiæ rationales, utraque debet perfici ab intrinſeco ad ſupremas ſuas operationes immanentes eliciendas. Et ſic virtus intellectus definitur, eſſe virtus intellectum perficiens ad cognitionem veri; facit enim ut infallibiliter verum cognoſcatur; & tales virtutes ſunt prudentia, fides, ſapientia &c. Virtus voluntatis, eſt habitus perficiens voluntatem ad attingendum honeſtum; & tales ſunt omnes virtutes morales; ut caſtitas, ſobrietas, temperantia &c. ſic dictæ quod mores hominum juxta præſcriptum rectæ rationis componant: inter quas quatuor vocantur Cardinales; ſic dictæ, quia ſunt quaſi quatuor cardines & quaſi quatuor perfectiones generales quæ in omni virtute debent reperiri; nam omnis virtus debet eſſe prudens in operando ne erret per inconſiderationem vel negligentiam, 2. Juſta, ut det unicuique quod ſuum eſt, Deo, ſibi, & proximo. 3. Fortis, ut conſtanter & fortiter in bono perſiſtat non ſinens ſe ullis illecebris vel ullis difficultatibus ab eo divelli. 4. Temperans, ut modum à ratione præſcriptum non excedat.

Virtus alia intellectualis, alia voluntatis.

Quid virtus moralis.

Quid Virtus Cardinalis.

Supponendum 5. dividi virtutem in Philoſophicam & Chriſtianam: virtus philoſophica eſt virtus naturaliter orta ex frequentatione

Virtus alia philoſophica.

actuum inclinans ad operationem conformem naturæ rationali.

Alia Chriſtiana. Virtus Chriſtiana eſt virtus divinitus infuſa inclinans ad operationem ſupernaturalem conformem rectæ rationi illuſtratæ lumine fidei.

Hæc ſubdividitur in virtutem perfectam & imperfectam, ſive in virtutem ſimpliciter talem, & virtutem ſecundum quid.

Virtus alia ſimpliciter talis, alia ſecundum quid. Virtus perfecta, rectè definitur virtus charitate formata faciens habentem ſimpliciter bonum & opus ejus bonum: imperfecta, eſt virtus deſtituta charitate inclinans quidem ad actum bonum, ſed non faciens habentem ſimpliciter bonum: definit S. Thom. virtutem perfectam, quod ſit bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & quâ nemo malè utitur, quam Deus in nobis, ſine nobis operatur. Definitio virtutis à S. Thoma.

Petes, quomodo ab illa definitione excluditur gratia ſanctificans.

Reſp. per particulam, *quâ*, quæ ſignificat habitudinem principii proximi, quale non eſt gratia ſanctificans, utpote non activa, juxta ſententiam S. Thomæ: ſecundum autem aliorum opinionem probabiliorem quæ gratiam ſanctificantem non diſtinguit à Charitate habituali, non debet à definitione virtutis excludi, cum ſit regina virtutum.

Virtus cauſatur in nobis ſine, nobis agentibus nõ tamen ſine nobis cõſentiẽtibus. Petes, quomodo benè in definitione dicitur, *quam Deus in nobis operatur, ſine nobis*, cum Deus nullum adultum juſtificet ſine ipſo volente & conſentiente, dicit enim Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 7. unumquemque adultum dum juſtificatur ſuſcipere juſtitiam in ſe ipſo ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem.

Reſp. equidem particulam illam non malè poni in definitione, quia eſto Deus neminem juſtificet niſi ipſo volente & conſentiente; juſtificat tamen illum ſine illo agente, hoc eſt, cauſante habitualem juſtitiam quâ juſtus fit: quapropter virtutem Deus in nobis operatur, ſine nobis eam cauſantibus, quamvis non ſine nobis conſentientibus; ſi quidem ipſum habitum virtutis homo non efficit nec ſibi ipſi infundit; ſed Deus illum infundit hominibus ratione utentibus, ipſiſque conſentientibus; quia nimirum per motum liberi arbitrii gratia adjuti conſentiunt virtuti quam Deus illis infundit.

Petes, an omnis virtus Chriſtiana ſit virtus perfecta & ſimpliciter talis.

Reſp. negativè: quia in peccatore fideli poteſt eſſe charitas imperfecta, qua quidem diligitur Deus ſecundum ſe, ſed nondum ex charitate habituali; illa verò eſt Chriſtiana & imperfecta.

Petes, an dentur virtutes morales infuſæ, ſicut dantur acquiſitæ.

Reſp. probabiliter negativè cum Scoto

Probabiliter non dantur virtutes morales inſuſæ.

Scoto & aliis : nam controverſia quam in partem affirmantem decidit Clemens V. in Concil. Viennenſi non erat de virtutibus moralibus, ſed tantum de Theologicis, prout colligitur ex Innocentio III. capite, *Majores*, de baptiſmo. Et ratio eſt, quia ſi illæ requirerentur, hoc eſſet quia forent neceſſariæ ad merendam vel conſequendam vitam æternam; ſed ad hoc non ſunt neceſſariæ; quia ad hoc ſufficit imperium charitatis, quæ poteſt imperare virtutibus acquiſitis; cum ſine charitate nulla alia virtus ſit ſimpliciter talis, vel proſit ad vitam æternam; dicente Apoſtolo 1. Cor. 13. *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Unde charitas meritò à Theologis appellatur forma omnium virtutum; non quaſi ſit illarum differentia conſtitutiva; ſed quia dat eis eſſe virtutis ſimpliciter talis, utique procurando ſuo imperio ut actus etiam virtutum acquiſitarum attingant finem ſupernaturalem, ſintque æternæ vitæ meritorii.

Petes, an erraret qui unam tantum virtutem perfectam & ſimpliciter talem agnoſceret, nempè charitatem.

Reſp. negativè. Quæ doctrina 1. Conformis eſt Apoſtolo ad Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* 2. Conformis S. Auguſtino, qui virtutem definit lib. 15. de Civit. Dei cap. 22. quod ſit ordo amoris. 3. S. Gregorio Papæ, qui Homil. 24. in Evangelia ſic ait; „ ut enim „ multi arboris rami ex una radice „ prodeunt; ſic multæ virtutes ex „ una charitate generantur; nec „ habet aliquid viriditatis ramus „ boni operis, ſi non manet in radice charitatis.„

Secundum quos charitas eminenter eſt omnis virtus, & conſequenter eſt caſtitas, fortitudo, temperantia, & quæcumque alia virtus; nempè diviſione ejuſdem rei in diverſa officia ſecundum quam charitas appellatur caſtitas perfecta, in quantum proponit abſtinere propter Deum ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quam illicitis: appellabitur ſobrietas, in quantum affectum & uſum potus inebriare valentis debitè propter Deum moderatur: vocabitur fortitudo, in quantum adeo firmat animum in bono ut non ſinat cum ullis illecebris, vel ullo metu ab illo divelli: unde hæc eſt vox charitatis; *Quis ergo ſeparabit nos à charitate Dei?* Rom. 8. appellabitur temperantia, in quantum moderatur affectum & uſum ciborum propter Deum: vocabitur manſuetudo, in quantum moderatur paſſio-

paſſionem iræ: ita ut, licet oblato objecto irritante, in nullum iræ motum prorumpat, vel ſaltem juſtum modum in eo teneat: vocabitur humilitas, quatenus præviâ ſui cognitione ſibi vileſcit, ſe ipſam nihil æſtimans, & ſe ipſam reputans omnibus Dei donis indignam, ac proinde non cupiens laudari, honorari, vel magni fieri: vocabitur verò modeſtia, quatenus omnes externos motus & geſtus corporis componit propter Deum juxta præſcriptum rectæ rationis lumine fidei illuſtratæ, imprimendo illis formam, nempè congruentiam & decentiam ad perſonam ſpectatam tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad alios: vocabitur patientia, quatenus comprimit dolorem natum ſequi ex perpeſſione malorum: vocabitur denique magnanimitas, quatenus ad opera heroica in omni virtutum genere inclinat, v.g. ad magnas abſtinentias, ad magnos labores pro animarum ſalute perferendos, ad eximium orationis ſtudium; dicente S. Greg. „amor „ubi eſt, aut magna operatur; aut „amor non eſt: „ita quælibet virtus non eſt niſi charitas inadæquatè concepta: legatur ſuper his S. Aug. lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 15. epiſt. 29. ad Hieron. epiſt. 52. ad Maced. lib. 4. cap. 3. contra Julianum. Et quidem in infidelibus agnoſcimus habitus bonos acquiſitos ex frequentatis actibus, v. g. ſobrietatis, caſtitatis &c. Quos tamen non habemus pro veris & perfectis virtutibus; quia ut ait S. Auguſt. vera virtus ſoli Deo debet ſervire.

Petes, an ergo virtutes infidelium & philoſophorum ſint vitia.

Reſp. negativè: ſiquidem hæc propoſitio eſt à Pio V. Pontifice in Bayo damnata; ſed ſunt imperfectæ virtutes: quia etſi officia illarum propter carentiam relationis ad debitum finem ſint vitioſa, tamen ex ſe ſunt, ad talem finem apta referri: eapropter malitia non tam illis inhæret, quam illis extrinſecus advenit. *Dantur in infidelibus imperfectæ virtutes.*

Petes, in quo ſubjecto ſit virtus.

Reſp. virtus perfecta & ſimpliciter talis tantum eſt in voluntate, etiam prout reſpicit fidem, prudentiam &c. Siquidem affectus habitualis credendi, imperans intellectui eumque captivans in obſequium fidei, eſt in voluntate; quod etiam verum eſt de virtutibus acquiſitis; quia ex voluntate pendet bonitas actus moralis: virtus autem ſimpliciter dicta eſt, quæ facit habentem bonum: & opus ejus bonum: & quamvis in appetitu ſenſitivo ſubjectentur quidam habitus (nam in illis ſuboritur ex frequentatis actibus quædam facilitas correſpondens affectibus temperantiæ, fortitudinis, vel ſobrietatis &c.) illi tamen non ſortiuntur rationem virtutis; eò quod virtus ſolum ſit proprium hominis bonum, *Subjectũ virtutis ſimpliciter dictæ eſt ſola voluntas.*

Digitized by Google

bonum, quatenus homo, & quatenus rationalis eſt.

Virtus non inclinat ad actũ malũ.

Petes, an virtus poſſit inclinare ad actum ex ſua circumſtantia malum; eſto ab objecto bonus ſit.

Reſp. negativè: quia alias concurreret ad ſui deſtructionem: accedit quod actus talis per circumſtantiam vitiatus, jam ſit difformis rectæ rationi, adeoque repugnans inclinationi virtutis: deinde habitus nequit egredi limites ſui objecti formalis; cum ergo talis actus ſit vitioſus, virtus nequit ſe ad illum extendere: quod tamen intellige de virtute propriè dicta, non verò de virturibus philoſophicis & imperfectis, quales ſunt in gentilibus.

Petes, an virtus ſaltem nequeat concurrere ad actum materialiter malum, ſed per ignorantiam invincilem putatum bonum.

Reſp. affirmativè: cum talis actus poſſit eſſe formaliter bonus, & conſequenter ſe tenere intra latitudinem objecti iſtius virtutis.

Petes, quænam ſit cauſa efficiens virtutis.

Quæ ſic cauſa efficiẽs virtutis.

Reſp. cauſa virtutis Chriſtianæ, item ſimpliciter dictæ, eſt ſolus Deus; nec illam habemus à natura, ne quidem per inchoationem; nullum ſiquidem in natura eſt principium eam producens, cum ſit tota per infuſionem; nec contra facit quod dicit S. Aug. lib. de prædeſtinatione SS. cap. 5. poſſe habere fidem, & poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: ex quo videtur ſequi quod fides & charitas ſaltem ſecundum inchoationem inſint nobis à natura; ſiquidem loquitur ibidem S. Auguſt. de potentiâ ſuſceptivâ remotâ fidei & charitatis, non de activâ.

Petes, an ſaltem virtutes philoſophicæ & acquiſitæ non inſint nobis à natura.

Sub quadã cõſideratione in ſunt nobis virtutũ imperfectarũ ſemina à natura.

Reſpondet S. Thom. affirmativè, ſaltem ſecundum aliquam inchoationem, idque tam ratione corporis, quam animæ; in quantum nimirum ex diverſa corporis temperie & diſpoſitione quidam ſunt proniores ad hanc vel illam virtutem, v. g. caſtitatem, manſuetudinem, modeſtiam &c. Juxta illud Job. 31. *Ab infantia crevit mecum miſeratio*: & eatenus quoad haſce virtutes acquiſitas concedi poteſt remanſiſſe in nobis quædam virtutum ſemina; nempè lumen naturale ad cognoſcendum verum, & inclinatio voluntatis in bonum: ſiquidem ut ait Pſalmiſta Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* Nullatenus tamen quoad virtutem ſimpliciter dictam, reſpectu cujus nullum à natura nobis ineſt ſemen, ſeu principium poſt peccatum originale, ut eleganter ait S. Proſper cap. 27. contra collatorem; alioqui enim initium ſalutis eſſet ex nobis.

Petes, an omnes virtutes morales ſint inter ſe connexæ.

Reſp. ſi quæſtio intelligatur de virtutibus moralibus acquiſitis,

Virtutes morales acquiſitæ non ſunt inter ſe connexæ.

nequaquam: ſiquidem experientiâ edocemur quod is, qui ex frequentatis actibus aliquam virtutem acquiſivit, v. g. temperantiam, non ſtatim acquirat reliquas, in quarum actibus ſe non exercet: quod ſi verò intelligatur quæſtio de virtutibus moralibus infuſis, quæſtio ſupponit falſum; quia tales negamus.

Dices, S. Ambroſius lib. 5. c. 17. in Lucam ait: ,, connexæ ſibi ſunt, ,, concatenatæque virtutes, ita ut ,, qui unam habet, plures habere vi- ,, deatur: idem dicit S. Hier. Epiſt. ,, 127. hærent ſibi, inquit, & inter ,, ſe ita connexæ ſunt, ut qui unâ ,, caruerit, omnibus careat. ,,

Reſp. SS. illos fuiſſe locutos in ſententia admittente virtutes morales infuſas diſtinctas; quos tamen in noſtra ſententia poſſumus explicare hoc ſenſu; quod habens charitatem, habeat virtualiter omnes virtutes; quatenus nimirum illa eſt forma omnium virtutum. 2. Quatenus illa eſt eminenter omnis virtus, prout ait Apoſtolus 1. Cor. 13. *charitas Patiens eſt, benigna eſt, &c.* Id eſt, prout illa inadequatè concepta ſubit officium omnium virtutum.

Dices, perſeverantia eſt virtus; ſed multi habent charitatem, qui in eâ non perſeverant; ergo habens charitatem non habet omnes virtutes.

Reſp. perſeverantiam ſumi dupliciter; ſemel pro continuatione in bono uſque ad finem; quo modo non habet rationem virtutis; & ſemel pro propoſito perſeverandi in bono uſque ad finem; quo modo habet rationem virtutis: & hoc modo etiam eſt in illis qui habent charitatem.

Dices, conjugati in charitate exiſtentes non habent virginitatem, nec innocentes pœnitentiam; ergo in charitate exiſtentes non habent omnes virtutes.

Reſp. illos non habere virtutes virginitatis vel pœnitentiæ quoad materiale, habere tamen quoad formale.

Petes, an dona Spiritus Sancti diſtinguantur à virtutibus.

Dona Spiritus S. non diſtinguūtur à virtutibus.

Reſp. probabiliter cum Scoto negativè: ſiquidem illis convenit definitio virtutis: ſunt enim bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur &c. Unde ne multiplicemus entia ſine neceſſitate, dicere poſſumus hæc 7. dona Spiritus Sancti eſſe charitatem ſepties inadæquatè conceptam: ita ut donum fortitudinis non ſit niſi charitas, quatenus animam tam fortiter Deo unit, ut nullis tentationibus, pœnis, adverſitatibus, vel voluptatibus quomodocumque ab eo poſſit divelli. Donum verò pietatis ſit charitas inadæquatè concepta, quatenus animam ad omnia Dei obſequia exhibet promptam, eam excitans ad Deum jugiter laudandum, magnificandum, ejuſque cultui exactiſſimè incumbendum. Donum timoris ſit ipſa

Quid donum fortitudinis.

Quid donum pietatis.

Quid donum timoris.

ipſa charitas inadæquate concepta, quatenus metuit etiam minimam offenſam divinæ majeſtatis; imprimens cordi maximam erga Deum reverentiam, ſeſe tam in proſperis, quam in adverſis ſubdens ſanctiſſimæ ejus voluntati; imprimens quoque caſtam erubeſcentiam in conſpectu Dei, ſi vel in minimo deliquerit; quod attinet ad reliqua quatuor dona, cum ſubjectentur in intellectu, ſi ſe ſola ſpectentur, non habent niſi rationem virtutis intellectualis & imperfectæ: & quidem ſapientia eſt qualitas quædam à Deo infuſa in intellectu quâ fides elevatur & perficitur ad res divinas cognoſcendas, ſicuti ſi in cubiculo, ubi erat accenſa parva candela apponatur fax, hæc miro modo omnia quæ in ipſo conſiſtunt illuminat; ita dum in nocte hujus vitæ ad candelam fidei in cubiculo cordis noſtri fax ſapientiæ accenditur, res fidei multo clarius manifeſtantur.

Quid donum Sapientiæ.

Quid donum fidei.

Quid donum conſilii & ſciẽciæ.

Nota tamen, quod ſicuti actualis fides includit in ſe actum voluntatis imperantis aſſenſum obſcurum; ita quoque actualis ſapientia includit actum charitatis imperantis altiſſimam Dei & rerum divinarum cognitionem. Diſtinguitur verò hoc donum Sapientiæ à dono intellectus, quod illud elevet intellectum ad apprehenſionem clariſſimam rerum divinarum; hoc verò ad judicandum clariſſimè de rebus divinis; donum conſilii elevet intellectum ad benè deliberandum & reſolvendum in rebus difficilibus ad ſalutem pertinentibus, vel Dei gloriam promoventibus: donum ſcientiæ elevat intellectum ad bene judicandum de rebus humanis, quatenus nos ducunt ad Deum.

Nota hic contemplationem eſſe effectum doni ſapientiæ, nec eſſe aliud quam affectuoſam & ſaporoſam rerum divinarum notitiam.

QUÆSTIO II.
De Virtutibus Theologicis.

CUm homo ordinetur ad æternam beatitudinem acquirendum per duas potentias, intellectum videlicet & voluntatem: & utraque potentia de ſe ſit inſufficiens ad tendendum in æternam beatitudinem, utpote ſupernaturalem; utraque debuit elevari & perfici per virtutes aliquas ſupernaturales; & ita quidem intellectus elevatur per fidem; voluntas verò perficitur per ſpem, & charitatem: & quidem per ſpem tendit illa in beatitudinem tamquam poſſibilem adipiſci: per charitatem verò ut illi tamquam fini ſuo ultimo cognito uniatur: & ita ait Apoſtolus 1. ad Cor. c. 13 *nunc autem manent fides, ſpes, & charitas; tria hæc: major autem horum eſt charitas*: de quibus S. Aug. c. 39. de doctrina Chriſtianâ; homo fide, ſpe, & charitate ſubnixus, eaque inconcuſsè retinens, non indiget

Digitized by Google

ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos; itaque multi per hæc tria in ſolitudine ſine codicibus vivunt.

Petes, an fides ſit prior ſpe, & ſpes prior charitate.

Reſp. ordine generationis fides præcedit ſpem, & ſpes charitatem: prius patet; quia voluntas nequit ferri in aliquam rem illam ſperando, vel amando, niſi ſit cognita; per fidem autem eam cognoſcimus: poſterius probatur; quia ex eo quod aliquid ab alio ſperamus incipimus illum diligere tamquam bonum.

Dices, nihil ſperatur niſi id quod amatur; ergo amor præcedit ſpem.

Reſp. ante ſpem præcedere aliquem amorem, ſed non omnem ſpem præcedere amorem charitatis.

Spes alia perfecta alia imperfecta.

Ad cujus intelligentiam obſervanda venit diſtinctio duplicis ſpei; quarum una eſt perfecta, quam Apoſtolus ſpem vivam appellat; alia imperfecta: ſpes perfecta ſequitur charitatem; imperfecta præcedit.

Perfecta ſequitur charitatē, imperfecta illam præcedit.

Præterea duplex eſt ſpei objectum, nempe bonum quod ſperatur, & perſona à qua ſperatur, prius objectum ſemper præcedit ſpem; poſterius ſubſequitur: ex hoc enim quod quis bonum aliquod ab aliquo exſpectat incipit illum amare: inſuper Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 6. referens modum quo adulti ad juſtificationem diſponuntur, dicit, quod excitati divinâ gratia & adjuti fidem ex auditu accipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt: dein addit, quod in ſpem erigantur: & poſtea, quod Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant.

Petes, an ſit neceſſe dicere quod tres virtutes Theologicæ ſint aliquid habituale nobis inexiſtens.

Tres virtutes Theologicæ ſunt aliquid habitualiter nobis inexiſtēs.

Reſp affirmativè: de charitate probatur quia ac Rom. cap. 5. ait Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*: de fide & ſpe probatur; quia parvuli per baptiſmum recipiunt fidem, ſpem, & charitatem; ſed non recipiunt actus, cum illorum necdum ſint capaces; ergo recipiunt habitus: eodem pertinet quod Trid. ſeſſ. 6. c 7. aſſerit nos juſtificari, & formaliter juſtos eſſe per juſtitiam, non quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit: præterea Concil. Viennenſe in Clem. 1. relatam opinionem, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tamquam probabiliorem & dictis SS. magis conformem elegit.

Petes, an fides, & ſpes poſſit eſſe ſine charitate.

Fides & ſpes poſſunt eſſe ſine charitate, ſine

Reſp. affirmativè: ſed ſine illâ non habebunt ſtatum perfectæ virtutis. Probatur ex Apoſt. 1. ad Cor. c. 13. *ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Unde S. Auguſt.

l. 13.

qua tamen nõ ſunt perfectæ virtutes

l. 13 de SS. Trinitate c. 18. ait; fides ſine charitate poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe. Præterea certum eſt multos eſſe fideles malos & in mortali conſtitutos, ergo ſunt aliqui qui habent fidem ſine charitate: quod verò fides & ſpes ſine charitate non habeant rationem perfectæ virtutis patet; quia virtus perfecta facit hominem ſimpliciter bonum; fides autem & ſpes ſine charitate non faciunt hominem ſimpliciter bonum.

Petes, an charitas poſſit eſſe ſine fide & ſpe.

Charitas non poteſt eſſe ſine fide & ſpe in homine viatore;

R. neg. in viatoribus, ſecus vero in comprehenſoribus; de fide patet, quia illa eſt fundamentum ordine generationis ipſius charitatis.

Petes, an in damnatis maneant aliquæ virtutes.

Reſp. non quoad ſupernaturales: quia illæ ordinantur ad juſtificationem, cujus illi ſunt incapaces: prout quoque nullæ acquiſitæ ſunt in ipſis; quia illæ ordinantur ad vitam civilem in via, quæ in damnatis nulla eſt. Præterea indigni ſunt habere potentias rationales aliquo habitu exornatas; quandoquidem in malo ſint obſtinati, nec aliquid boni velint.

ſecus in comprehenſore

In homine damnato nulla manet virtus.

Dices, in damnatis manet character; ſed ille eſt ſupernaturalis, ergo manet in illis aliquid ſupernaturale.

R. conced. totum: ratio autem diſparitatis cur potius in illis maneat character, quam aliquæ virtutes ſupernaturales eſt, quia ille non tendit in juſtificationem, ut virtus; ſed ad meram damnatorum confuſionem.

TRACTATUS XIV.

De Peccatis ſecundum ſe.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Peccatum in genere.

Definitio peccati actualis.

PECCATUM à Doctore Angelico q. 71. articul. 6. definitur; *actus humanus malus* à Sancto Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. definitur; „dictum, factum, vel concupitum „contra legem æternam. Dicitur 1. actus: ut diſtinguatur à vitio, quod eſt habitus ad peccatum inclinans: per actum quoque intelligendo ipſam legis omiſſionem, eò quod omiſſio non ſit minus contra legem Dei affirmativam, quam ipſe actus ſit contra legem Dei æternam negativam: juxta illud S. Thomæ; „ affirmatio, & ne-

Digitized by Google

„ gatio reducuntur ad idem ge-
„ nus.

Petes, an in omni peccato actuali inveniatur materiale, & formale.

Reſp. affirmativè: quod patet ex ipſa definitione; nam materiale eſt ipſe actus qui fit; formale verò eſt ipſa actus contrarietas, ſeu oppoſitio ad legem æternam.

Petes, quid rei ſit illa contrarietas actus ad legem æternam.

Reſp. eſt quædam deviatio actus materialis à recta ratione, ſeu lege æternâ; quæ proinde non conſiſtit in aliquo poſitivo & reali (cum alioqui Deus eſſet dicendus auctor formalis peccati) ſed in aliquo privativo: & quidem formale peccati omiſſionis conſiſtit in privatione actus, qui poni debet ſecundum rectæ rationis exigentiam.

Formale verò peccati commiſſionis conſiſtit in privatione perfectionis debitæ actui ineſſe ex præſcripto rectæ rationis: ut v. g. in peccato furti, adulterii, vel occiſionis proximi; materiale ſunt ipſi actus furti, adulterii &c. Formale verò eſt ipſa privatio bonitatis ſeu honeſtatis, quæ tali actui debebat ineſſe; nam hoc poſito, quod quis vult tractare rem aliquam vel corpus alienum, debet id facere ſine læſione juſtitiæ, vel alterius virtutis.

Dices, aliqui actus peccamínoſi non ſunt capaces alicujus bonitatis vel honeſtatis, quales ſunt omnes intrinſecè mali; ergo formale peccati non conſiſtit in privatione illius honeſtatis, cum privatio dicat abſentiam formæ à ſubjecto capaci.

Reſp. quamvis tales actus intrinſecè mali non ſint phyſicè capaces bonitatis vel honeſtatis, ut probat objectio, ſunt tamen capaces moraliter: quatenus videlicet tales actus deberent eſſe boni & honeſti; adeoque deberent fieri ſine læſione alicujus virtutis: quamvis enim non teneamur circa aliquod objectum ſemper operari bene; tamen ſuppoſito quod circa illud volumus operari, tenemur circa illud bene operari.

Dices, peccatum veniale non contineri hac definitione, utpote quod non ſit contra legem æternam.

Reſp. illud quoque eſſe contra legem æternam, ſicuti & contra rectam rationem: quamquam non ſit contra finem legis, qui eſt charitas.

Peccata venialia cótinentur hac definitione.

Dices, non omne peccatum eſt malum quia prohibitum; ſed plurima è contra ſunt prohibita quia mala: ergo non omne peccatum eſt contra legem æternam.

Reſp. negandò conſequentiam; pro quo notandum per legem æternam hic intelligi dictamen æternam divinæ mentis, quo Deus judicat ſuppoſito rationali hoc vel illud eſſe conveniens; vel hoc aut iſtud eſſe diſconveniens, adeoque tamquam tale fugiendum: quod dictamen non ſemper importat legem actus faciendi; ſed præſcribit mo-

Nõ omne peccatũ eſt malum quia prohibitum, ſed multa dĩtur prohibita quia mala.

modum quem creatura rationalis debet ſervare in operando; ita ut dictamen iſtud ſit fundamentum omnis bonitatis vel malitiæ ipſius actus; prout ſupra adhuc fusè deduximus.

Itaque quando dicuntur aliqua peccata non eſſe mala quia prohibita: id intelligitur de lege poſitiva divina vel humana: alioqui enim illa quæ ſunt intrinſecè mala, ſunt abſoluta prohibita lege naturæ, quæ prohibitio conſiſtit in ipſa diſconvenientia actus à natura rationali: quæ diſconvenientia oritur ex illo dictamine divinæ mentis quo judicat creaturæ rationali tale objectum eſſe diſconveniens.

Dices, ſaltem dantur plurima peccata quæ tantum ſunt contra leges humanas; ergo.

Reſp. negando antecedens: quia quæcumque lex humana præcipit obſervari, eadem quoque jubet obſervari lex æterna, in quantum videlicet præcipit obſervari leges poſitivas, & ut ait, Apoſt. Rom. 13. omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe.

Petes, an peccatum rectè definiatur; quod ſit prævaricatio legis.

Reſp. affirmativè: nam omne peccatum vel eſt commiſſionis, & ſic erit contra legem negativam; vel eſt omiſſionis, & tunc erit contra legem affirmativam: hinc Apoſt. ad Rom, 4. *ubi non eſt lex*, inquit, *nec prævaricatio.*

Petes, an peccatum rectè definiatur, offenſa Dei.

Reſp. affirm. quamvis enim ratio formalis peccati in ipsâ offenſà non conſiſtat, quippè quæ ſequitur ipſam peccati malitiam, ſicuti dum ſubditus præceptum ſuperioris, tranſgreditur, peccat tranſgrediendo; quam tranſgreſſionem ſequitur offenſa ſuperioris tamquam peccati proprietas.

Petes, quænam adæquatè requirantur ad ipſum formale peccati. Requiſita ad formale peccati.

Reſp. hæc tria: advertentia formalis vel interpretativa, conſenſus, & objectum malum.

Petes, quomodo requiratur advertentia; cum omnis peccans ſecundum commune axioma ſit ignorans, & conſequenter non advertens.

Reſp. omnem peccantem eatenus dici ignorantem, quatenus ſi bene perpendiſſet peccati deformitatem & mala quæ illud conſequuntur, numquam illud commiſiſſet: adeoque dum patrantur peccata, adeſt quidem ſemper aliquis defectus conſiderationis, ſed non talis qui excuſat à peccato; eò quod cum illo poſſit ſtare ſufficiens potentia advertentiæ malitiæ.

DUBIUM PRIMUM.

Quid peccatum habituale,

RESP. peccatum habituale eſt quædam moralis turpitudo relicta in anima ex actu peccati præterito

Digitized by Google

terito non retractato: nam ſicuti homo manibus ſuis rem ſordidã tractando, illas commaculat, ſic anima res malas tractando, aut tangendo id eſt amando (nam tactus animæ eſt ejus amor) ſe ipſam commaculat: quod verum eſt tam de peccato mortali, quam veniali. Et prout ſingula peccata actualia ſunt inter ſe numero vel ſpecie diſtincta, ita pariformiter habitualia: ab his enim denominatur quis fur, homicida, vel adulter denominatione extrinſecâ, nempe ab actu peccati præterito non retractato per pœnitentiam.

Petes, an peccatum habituale poſſit dici conſiſtere in privatione gratiæ ſanctificantis.

Reſp. affirmative: reſtringendo illud ad habituale mortale: nam ſicuti gratia ſanctificans eſt quædam animæ interna pulchritudo; ita peccatum habituale meritò ſibi vindicabit nomen maculæ; quatenus animam privat nitore gratiæ ſanctificantis.

Dices, qui poſt primum mortale admiſſum facit ſecundum, non privatur pro ſecunda vice gratia ſanctificante; ergo peccatum habituale non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis.

Reſp. negando conſequentiam: ſiquidem definitio intelligi debet de privatione gratiæ quam peccatum de facto inducit, vel inducere natum eſt.

Dices, ex hac definitione ſequitur omnia peccata mortalia eſſe paria, quia omnia æqualiter privant gratiâ ſanctificante.

Reſp. privationem illam debere intelligi cum reſpectu ad actus peccati præteritos non retractatos, qui ſicuti inter ſe ſunt diſpares; ita quoque habituale unius, eſt diſpar cum habituali alterius.

DUBIUM II.

An poſt actum peccati remaneat macula.

Reſp. Affirmativè: quod eſt conforme Scripturæ Sacræ, quæ multis locis inſinuat peccatores eſſe immundos, maculatos &c. Illoſque per pœnitentiam ablui, mundari &c. Ita Pſalmo 118. dicitur *Beati immaculati in via* & Eccli. 31. *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula.* Quid macula peccati.

Dices, macula non contrahitur niſi ex contactu rerum ſordidarum; ſed anima, quæ eſt Spiritus, non contingit res ſordidas, ſed ſubſtantias pretioſas.

Reſp. rem in qua peccatur non eſſe ſordidam vel turpem ſecundum ſe ſpectatam in eſſe phyſico; eſſe tamen talem ſpectatam in eſſe morali, quatenus nimirum dedecens eſt & inconvneiens naturam rationalem circa hoc vel illud objectum per hunc vel illum actum verſari.

Itaque macula peccati metaphorica ſignificatur à voce, macula;

Digitized by Google

la; ſicuti enim corpus maculatur ex contactu rei ſordidæ, ita maculatur anima ex contactu, id eſt affectu alicujus rei vetitæ; quia nimirum tactus ejus eſt affectus ejus, ſeu amor quo inhæret rei creatæ.

Petes, in quo conſiſtat hæc peccati macula.

Reſp. ſicut corporalis macula conſiſtit in privatione pulchritudinis rei corporeæ, ita hanc conſiſtere in privatione pulchritudinis ſpiritualis cum reſpectu tamen ad actum peccati præteritum non retractatum; quæ pulchritudo ſicut animam reddit Deo amabilem, ſic ejus privatio eam reddit odioſam; conſiſtit verò illa pulchritudo animæ in refulgentiâ quadam luminis ſupernaturalis & gratiæ, quibus illa aptè diſponitur ad Deum tamquam ad finem ſupernaturalem.

Dices, maculâ peccati ſuſcipit majus & minus; privatio autem non ſuſcipit majus vel minus; nec enim unus cæcus eſt magis cæcus quam alius; ergo illa non conſiſtit formaliter in privatione.

Macula peccati ſuſcipit majus & minus. Reſp. maculam non dicere meram privationem nitoris animæ; ſed cum ordine ad cauſam, nempè ad peccatum actuale, quod ſicuti eſt maius altero, ita quoque macula.

Petes, quot ſint maculæ peccati.

Quotuplex peccati macula. Reſp. duæ, una conſiſtens in privatione nitoris animæ debiti in eſſe, altera verò in morali turpitudine relicta ex actu peccati præterito non retractato.

Petes, quare peccati macula nequeat dici conſiſtere in aliqua entitate phyſica, nempè in qualitate aliqua vel habitu vitioſo.

Reſp. non poſſe dici conſiſtere in qualitate aliqua vel alio ente poſitivo, quia Deus eſt cauſa omnis entis poſitivi; non eſt autem Deus cauſa maculæ peccati non magis quam ipſius peccati; deinde maculam peccati non poſſe dici conſiſtere in habitu vitioſo probatur quia poteſt macula deleri remanente habitu; & poteſt quoque contrahi macula ex unico peccati actu ſemel tantum admiſſo; ex unico autem actu non contrahitur habitus. Nō conſiſt. in habitu vitioſo.

Petes, an macula peccati dici poſſit conſiſtere in obligatione ad pœnam prout ſentit Scotus.

Reſp. negativè: quia imprimis obligatio ad pœnam eſt quid poſterius quam eſſe peccatorem, vel eſſe maculatum: nam ideo Deus deſtinat eùm ad pœnam, quia peccato maculatus eſt. 2. Quia nemo debet dici maculatus ex actione Dei, ſed ex proprio actu: ordinatio verò ad pœnam eſt actio Dei. 3. Quia remiſsâ maculâ ſæpe remanet obligatio ad pœnam.

Dices, S. Auguſt. in Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt* &c. Habet pro eiſdem, non eſſe peccatum, & peccato pœnam non eſſe deſtinatam.

Reſp. S. Auguſtin. hæc habere pro eiſdem, non formaliter, ſed concomitanter; in quantum videlicet

licet illa duo ſecundum Dei legem inſeparabiliter ſunt connexa.

Petes ,quomodo inter ſe differant macula , injuria , & offenſa.

Differentia inter maculã injuriã, & offenſam.

Reſp. in eo quod macula conſiſtat in morali animæ turpitudine , ut diximus ; offenſa verò ex parte peccantis in inæqualite contraria divinæ juſtitiæ quam facit homo eo ipſo quo peccat ; ex parte verò Dei offenſi eſt ipſius contra peccatorem indignatio ; injuria verò in violatione juris, quod Deus habet ut ſuper omnia à creatura rationali ametur.

DUBIUM III

De Multiplici diviſione peccati actualis.

QUandoquidem peccatum actuale multipliciter dividatur quamlibet ejus diviosinem pro majori claritate diſtinctis dubiis ſuccinctè explicabimus : & quidem 1. Tractabimus de diviſione peccati petitâ ex parte qualitatis ipſius offenſæ;quo modo peccatum dividitur in mortale & veniale. 2. De diviſione ſumpta ex parte diverſitatis præceptorum ; juxta quam dividitur in peccatum commiſſionis & omiſſionis. 3. De diſtinctione numerica & ſpecifica peccatorum 4. De diviſione peccati petitâ ex parte ſubjecti; ſecundum qua peccatum dividitur in carnale & ſpirituale. 5. De diviſione peccati ſumpta ex parte objecti in peccatum contra Deum, proximum ; & nos ipſos. 6. De diviſione peccati ſumpta ex parte modi in peccatum cordis, oris, & operis. 7. De peccatis in ſpiritum; S. item de peccatis capitalibus , & alienis.

DUBIUM IV.

De diviſione peccati actualis in mortale & veniale.

Definitio peccati mortalis, item venialis

HÆc eſt ominum famoſiſſima diviſio;& quidem mortale ſic dicitur, quia mortem animæ adfert , quæ conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis ; veniale verò ſic appellatur quia ei ob ſuam levitatem venia facilè tribuitur; quippe quod amicitiam Dei non deſtruat, quamvis minuat fervorem charitatis.

Petes , in quo peccatum mortale formaliter conſiſtat.

In quo peccatum mortale formaliter conſiſtat.

Reſp.in contemptu divinæ amicitiæ,vel in prælatione quâ creaturæ præfertur creatori ; ſi quidem qui mortalirer peccat, plus amat bonum jucundum vel utile , quam Deum : quod inde facilè convincitur ; nam ut bono illo frui poſſit legem & præceptum Dei contemnit, quod tale bonum jucundum vel utile ob malitiam annexam prohibet. Porrò hic contemptus poteſt eſſe formalis vel interpretativus:patentque hæc ex Scriptura Joannis 12. *dilexerunt glorlam hominum magis, quam gloriam Dei* , & ad Phil.3. *quorum Deus venter eſt.*

Pe-

Petes; quot malitiæ reperiantur in quolibet peccato mortali.

Et quomodo duplex in eo reperiatur malitia.

Reſp. duæ: una quæ competit cuilibet peccato mortali quatenus mortale eſt, quæ conſiſtit in contemptu divinæ amicitiæ, eſtque omni peccato mortali communis: altera verò quæ deſumitur ab objecto; eſtque communis peccato veniali & mortali: utraque harum repugnat rectæ rationi; prior, quatenus dictat Deum, qui eſt ſummum bonum & finis ultimus, cæteris omnibus eſſe præferendum: poſterior verò quatenus dictat tale, vel tale præceptum non eſſe violandum: prior eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus peccatis oppoſita nempè charitati, quâ tenemur Deum ſuper omnia diligere: poſterior verò eſt diverſæ ſpeciei in diverſis peccatis; utpote oppoſita diverſis virtutibus. Unde alia eſt malitia adulterii, alia detractionis &c.

Petes, an peccatum mortale & veniale inter ſe eſſentialiter differant.

An mortale & veniale differant inter ſe eſſentialiter.

Reſp. affirmativè; quatenus talia; hoc eſt quatenus mortale conſiſtit in contemptu divinæ amicitiæ: quia mortale ut ſic privat perfectione alterius ſpeciei, quam veniale; nempe amicitiâ Dei: loquendo verò de mortali & veniali quatenus ſpecificantur ab objecto poſſunt aliquando differre tantum accidentaliter, ut patet in furto gravi & levi; ac proinde priori conſideratione hæc diviſio erit generis in ſpecies: quia cum natura peccati in genere conſiſtat formaliter in privatione perfectionis actui debitæ ineſſe, hæc privatio eſſentialiter contrahitur per mortale & veniale tamquam differentias diviſivas; nam in mortali eſt privatio perfectionis diſſolvens amicitiam cum Deo; in veniali verò tantum eſt privatio reddens actum ineptum ut referatur ad Dei gloriam.

Petes, quid ſit eſſe peccatum mortale ex genere ſuo.

Quid peccatū mortale item veniale ex genere ſuo.

Reſp. eſt eſſe tale ex objecto, ſive quod intra eandem ſpeciem malitiæ poteſt accreſcere ad mortale abſque aliqua extrinſecâ malitia adveniente: veniale verò ex genere ſuo dicitur, quod intra eandem ſpeciem non poteſt accreſcere ad mortale, ſive quod ex objecto ſuo non habet gravem repugnantiam cum recta ratione, vel lege Dei.

DUBIUM V.

An teneatur Confeſſarius diſcernere mortale à veniali, & quomodo id poterit.

Reſp. ad primum affirmativè: quia ſpectat ad ſacerdotis officium diſcernere lepram à non lepra: nec enim juſtam in tribunali pœnitentiæ poteſt ferre ſententiam, niſi gravitatem vel levitatem peccatorum cognoſcat: quod tamen ſic intellige non quod quilibet confeſſarius teneatur de omnibus & ſingulis

gulis peccatis in individuo judicare an ſint mortalia, nec ne; quia ut ait S. Aug. lib. 21. de Trinit. cap. 2 hoc eſt difficillimum invenire, & periculoſum definire; quia quandoque occurrunt tales circumſtantiæ, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte objecti, ut diſcerni vix poſſit an peccatum in actu exercito commiſſum ſit mortale, an veniale, ut v. g. an furtum talis vel talis ſummæ ad mortale ſufficiat, nec ne; vel an adfuerit ſufficiens advertentia, libertas, vel conſenſus.

Obligatur tamen confeſſarius illa peccata dignoſcere ex objecto eſſe mortalia, quæ communiora ſunt: quia debet lepram, ſaltem quæ communis eſt, diſcernere ab aliâ leprâ; idque, ut pro criminum qualitate convenientes & condignas ſatisfactiones imponat: quod facere non poterit, ſi nequeat veniale à mortali diſcernere.

Petes, quomodò poſſit diſcerni peccatum mortale ex genere ſuo à peccato veniali ex genere.

Ex quibus ſignis dignoſcatur mortale ex genere à veniali ex genere ſuo.

Reſp. id poſſe cognoſci ex tribus regulis ſequentibus.

1. Ex modo loquendi S. Scripturæ: ut ſi dicat aliquod peccatum eſſe dignum morte, gehennâ, excludere à regno cælorum &c. Et hâc regulâ utitur S. Auguſt. in Enchiridio cap. 78. ubi dicit, quod quædam peccata leviſſima putarentur, niſi in ſcripturis demonſtrarentur opinione graviora.

2. Regula deſumitur ex traditione Eccleſiæ & communi DD. ſenſu: quando enim ex S. Scripturâ non ſatis liquet, an peccatum aliquod ſit ex genere mortale vel veniale; videndum eſt quid ſentiant deſuper Eccleſiæ Doctores, ſi enim unanimi conſenſu doceant aliquod peccatum eſſe mortale, vel veniale ex genere, id pro tali eſt habendum; quando verò inter ſe diſſentiunt, pars probabilior eſt amplexanda.

3. Regula quando nec ex Scripturis, nec traditione Eccleſiæ, nec conſenſu DD. conſtat an aliquid ſit mortale, an veniale ex genere; tunc recurrendum eſt ad rationem naturalem: quæ 1. Conſiderabit dignitatem materiæ, quæ præcipitur, vel prohibetur: quam cognoſcet ex eo, quod multum, vel parum obſit charitati Dei, vel proximi, vel bono communi: item an nulla virtus ex iis quæ homini ſunt neceſſariæ ad ſalutem lædatur: quod ſi materiæ dignitas non ſit tanta, cenſendum erit veniale ex genere ſuo; ſi vero materiæ dignitas prudenti judicio cenſeatur magna, erit mortale ex genere ſuo.

Petes, quotuplex ſit peccatum veniale.

Reſp. triplex; nempè ex genere ſuo, de quo actum eſt, 2. Ratione parvitatis materiæ. 3. Ex indeliberatione actus.

Petes, unde cognoſcetur peccatum aliquod eſſe veniale ratione parvitatis materiæ

Reſp.

Ex quo ſigno dignoſcatur veniale ratione parvitatis materiæ.

Reſp. ex hac regula: ſi vel ex Scripturâ Sacra, vel conſenſu DD. vel ratione naturali conſtet aliquid eſſe mortale ex ſuo genere, tunc ulterius venit conſideranda quantitas materiæ quæ præcipitur, vel prohibetur: nam licet præceptum aliquod ex objecto ſuo ſit grave & magni momenti, tamen leviter, ab illo deflectere perinde eſt ac leve præceptum tranſgredi.

Petes, an in qualibet materia detur veniale ratione parvitatis materiæ.

An in omni materia detur veniale ratione parvitatis materiæ.

Reſp. negativè; in qua verò detur & in qua non, difficile eſt definire: quidam affirmant nullam dari in his quæ immediate opponuntur Deo, vel ejus honori: & hac ratione inquiunt in odio Dei, blaſphemiâ, infidelitate, contemptu Dei nulla datur, prout nec in perjurio, vel ſimoniâ. Alii aſſignant hanc regulam; quod nullum tale detur in omni materia, ubi tota ratio malitiæ reperitur in qualibet parva malitia; prout in fornicatione, pollutione, adulterio &c. Sed malè & perperam; quamvis enim in exemplis aſſignatis tale non detur, datur tamen tale in furto, detractione, ſacrilegio, in quibus tamen tota ratio ſpecifica malitiæ reperitur in qualibet materia minimâ. Quare, ſalvo meliori, dicendum arbitror, id ex communi ſenſu Eccleſiæ, DD. conſenſu, prudentumque judicio eſſe deſumendum; qui ſenſus Eccleſiæ fundatur in naturis rerum; nam aliqua de ſe ſic ſunt inordinata, ut etiam in qualibet materiâ minima, reputentur communi prudentum judicio graviſſima; ita ut in quacumque materia conſtituantur, non varient judicium; aliqua verò ita levia ſunt, ut niſi ex aliquo extrinſeco accidente vel circumſtantia gravia eſſe non poſſint, ut verbum otioſum: alia verò de ſe gravia ſunt; non ita tamen ut ſemper habeant eandem deordinationem; ut furtum, ſi fiat in magnâ, vel parva quantitate.

Petes, quot modis peccatum ex objecto, ſeu genere ſuo mortale poſſit fieri veniale.

Reſp. duobus; nempe vel ratione parvitatis materiæ, ut patet in furto, vel ob imperfectionem actus; & quamvis non omne, ut patet ex dictis, poſſit ratione parvitatis materiæ fieri veniale, poteſt tamen omne tale fieri ob imperfectionem actus: quia nullum tale eſt quod non poſſit fieri cum voluntario imperfecto, vel cum ſemipleno conſenſu.

Petes, quot modis peccatum ex genere ſuo veniale poſſit fieri peccatum mortale.

Peccatum ex genere veniale multiplicitèr fit mortale.

Reſp. ſex modis. 1. Ratione conſcientiæ erroneæ: ut ſi quis jocosè mentiatur, putans hoc eſſe mortale; nam cum actus ſpecificetur ab objecto, non prout eſt à parte rei, ſed prout ab intellectu repræſentatur, certum eſt eſſe talem vo-

luntatis actum, quale eſt objectum apprehenſum. 2. Si ordinetur ad aliquod mortale, ut ſi quis jocosè mentiatur ut aliquem inducat ad fornicandum: ratio eſt, quia medium in ratione medii ſpecificatur à fine. 3. Si in peccato veniali, v.g. amore inordinato ponatur ultimus finis: quod fit, quando quis ita venialem actum exequitur, ut paratus eſſet illum quoque exequi, etiamſi mortalis eſſet: ratio eſt quia qui ad mortale habet affectum, peccat mortaliter; ſed qui in veniali ponit ultimum finem, habet affectum ad mortale, quandoquidem rem levem eo affectu proſequatur, ut quamvis eſſet mortalis eam proſequi non ceſſaret. 4. Ratione ſcandali prævisi; ut ſi filia docta ſolà vanitate offerat ſe conſpectui adoleſcentis, quem putat peccaturum mortaliter: ratio eſt, quia peccatum veniale, quod eſt cauſa peccati mortalis, eatenus fit mortale, quod cauſa imbibat malitiam effectus. 5. Ratione proximi periculi incidendi in mortale: cùm enim venialia frequentata diſponant ad mortalia; fieri poteſt quod quis ob frequentiam venialis exponat ſe periculo mortalis; juxta illud Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*: & ita ſi quis nulla venialia contra caſtitatem curat, peccat mortaliter; prout quoque ille qui haberet voluntatem non vitandi ullum peccatum, præter mortale, peccat mortaliter, inquit Sanchez, ratione moralis periculi peccandi mortaliter, cui ſe exponit: ita quoque peccabit Religioſus qui ſtatuit nullam regulam ſervare niſi obligantem ſub mortali: ratio horum eſt quia qui vult cauſam, effectum quoque velle cenſendus eſt; ſed proixmū periculum vel occaſio proxima eſt cauſa peccati mortalis (inde enim fit quod eodem præcepto quo vetamur vitare aliquod peccatum mortale, vetamur quoque nos exponere periculo proximo alicujus peccati) ergo qui vult periculum proximum peccati mortalis, cenſendus eſt velle ipſum mortale. Dico, *proximum*; quia ſi occaſio tantum remota ſit, & raro ad peccandum induceret, peccatum ex objecto veniale, ratione iſtius, non fieret mortale 6. Ratione formalis & ſpecialis contemptus legis vel legiſlatoris: ratio eſt, quia peccatum veniale ex tali contemptu admiſſum contrahit malitiam talis contemptus; ſed talis contemptus eſt mortalis; ergo.

Probatur ſubſumptum: quia ſitus eſt in deſpectu poteſtatis à Deo manantis, quæ deſpici non poteſt ſine mortali: ut conſtat ex Scripturâ, Lucæ cap. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Et ad Rom. 13. *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* & ita peccaret mortaliter qui ex tali contemptu verbum otioſum proferret, vel frangeret ſilen-

ſilentium, eò quod talis ſuperior hoc præciperet.

Dixit ratione formalis contemptus; quia ſi eſſet tantum contemptus communis & materialis, peccatum veniale propter illum non fieret mortale.

Pro quo nota in omni legis vel præcepti tranſgreſſione inveniri aliquem materialem contemptum; ſiquidem obſervantia legis poſtponitur propriæ voluntati: & hic materialis contemptus eſt ab ipsâ violatione præcepti indiſtinctus, utpote circumſtantia omni peccato communis: alius verò eſt contemptus formalis, qui tunc adeſt, quando quis expreſsâ intentione deſpiciendi aliquam perſonam violat ejus legem, vel mandatum, ut oſtendat ſeſe illud parum curare; & hic contemptus formalis eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab ipſa tranſgreſſione præcepti. Ratio eſt, quia ſi hic contemptus formalis ſolus eſſet etiam ſine præcepti tranſgreſſione eſſet mortalis; ergo ex eò quod violationi præcepti adjungitur, non amittit malitiam.

Petes, an ſint eadem contemptus formalis, & inobedientia formalis.

Reſp. negativè; ſiquidem inobedientia formalis conſiſtit in violatione præcepti, quia præceptum eſt: & hæc quandoque oritur ex contemptu tamquam ex cauſa; aliquando verò ex aliis motivis: unde ſi oriatur ex ſuperioris deſpectu præſupponit contemptum; ſi ex indignatione, oritur ex odio ſuperiotis, ſi verò ex propria æſtimatione, oritur ex ſuperbia: prætereа contemptus formalis verſari poteſt circa conſilia; inobedientia verò tantum circa præcepta.

Petes, ad quam peccati ſpeciem pertineat ille contemptus formalis, & cui virtuti opponatur.

Reſp. ſi legiſlator ſit Deus, erit contra religionem: ſi ſint parentes prohibentes vel præcipientes, erit contra pietatem: ſi verò ſint ſuperiores, erit contra obſervantiam. Ratio eſt, quia illa virtus religionis quæ præcipit Deo cultum debitum exhiberi, eadem quoque prohibet ne per deſpectum contemnatur. Idem quoque dic de pietate, & obſervantia erga Parentes, & Prælatos.

Petes, an per additionem materiæ peccatum veniale non fiat mortale.

Reſp. negativè, proprie loquendo: ſed tunc potius peccato veniali ſuccedere mortale: quod ſi tamen impropriè quis velit loqui, etiam hunc modum concedemus. Pro cujus explicatione notandum quandocumque materia ſeu objectum ultimi peccati venialis continuatur, & coadunatur cum materia præcedentium peccatorum venialium, tunc ultimus actus in quo completur materia notabilis, erit mortalis: dum verò materia ultimi peccati venialis non continuatur, & côadunatur

Digitized by Google

dunatur cum materia præcedentium peccatorum venialium, ultimum illud veniale non fiet mortale: eò quòd ſingulæ materiæ ſint parvæ, & maneant à ſe invicem diviſæ abſque ulla conjunctione morali. Hinc infer cur potius peccet mortaliter qui in die jejunii ſæpius exiguum quid comedit quod ſimul ſumptum conſtituit materiam notabilem, quàm is qui ſingulis diebus Quadrageſimæ exiguum quid comederet.

Petes, an multa venialia ſimul multiplicata poſſint conſtituere unum mortale.

Multa venialia non cōſtituunt unum mortale. Reſp. negativè; eoquod inter ſe ſint diverſi generis & ordinis: eapropter ſicuti multa entia naturalia ſimul juncta non aſcendunt ad valorem entis ſupernaturalis; & ſicuti plures partes argenteæ ſimul junctæ, non perveniunt ad ſubſtantiam auri; ſic nec plura venialia aſcendunt ad malitiam mortalis. Præterea nullus certus numerus venialiũ aſſignari poteſt requiſitus præcisè ad conſtituendum peccatum mortale; & conſequenter ſi quis numerus nobis ignotus, ad hoc eſſet ſufficiens, jam in quolibet veniali exponeremus nos periculo peccandi mortaliter; ſiquidem de quovis veniali poſſet dubitari an non expleret numerum requiſitum.

Dices, SS. Patres docent quod ſicut multæ guttæ implent flumen, & multa parva grana faciunt unam maſſam, ita quoque multa venialia faciant unum mortale.

Reſp. SS Patres loqui de venialibus continuatis ratione materiæ; vel certe ſi loquantur de diſcontinuis, per hoc tantum volunt ſignificare, quod multa venialia, ſi contemnantur, diſponant ad mortale.

Dices, malitia peccati mortalis eſt ſimpliciter finita; ergo poſſunt fieri tot venialia ut ad quantitatem illius materiæ perveniant.

Reſp. quantum ad antecedens, malitiam quidem peccati mortalis deſumptam ab objecto eſſe finitam; ſed quod attinet ad malitiam peccati quatenus mortale eſt, quæ conſiſtit in averſione à Deo & in privatione divinæ amicitiæ, poteſt illa dici objectivè, ſeu extrinſecè infinita, quia nimirum contemptus ille verſatur circa perſonam infinitam: eo modo quo viſio beatifica in ſe quidem finita eſt, extrinſece tamen eſt infinita.

Nota tamen quod etiamſi peccatum ex genere ſuo veniale numquam poſſit fieri mortale ob ſolam actuum multiplicationem, tamen per illam diſponere ad mortale: quia per veniale multiplicatum in tantum accreſcit libido peccandi ut peccator tandem in actu illo quaſi finem ſuum ultimum conſtituat; qui enim aſſueſcit voluntatem ſuam in re minori non ſubjicere debito ordini, paulatim nec id faciet in re majori: accedit quod venialia multiplicata ſint cauſa ſubſtractionis

Quamvis ad illud diſponāt.

Digitized by Google

nis gratiarum actualium, quæ ſi adeſſent, impedirent quo minus homo incideret in grave peccatum: unde in pœnam peccatorum venialium homo hiſce gratiis actualibus privatur.

Petes, an idem numero actus poſſit ſucceſſivè eſſe peccatum mortale, & veniale in genere moris.

Reſp. negativè: ſicut etiam nec actus ante bonus poteſt fieri malus: ratio eſt, quia id fieri nequit, niſi factâ mutatione vel ex parte cognitionis; ut ſi actus in initio ſemiplenè cognoſcatur, poſtea vero plenè: vel ratione voluntatis: quomodocumque autem id contingat, non erit idem numero actus in eſſe morali.

Petes, an ergo idem numero actus nequeat ſimul habere malitiam mortalem & venialem, ſicuti poteſt ſimul habere complures malitias ſpecie diſtinctas.

Reſp. affirmativè: ex quo tamen nequit inferri quod idem actus ſimul poſſit eſſe peccatum mortale & veniale eò quod iſtæ denominationes, nempe mortale & veniale, involvant contradictionem.

DUBIUM VI.

De diſtinctione peccati commiſſionis & omiſſionis.

HÆc peccati diviſio fundatur in Scripturis & SS.PP. Unde Pſalmiſta pſal. 36. ait, *declina à malo, & fac bonum*: & S. Proſper ſententia 28. Tota juſtitiæ ratio eſt ut declinentur mala, & fiant bona: præterea omne peccatum conſiſtit in tranſgreſſione alicujus legis, vel præcepti, illud autem eſt vel affirmativum vel negativum: ſi fiat tranſgreſſio legis affirmativæ, erit peccatum omiſſionis; ſi verò negativæ, erit peccatum commiſſionis.

Lex affirmativa eſt, quæ præcipit actum aliquem fieri; & hæc obligat ſemper; ſed non pro ſemper.

Lex negativa eſt, quæ prohibet actum fieri; & hæc obligat ſemper, & pro ſemper.

Petes, quid ſit legem affirmativam obligare ad ſemper, ſed non pro ſemper.

Reſp. hoc eſt pro omni tempore quo lex eſt in vigore, ſed non pro ſemper, id eſt, in quibuſdam tantum caſibus particularibus.

Legem verò negativam obligare ad ſemper & pro ſemper, eſt illam in tantum prohibere aliquem actum, ut nullum ſit momentum in quo liceat illum exercere quamdiu lex viget.

Petes, an peccatum adæquatè dividatur in peccatum commiſſionis & omiſſionis.

Reſp. affirm. quia membra iſtius diviſionis adæquant diviſum, nullum enim eſt peccatum quod non ſit vel commiſſionis vel omiſſionis.

Peccatũ adæquatè dividitur in peccatũ cõmiſſionis& omiſſionis.

Petes, an peccata commiſſionis & omiſſionis differant ſpecie.

Reſp.

Reſp. affirmativè : intelligendo de ſpecie phyſica, quia ut ſic habent ſe ut actus & ejus privatio, quæ differunt ſpecie phyſicâ : intelligendo verò de ſpecie morali non neceſſariò differunt ſpecie, quia poſſunt opponi uni & eidem virtuti ſecundum eandem rationem formalem : & talia ſunt furtum, & omiſſio reſtitutionis, ſimiliter ſuperflua comeſtio, & omiſſio debiti jejunii ex motivo gulæ : & ita de ceteris, quia negatio ſemper in aliquâ affirmatione, tamquam in cauſa, fundatur.

Hæc duo nõ neceſſariò differunt ſpecie morali.

Dixi : hæc duo non neceſſariò differre ſpecie morali, ut inſinuarem quandoque ſic poſſe differre ; quando nimirum dicunt diverſam ſpecie oppoſitionem cum rectâ ratione; qualia ſunt peccatum hæreſis, & omiſſionis actus fidei ; item odii Dei, & omiſſionis actus charitatis : inſuper omiſſio ſacri, & injurioſa tractatio Venerabilis Sacramenti.

Petes, an peccatum commiſſionis, per ſe loquendo, ſit gravius peccato omiſſionis.

Peccatũ commiſſionis eſt gravius peccato omiſſionis.

Reſp. affirmativè: quia illud privat immediatè rectitudine ſeu perfectione actui debitâ ineſſe; hoc verò tantum mediatè, quia nimirum immediatè privat actu debito, & illo mediante privat perfectione debitâ actui ineſſe.

Quod detur pecatum omiſſionis, patet ex Scriptura, Jacobi 4. *Scienti bonum facere, & non facienti ; peccatum eſt ibi*, pateťque ratione ; quia datur violatio præcepti affirmativi, prout patet quotidianâ experientiâ.

Petes, num hoc peccatum omiſſionis poſſit contingere ſine omni actu.

Reſp. abſolutè loquenpo affirmativè : cum enim conſiſtat in privatione actus debiti, clarum eſt illud in conceptu ſuo eſſentiali non involvere actum aliquem poſitivum.

Peccatum omiſſionis poteſt abſolutè eſſe ſine omni actu, quod tamen ordinariè non eſt verum.

Dices, omne peccatum debet eſſe voluntarium, voluntarium autem nequit eſſe ſine omni actu.

Reſp omne peccatum debere eſſe voluntarium ſaltem interpretativè : quod contingere poteſt ſine omni actu ; prout contingit dum quis obligatur actum ponere quem omittit : ordinariè tamen peccatum omiſſionis fit per aliquem actum qui vel directè vel indirectè eſt cauſa omiſſionis, & quidem verum eſt actum internum voluntatis, quo quis vult omittere actum præceptum eſſe cauſam directam omiſſionis; prout quoque actus externus, cujus deſiderio omittitur actus præceptus, eſt indirecta cauſa omiſſionis.

Petes, quis nam actus externus cenſeatur cauſa omiſſionis externæ, quando plures tales actus externi fiunt, & ſinguli ſunt incompatibiles cum actu præcepto ; v. g. ſi quis mane proponat omittere auditionem ſacri propter frigus ; poſtea vero tempore quo fit ſacrum, ſtudeat ;

Digitized by Google

deat; an ſtudium ſit cauſa omiſſionis illius, an verò vitatio frigoris?

Actus externus qui per ſe primò eligitur facto propoſito omittẽdi eſt ſola cauſa omiſſionis externæ.

Reſp. poſterius eſſe cauſam, quia omiſſionis alicujus cauſa cenſetur ille actus externus qui per ſe primo eligitur facto propoſito omittendi, quique eſt incompoſſibilis cum actu præcepto; ita ut ex vi ejus ſequatur omiſſio.

Dices, omiſſio ſequitur ex vi efficacis volitionis omittendi actum præceptum; ergo quivis actus externus, eſto incompoſſibilis, habebit ſe tantum concomitanter, quippè non influens in omiſſionem.

Reſp. negandò conſequentiam: quia voluntas ad actum aliquem externum perficiendum, ultra volitionem internam, indiget medio, ſeu causâ aliquâ inſtrumentali: unde ſicuti voluntas occidendi hominem ſe ſolâ non ſufficit ad hominis occiſionem, ſed inſuper requiritur gladius, vel aliud inſtrumentum: ita voluntas omittendi ſacrum non ſufficit ad omiſſionem externam, niſi accedat aliquod opus externum incompoſſibile, quod per ſe primò eligitur facto propoſito omittendi.

Petes, an ergo reliqua opera incompatibilia, quæ eliguntur poſt primum opus incompatibile, non ſint cauſa omiſſionis; adeoque an non ſint peccata, v. g. ſi quis mane facto propoſito omittendi ſacrum reſolvat domi manere, & poſtea ſtudeat: an ſtudium illud ſit cauſa omiſſionis.

Reſp. ſic aliquos ſentire; eò quod omne id ſit cauſa omiſſionis quo poſito ſequitur omiſſio: ſed poſito quocumque actu incompatibili ſequitur omiſſio: ergo. Quibus tamen non obſtantibus,

Reſp. negativè, eò quod poſito primo opere incompoſſibili omiſſio jam ſit poſita in ſua causâ; ita ut opera quæ ſubſequuntur nullum in eam habeant influxum, ſed plane concomitanter ad illam ſe habeant: unde etſi poſſent impedire ne opus fiat & conſequenter eſſe cauſa omiſſionis; tamen tales de facto non ſunt.

Petes, quandonam quis cenſeatur contrahere malitiam omiſſionis.

Malitia omiſſionis contrahitur eo tẽpore quo ponitur illius volũtaria cauſa.

Reſp. eo tempore quo ponitur voluntaria illius cauſa. Ratio eſt; quia qui vult cauſam, cenſetur velle effectum quem prævidet ex eâ ſecuturum; cum enim omnis culpa propriè ſit in voluntate, contrahitur illa iſto tempore, quo quis habet voluntatem omittendi, qualem indirectè habet qui ponit cauſam; quia tunc omiſſio eſt illi voluntaria in cauſa: quod ſi ulterius iſta omiſſio externa contingat eo tempore quo homo utitur ratione, ita ut in ipſius poteſtate ſit præceptum adimplere; tunc malitia omiſſionis non tantum incurritur quando illius cauſa ponitur; ſed etiam eo tempore quo omiſſio contingit.

Digitized by Google

Ratio eſt, quod omiſſio etiam tunc ſit voluntaria, ſic v. g. qui ludo vel ſomno ſe dat, prævidens inde ſecuturam omiſſionem ſacri, non ſolum peccat dum ponit talem cauſam; ſed etiam eo tempore quo miſſa eſt audienda, ſi ſit in ejus poteſtate miſſam audire, & non audiat; eruntque plura peccata omiſſionis juxta moralem actuum interruptionem.

Petes, an ſi quis ſomno vel ludo indulgens prævideat ſe ſacrum omiſſurum, ſi poſtea à ludo ceſſans, vel à ſomno excitatus audiat ſacrum, incurrat malitiam omiſſionis ſacri.

Reſp. affirmativè; quia peccavit ponendo voluntariam cauſam omiſſionis ſacri; talis tamen per hoc impeditur à ſecundo peccato quod incurreret ſi non audiret ſacrum, quandoquidem numerica diſtinctio peccatorum petatur à ſola interruptione morali actuum internorum voluntatis, quæ in hoc caſu reperitur.

Petes, quo tempore contingat externum peccatum omiſſionis.

Externū peccatum omiſſionis contrahitur eo ſolo tempore quo præceptū eſt adimplendū.

Reſp. eo ſolo tempore quo præceptum eſt adimplendum: cum enim omiſſio peccaminoſa ſit privatio actus ex præcepto debiti, & talis privatio non ſit niſi pro tempore quo præceptum eſt adimplendum; eò quod actus non ſit debitus niſi pro eo tempore quo debet præceptum adimpleri: ſequitur, quod peccatum omiſſionis tantum incurratur illo tempore, quo præceptum eſt adimplendum.

Petes, an actus externus qui eſt cauſa omiſſionis ſit peccatum diſtinctum ab ipsâ omiſſione; & conſequenter an debeat exprimi in confeſſione.

Actus externus qui eſt cauſa omiſſionis, nō ſemper eſt peccatū diſtinctū ab omiſſione.

Reſp. ſi ille actus de ſe non ſit malus; tunc non habet aliam malitiam præter malitiam omiſſionis; & conſequenter non eſt ſecundum ſe in confeſſione explicandus; ſed ſufficit confiteri ipſam omiſſionem: quod ſi verò ſecundum ſe ſit malus, utique malitiâ diſtinctæ ſpeciei à malitia omiſſionis, debebit & ipſe in confeſſione exprimi, eò quod omnium peccatorum mortalium ſpecies oporteat in confeſſioue explicare: eapropter qui propter ebrietatem ſacrum omiſit, tenetur & ebrietatem & omiſſionem ſacri explicare: ſecus verò ſi propter ſtudium ſacrum omittat.

Petes; quid ſi cauſa omiſſionis præcepti ſit voluntariè data, & interea ipſa omiſſio externa contingat tempore ſomni, an pro eo tempore contrahatur pœna externæ omiſſioni impoſita; poſito etiam, quod actus internus ante ſomnum per pœnitentiam ſit retractatus.

Reſp. affirmativè: ſiquidem pœna infligitur actui externo non ob ipſam malitiam omiſſionis, ſed ob voluntariam cauſam omiſſioni datam. Vide tract. 4. dub. 3.

Petes, unde deſumenda ſit gravitas omiſſionis externæ.

Reſp.

Gravitas omiſſionis externæ? menſurâtur à culpa interna.

Reſp. ex culpâ interiori quæ præceſſit: unde ſi illa tantum fuerit venialis, etiam omiſſio exterior tantum erit venialis: ſi verò mortalis fuerit illa, etiam omiſſio exterior erit mortalis: nec tamen inde ſequitur, quod is, qui ſe voluntariè inebriat; & poſtea omittit horas, commiſerit per ebrietatem illam duo peccata mortalia, eſto enim illa inebriatio ſemper ſit mortalis in ratione ebrietatis, non tamen ſemper eſt talis in ratione cauſæ omiſſionis.

Petes, an qui dedit cauſam omiſſioni culpabili, ſi tamen poſtea obſervet præceptum, incurrat pœnam omiſſioni deſtinatam.

Reſp. negativè: eò quod illa non conſtituatur actui interno, ſed externo.

Petes, an qui ſe voluntariè inebriando contrahit febres, prævidens in illis ſe per duos menſes, vel amplius ineptum fore ad legendas horas, an omnes illæ omiſſiones horarum ſint ipſi voluntariæ in cauſa.

Reſp. negativè: nec enim ad voluntarium in cauſa ſufficit quod illæ omiſſiones ſint illi prævisæ; ſed inſuper requiritur quod quis obligetur talem cauſam vitare in ordine ad talem effectum, quod hic non contingit; nec enim præcepta humana, quale eſt lectionis horarum, obligant nos ad vitandas omnes actiones ex quibus poſſet ſequi illorum prævaricatio; ſed tantum eas ex quibus proximè hæc eſt nata ſequi; & quaſi eodem tempore: & ſic præceptum de horis canonicis obligat clericum ut vitet ebrietatem pro eo die quo ſunt legendæ horæ: non verò ut vitet pro 20. aut 30. diebus, quibus eum contingit ægrotare. Præterea talis omiſſio non ſequitur proximè ex ebrietate ſed remotè, quippe cum ex ea ſequatur morbus, & ex morbo horarum omiſſio.

Petes, an nigra ſoror tempore audiendi ſacrum in die Dominica manens apud ægrotum morti proximum peccet.

Reſp. negativè: eſto enim manſio illa apud ęgrotum ſit cauſa omiſſionis ſacri, non tamen eſt cauſa omiſſionis culpabilis; quia quando concurrunt duo præcepta, quæ ſimul ſervari non poſſunt, dictat recta ratio illud ſervandum quod magis obligat: hinc in materia omiſſionis ſervandæ ſunt hæ duæ regulæ.

Regulæ ſervādæ in materia omiſſionis.

1. Quando actus qui eſt cauſa omiſſionis, eſt ſub præcepto, & quidem magis obligante, omiſſio inde conſequens deſinit eſſe culpabilis.

2. Dum verò actus, qui eſt cauſa omiſſionis, non eſt in præcepto, vel ſi ſit, eſt in præcepto minus obligante, tunc omiſſio eſt culpabilis.

Petes, an hic actus. volo omittere ſacrum in die Dominica, habeat malitiam omiſſionis.

Reſp. affirmativè.

 Dices,

Dices, malitia omiſſionis conſiſtit formaliter in privatione actus debiti; ſed talis voluntas non eſt privatio actus debiti; ergo.

Reſp. ad min. ut voluntas dicatur contrahere malitiam omiſſionis malæ, non debet eſſe ipſa malitia, ſed ad hoc ſufficit ſi malitia illa ipſi imputetur: quod fit, quando illa malitia eſt ipſi volita.

DUBIUM VII.

De diſtinctione ſpecifica peccatorum.

QUia ſecundum præſcriptum Conc. Trid. Seſſ. 14. de pœnitentia, cap. 5. & Can. 7. omnia & ſingula peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientia habetur, in confeſſione recenſenda ſunt: prout quoque circumſtantiæ quæ ſpeciem peccati mutant: ut confeſſarius qui judicis & medici in hoc ſacro tribunali officium ſubit, muneri ſuo valeat ſatisfacere, & diſcernere lepram à non lepra; neceſſe eſt indagare undenam ſpecifica & numerica diſtinctio peccatorum deſumatur.

Undenã proximè deſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum.

Dico, 1. diſtinctio ſpecifica peccatorum proxime deſumitur à diſtinctis ſpecie perfectionibus, quibus ipſa peccata privant: ratio eſt, quia peccatum formaliter eſt privatio; porro privatio proximè ſumit ſuam ſpeciem à forma cui privativè opponitur, ideo enim cæcitas ſpecie diſtinguitur à ſurditate; quia viſus, cui opponitur cæcitas, diſtinguitur ſpecie ab auditu: ex quo ſequitur quod totuplex ſit peccatum; quotuplex diverſæ ſpeciei rectitudinis privatio in eo reperitur & ita fornicatio cum moniali eſt duplex ſpecie peccatum, quia caſtitati, & religioni opponitur.

Petes; quomodo hæc ſint vera; quandoquidem peccata ſpecie diſtinguantur ſecundum ſpeciales oppoſitiones quas habent cum recta ratione.

Reſp. hoc eſſe verum, non tamen contrariari dictis noſtris: ſi quidem peccata proximè ſpecificantur à perfectione quà privant; quæ perfectio cum non ſit aliud quam conformitas actus cum objecto quatenus eſt naturæ rationali conveniens, clarum eſt hanc perfectionem ſpecificari ab objecto, adeoque peccatum remotè ſpecificari ab objecto: cumque objecta nobis ſoleant eſſe notiora, quam ipſæ perfectiones vel honeſtates actuum, hinc ordinariè ſolemus dicere peccata ſpecificari ab objectis.

Ex quibus infer, peccatum fornicationis differre à peccato ſacrilegii, quia perfectio quâ privat fornicatio eſt diſtinctæ ſpeciei à perfectione quâ privat ſacrilegium.

Petes; an peccata nequeant dici diſtingui ſpecie ex eo quod opponantur diverſis ſpecie virtutibus.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. hanc diſtinctionem non fore adæquatam, nam eſto peccata ſpecie diſtinguantur quæ opponuntur diſtinctis, ſpecie virtutibus, poſſunt tamen dari peccata ſpecie diſtincta quæ opponuntur eidem virtuti, ſic enim detractio & furtum opponuntur eidem virtuti juſtitiæ, & tamen ſunt peccata ſpecie diſtincta; ex eo quod juſtitia ſit virtus generica continens ſub ſe diverſas ſpecies juſtitiæ, quibus diverſa ſpecie peccata privativè opponuntur: præterea omnes virtutes, conſiſtentes in medio, ſunt veluti compoſitæ ex duabus perfectionibus, quarum una læditur per exceſſum, & altera per defectum: illa autem duo oppoſita, nempè peccatum per exceſſum, & per defectum, diſtinguuntur ſpecie propter diverſas ſpecie rationes, quibus unam & eandem virtutem totalem oppugnant; ſic prodigalitas & avaritia ſpecie inter ſe differunt eſto uni & eidem virtuti liberalitatis opponantur. avaritia per defectum, & prodigalitas per exceſſum: avaritia enim minus dat quam oportet; prodigalitas plus quam oportet: liberalitas autem nec plus, nec minus dat; ſed tantum quantum oportet ſecundum præſcriptum rectæ rationis.

Petes, an peccata non poſſint dici diſtingui ſpecie per ordinem ad diverſa præcepta.

Reſp. affirm. ſi nimirum ſint lata ex diverſo ſpecie motivo honeſtatis: ſecus verò ſi ex eodem: ſic enim furtum in loco ſacro prohibetur per legem naturæ ex motivo juſtitiæ, per legem verò Eccleſiaſticam ibidem prohibetur ex motivo religionis: è contra verò, quia fornicatio prohibetur lege naturæ, divinâ, & humanâ ex eodem motivo caſtitatis; hinc eſt quod unicum tantum ſit peccatum.

Petes, an uno præcepto poſſint prohiberi plura peccata ſpecie diſtincta.

Reſp. affirmativè, ſic enim præcepto, *non mœchaberis*, prohibentur fornicatio, adulterium, & peccatum contra naturam. Bene tamen notandum reſponſionem debere intelligi de uno præcepto materialiter ſumpto, quod tamen formaliter & æquivalenter ſit multa; prout eſt ante dictum præceptum, *non mœchaberis.*

Petes, an faciens actum prohibitum multis præceptis committat tot peccata, quot ſunt præcepta.

Reſp. negativè, nimirum quando præcepta illa lata ſunt ex eodem fine, & motivo, ſeu intuitu ejuſdem virtutis, ut patet in exexemplo de fornicatione ante dato quæ prohibetur jure naturæ divino, & humano: ſecus verò dicendum eſſet quando actus eſſe prohibitus diverſis præceptis ſpecie diſtinctis.

Dices,

Dices, ſaltem in exemplo ante dato, committentur tres inobedientiæ contra tria præcepta ejuſdem ſpeciei; ergo & ſemper tria peccata ſaltem numero diſtincta.

Reſp. negandò conſequentiam: quia illa circumſtantia inobedientiæ tantum eſt generalis, & communis omnibus peccatis non ſuperaddens diſtinctionem ſpecificam, vel numericam neceſſariò in confeſſione explicandam.

Petes, an ſint plures ſpecies peccatorum, quam virtutum.

Reſp. affirmativè: quia virtutes conſiſtunt in medio; vitia autem in extremis; clarum autem eſt plura eſſe extrema, quam media.

DUBIUM VIII.

De diſtinctione numericâ peccatorum.

Numerica diſtinctio peccatorum deſumitur ex duobus.

DIco primo: diſtinctio numerica peccatorum adæquatè deſumitur ex duobus; nempe ex morali interruptione actuum, & numericâ diſtinctione objectorum moraliter inter ſe diſtinctorum.

Tunc verò actus aliquis cenſetur moraliter interruptus, quando nec formaliter, nec virtualiter perſeverat.

Petes, quid ſi quis animo occidendi inimicum Mechliniâ proficiſcatur Bruxellas, aſcendat equum, accipiat gladium &c. & centies voluntatem occidendi in via repetat, & tandem inimicum occidat: an committat tot peccata quot ſunt actus.

Reſp. negativè: ſed tantum unum peccatum occiſionis: ratio eſt, quia prior voluntas nunquam fuit interrupta, quippe quæ ſemper perſeveraverit virtualiter in ſuis effectibus: unde eſto ſint plures actus phyſici, tamen unus tantum eſt actus moralis.

Petes, quid ſi quis animo occidi inimicum tendat Bruxellas, & in via ſexies illam voluntatem repetat; dein pœnitentiâ ductus voluntatem immutet; nec inimicum occidat: an tenebitur ſex illos voluntatis actus in confeſſione explicare.

Reſp. affirmativè; eò quod quilibet ex illis voluntatis actibus ſit diſtinctum peccatum: ex quo tamen non ſequitur omnes voluntatis actus in præcedenti caſu eſſe explicandos in confeſſione: ratio enim diſparitatis eſt, quod ſint aliqua peccata quæ interius conſummantur, qualia ſunt in præſenti caſu: & de his verum eſt quod multiplicatâ voluntate, multiplicentur toties peccata; nam cum illæ voluntates inter ſe non uniantur, nec uniantur alicui tertio, non poſſunt dici unum peccatum: aliqua verò peccata ſunt quæ conſummantur exterius; ad quorum multiplicationem numericam requiritur contraria voluntas. Ratio eſt quia ejuſmodi mala voluntas, cum ordinetur ad actum externum, numquam Multiplicatâ voluntate; repu-

multiplicantur peccata interna; nô verò externa.

reputatur perfecta; adeoque nec interrupta, niſi fuerit executioni mandata; & conſequenter tam diu cenſetur perſeverare: hinc accingens ſe ad furandum, & ſæpius repetens illam malam voluntatem, tantum committit unum peccatum; niſi fuerit per contrariam voluntatem retractatum.

Petes, quot modis interrumpantur peccata interna, ſive quæ conſummantur interius.

Quot modis interrũpantur peccata interna.

Reſp. tribus. 1. Per contrariam voluntatem, quâ nimirum quis dolet vel pœnitet de tali voluntate habita. 2. Per voluntariam ceſſationem ab actu: dico per voluntariam; quia ſi quis per naturalem inadvertentiam, vel diſtractionem circa alia ceſſet ab actu, non ideo multiplicabitur numero peccatum per actus repetitionem; quia voluntas prior adhuc interpretativè cenſetur perſeverare. 3. Quando inter unum & alterum actum tantum temporis, vel tale impedimentum interceſſit, ut prudenti judicio non poſſint dici inter ſe uniri, vel uniri alicui tertio; ſive interim ceſſatio ab actu fuerit voluntaria, ſive non: ſicuti, ſi quis heri voluerit occidere proximum, & eandem voluntatem hodie iteret; vel veſperi habeat malas cogitationes, dein ſomno correptus, poſtmodum evigilet, & eaſdem cogitationes repetat; quia ſomnus ſufficienter interrumpit actum, niſi ille aſſumatur tamquam medium ad pravam intentionem executioni mandandam.

Petes, quænam peccata facilius multiplicentur numero, interna, vel externa.

Reſp. interna; nam in illis ſufficiunt contraria voluntas, vel ceſſatio voluntaria ab actu pro interruptione: in his verò requiritur ſemper contraria voluntas: præterea illi nec uniuntur inter ſe, nec alicui tertio effectui; adeoque non poſſunt dici formaliter, vel virtualiter perſeverare: unde etiam poſſibile eſt aliquem brevi tempore committere plurima peccata interna, quorum numerum plerumque difficile eſt in confeſſione explicare: quo caſu ſufficiet moram temporis explicare, dicendo v. g. uno integro anno fovi capitale odium erga parentes, fratres, &c.

Petes, an perſeverans in concubinatu per annum teneatur explicare tempus.

Reſp. affirmativè: quia non perſeveravit in una copula, ſed in pluribus, quas proinde tenetur explicare quantum poteſt.

Petes, quid ſi quis animo occidendi inimicum proficiſcatur Bruxellas, & in via alienum gladium furetur, quo inimicum occidit: an unum tantum peccatum admittat.

Reſp. negativè: ſed committit plura; eò quod actus externus furti alieni gladii, habeat malitiam ſpecie diſtinctam à malitia occiſionis.

Digitized by Google

Petes; quot peccata admittat qui manè vult fornicari, & poſt interjectionem alicujus temporis tunc demum fornicatur.

Reſp. duo; ſi nempè prima voluntas matutina ſit interrupta, quia tunc fornicatio externa non procedit ab illa voluntate matutina; ſed ab alia voluntate, quam poſtea renovavit.

Petes, quot peccata committat, qui ex eodem impetu iræ aliquem aliquoties vocat furem, vel aliquoties percutit.

Reſp. unum tantum; eò quod prior voluntas perſeveret; adeoque prius peccatũ moraliter continuetur: quod ſi tamẽ uno actu quis injurias diverſæ ſpeciei alicui inferat v. g. appellando aliquem hæreticum, furem, homicidam, committet tria peccata ſpecie diſtincta.

Pecca- ta etiã multi- plican- tur ex multi- plicatio ne obje ctorum morali- ter di- ſtincto- rum.

Dico ſecundo: numerica diſtinctio peccatorum deſumitur quoque ex morali diſtinctione objectorum, circa quæ unus & idem actus verſatur; ita ut ſint tot peccata, quot ſunt objecta iſtius actus: ratio eſt, quia ſicut peccata diſtinguuntur ſpecie per objecta ſpecie diſtincta, ita & diſtinguuntur numero per objecta numero diſtincta: eapropter ſi quis uno ictu occidat 7. homines, totidem numero peccata committit in confeſſione explicanda: ſi quis uno actu proferat decem injurias mortales in decem homines, decem peccata mortalia committet.

Dices, ſi quis uno actu charitatis amet fratrem, patrem, & matrem, unicum tantum actum charitatis habebit, eritque tantum una illius actus bonitas; ergo erit quoque una iſtius actus malitia quando quis patrem, matrem, & fratrem odio habet.

Reſp. negandò conſequentiam quia plus requiritur ad bonum quam ad malum; quia bonum eſt ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus: & quamvis propter hoc argumentum non deſint multi Theologi qui dicunt in allatis caſibus tantum eſſe unam malitiam, & unum peccatum, adeoque ſpeculativè à nobis videantur differre, nullatenus tamen practicè; quia & illi omnes cenſent numerum perſonarum, ſeu objectorum in confeſſione eſſe explicandum; eò quod totale objectum iſtius actus pertineat ad eſſe individuale ipſius; & conſequenter actus nequeat explicari non explicato totali objecto, veroſimilius tamen adhærebitur noſtris principiis ante datis.

Petes, an qui furatur integrum gregem ovium, tot peccata committat, quot ſunt oves.

Reſp. ſi totus grex ſpectet ad unam perſonam, unum tantum peccatum committet, & eo gravius in genere furti quo ſunt plures oves: ratio eſt quia licet hic interveniant tot objecta phyſicè diſtincta quot ſunt oves, non tamen illa

illa non diſtinguuntur moraliter, ſed habent ſe ut partes unius totius in genere moris.

Petes, quot committat peccata qui unam integram familiam vult interficere.

Reſp. tot quot ſunt perſonæ in iſtâ familiâ, eò quod ſint tot illius malæ voluntatis objecta inter ſe moraliter diſtincta: quod inde à poſteriori patet, quia ſi in iſta familia eſſet ejus frater, & aliquis ſacerdos, quos ipſe ſciret ibidem eſſe, voluntas illa mala pertineret ad duas ſpecies peccatorum, nempe ad fratricidium, & ſacrilegium; ergo ſignum eſt quod ſinguli homines iſtius familiæ non ſint conſiderandi per modum unius, ſed quod ſinguli debeant ſeorſim conſiderari tamquam objecta integra à ſe invicem moraliter diſtincta: dein qui uno actu vellet cognoſcere conſanguineam religioſam committet inceſtum, & ſacrilegium; ergo quoque ille qui uno actu vellet occidere plures homines, quorum unus eſt frater, & alter ſacerdos, reus erit homicidiorum ſpecie & numero diſtinctorum: nec ſufficit dicere in confeſſione, occidi hominem; ſed debet exprimere numerum perſonarum, earumque qualitates; idque ut explicet numerum, & ſpeciem ſuorum peccatorum: nec refert quod multæ perſonæ ſimul ſumptæ in jure cenſeantur conſtituere unam tantum perſonam, quia hoc tantum ſit juris fictione, non autem à parte rei.

Petes, an accipiens rem alienam, neque illam reſtituens ſpatio unius integri anni, teneatur in confeſſione explicare tempus detentionis.

Reſp. affirmativè: eſto enim ſit unicum tantum peccatum continuatum per annum (ſuppono enim non eſſe interruptum per pœnitentiam, vel contrariam voluntatem) & duratio licet non ſit circumſtantia mutans ſpeciem, tamen eſt notabiliter aggravans.

DUBIUM IX.

De Diviſione Peccati in Carnale & Spirituale.

QUamvis prædicta diviſio ſit adæquata, quia nimirum membra dividentia in tantum adæquant diviſum, ut nullum ſit peccatum actuale, quod non ſit carnale vel ſpirituale, tamen non eſt diviſio in ſpecies infimas: quod patet, quia illæ dicuntur ſpecies infimæ ſub quibus non collocantur aliæ ſpecies in quas dividantur. Porrò quodlibet hujus diviſionis membrum plurimas continet ſpecies in quas dividitur.

Nota; nomine carnis, intelligi quandoque totum hominem, quandoque verò partem ejus materialem: quo modo hic accipitur.

Pro quo obſervandum, peccata carnalia variis modis accipi. 1. Stri-

Varia acceptio peccati carnalis.

ctiſſimè, pro peccato luxuriæ, idque quia illud perficitur in delectatione carnis; vel quia in tali peccato anima ſpecialiter inſervit carni, facta ejus mancipium. 2. Peccatum carnis ſumitur paulò generalius, nempe pro omni peccato quod verſatur circa materiam externam & corporalem: quo modo avaritia quoque ab Apoſtolo ad Epheſ. 5. annumeratur peccatis carnalibus; eò quod res, in qua delectatur avarus, ſit aliquid corporale 3. generaliſſimè, pro omni peccato quod procedit ex carnis corruptione, ſeu ab homine per peccatum originale corrupto: quo modo, ad Gal. 5. inter opera carnis non tantum cenſetur immunditia, fornicatio, &c ſed & iræ, rixæ diſſenſiones, &c. quia nimirum procedunt ab homine per peccatum corrupto. Hoc vero loco, quo peccata carnalia diſtinguuntur à ſpiritualibus, illa propriè vocantur peccata carnalia, quæ aliquam delectationem carnalem habent pro objecto & ad ſui conſummationem poſtulant in carne perfici; qualia ſunt gula, & luxuria: nomine verò peccati ſpiritualis intelligitur illud, quod perficitur in anima, nec ad ſui perfectionem poſtulat in carne conſummari, nec habet pro objecto delectationem alicujus rei corporeæ; qualia ſunt ſuperbia, invidia &c.

Petes an circa idem objectum aliquis poſſit committere peccatum ſpirituale, & carnale.

Reſp. Affirm. nempe per delectationem ſpiritualem, intelligendo eam quæ conſummatur ſolâ apprehenſione ſeu imaginativâ: per carnalem verò intelligendo eam quæ ſequitur ex ſenſu tactus, vel guſtus ſic enim delectatio moroſa de fornicatione erit peccatum ſpirituale, & delectatio de fornicatione re ipsâ ſuſceptâ erit carnale.

Petes quænam peccata ſint minora, an carnalia, an ſpiritualia.

Reſp. cæteris paribus carnalia: ratio eſt, quia quo quis vehementius impellitur ad peccatum, eò minus peccat, cum ſit minus liber; ſed ad carnalia homo magis impellitur ab inditâ ſibi concupiſcentiâ ex natura corrupta; ergo cæteris paribus minus peccat. Hoc tamen bene notandum, peccatum carnale eſſe maximum in genere adhæſionis; adeoque ſi umquam verum ſit, ex unico actu contrahi habitum, id in peccato carnali eſſe veriſſimum.

DUBIUM X.

De Diviſione Peccati, in peccata cordis, oris, & operis.

Quid peccatū cordis.

Nota 1. per peccatum cordis intelligi illud, quod naturâ ſuâ tale eſt ut interius in voluntate perficiatur, nec ad ſui complementum corporis operâ indigeat; ut odium Dei, hæreſis &c.

Oris, & operis.

Per peccatum oris intelligitur illud, quod naturâ ſuâ tale eſt ut locutione

locutione perficiatur; quale eſt mendacium, contumelia, detractio, perjurium. Per peccatum operis intelligitur illud quod naturâ ſuâ tale eſt, ut egeat externo aliquo corporis adminiculo per quod conſumetur, quale eſt homicidium &c.

Nota 2. peccata cordis, oris, & operis poſſe ſpectari dupliciter. 1. Ut ſpecies completas; de quibus jam diximus. 2. Ut gradus incompletos; ita ut v. g. peccatum cordis dicat ordinem ad peccatum oris vel operis, reſpectu cujus ſit tantum via vel diſpoſitio; ſic enim fornicatio v.g. ſolet habere inchoationem ſuam à cogitatione cordis, & affectu voluntatis, incrementum à ſermone oris, & complementum ab executionis operis: & hoc poſteriori modo illa tria membra accepta habent ſe ſicut tres gradus ejuſdem peccati; quorum primus eſt in corde, ſecundus in ore, tertius in opere.

Petes, an peccata quæ conſummantur in corde, differant ſpecie ab illis quæ conſummantur in opere.

Reſp. affirmativè, ſi primo modo ſummantur, quia privant perfectionibus ſpecie diſtinctis: alia enim eſt perfectio qua privat odium, alia, qua ſuperbia, alia, qua homicidium &c. Quod ſi verò hæc tria ſecundo modo ſumantur, tunc non differunt ſpecie: nam ſic voluntas furandi vel fornicandi eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato furti, vel fornicationis.

Petes, an dari poſſit peccatum in corde, quod non fuerit in ore, vel opere.

Reſp. affirmativè; quamvis non poſſit dari è contra peccatum in ore vel opere, quod non fuerit in corde omne enim peccatum debet eſſe voluntarium.

DUBIUM XI.

De Diviſione Peccati in Deum, proximum, & ſe ipſum.

QUia homo lege naturæ & divina ordinatur in Deum, ſe ipſum, & proximum, ut unicuique eorum reddat quæ ſua ſunt: hinc quotieſumque dictum ordinem quis tranſgreditur, peccat; & quidem generali aliqua ratione contra Deum, in quantum per peccatum ſe à Deo avertit; contra ſe ipſum, in quantum ſibi ipſi eſt cauſa æternæ damnationis; contra proximum, in quantum ſe erga illum non habet ut debet.

Ultra hunc generalem ordinem, quædam peccata dicuntur ſpecialiter contra Deum: nempe quæ ſunt contra virtutes Theologicas, religionem, vel pœnitentiam, quæ virtutes Deum ſub ſpeciali ratione reſpiciunt: quædam peculiariter ſunt contra proximum; nempè quæ ſunt contra juſtitiam, & alias virtutes ei annexas; & generaliter illæ quæ ſunt contra illas virtutes, quæ

nos ſpecialiter ordinant ad proximum. 3. Aliæ ſunt ſpecialiter contra ſe ipſum: nempe quæ ſunt contra virtutes, quæ hominem ſpecialiter ordinant erga ſe ipſum, ut temperantia, ſobrietas, patientia. Hanc diviſionem nobis non obſcurè indicavit Apoſt. ad Titum 2. monens *Ut ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo*; nempè piè, Deo; juſtè, proximo; ſobriè, nobis.

Dices, David Pſalm. 50. ait; *Tibi ſoli peccavi*: indicans peccata ſua tantum eſſe contra Deum; cum tamen certiſſimum eſſet, eum graviſſimè peccaſſe contra proximum, nempè contra Uriam, ipſum occidendo: & Bethſabeam ipſam & populum ſcandaliſando.

Reſp. ſenſum verborum Davidis eſſe, quod ſub peculiari quadam ratione ſoli Deo peccaverit; nempè ut judici, qui ſolus poterat illum punire, & apud quem ſolum poterat convinci & damnari.

Dices, omnia peccata ſunt contra legem Dei æternam; ergo fruſtranea eſt dicta diviſio.

Reſp. negando conſequentiam: nam etſi generali quâdam ratione omnia ſint contra Deum, in quantum iſtis offenditur, cum eo tamen bene ſtat, quod aliqua ſpecialiter ſint contra ipſum; nempè quæ ſunt directè contra illas virtutes quæ hominem ſpecialiter ordinant ad Deum.

Petes, an peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas.

Reſp. affirmativè; intelligendo de cauſa finali: quia ut dictum eſt, peccata accipiunt ſpeciem ab objectis formalibus; objectum autem formale ratione actus interni obtinet rationem finis: quoad alias verò cauſas

Reſpondeo negativè, idque à ſufficienti diviſione; quia cauſa materialis & formalis propriè reſpiciunt ſubſtantiam, quæ dicitur formâ vel materiâ diſtingui; motus verò ſeu actio, quale eſt omne peccatum, habet ſolam cauſam efficientem & finalem.

Petes, quare peccata nequeant diſtingui ſpecie penes diverſas cauſas efficientes, tam bene quam frigefactio & calefactio.

Reſp. quia hæc procedunt ab uno principio ad unum determinato; peccata verò procedunt ab efficiente libero, à quo proinde poſſunt procedere diſtincta ſpecie peccata: quin imo ex duobus principiis quodammodo contrariis poſſunt procedere peccata ejuſdem ſpeciei, ut v. g. ex timore malè humiliante, & amore male inflammante poteſt committi adulterium; ut dum mulier ex timore conſentit illi, qui ex amore malè imflammante ad adulterium impellit.

Petes, an peccata nequeant ſpecie diſtingui à reatu, ſeu obligatione ad pœnam ad quam inducunt.

Reſp. negativè; eò quod reatus

Digitized by Google

tus ſit quidam effectus peccati, nam idcirco quis obligatur ad pœnam, quia peccavit; & conſequenter præſupponit ille peccatum in ſua ſpecie conſtitutum.

DUBIUM XII.

An detur Peccatum ex pura Malitia.

RESP. affirmativè: quod patet 1. ex Job. cap. 34. *Quaſi de induſtriâ receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Item ex Pſalm. 35. *Noluit intelligere ut benè ageret.*

Probatur hoc ipſum ratione; quia datur peccatum quod voluntas committit nullâ præventa paſſione, vel ignorantiâ; ſed ex mera ſua libertate tamquam principio quo vult malum, non quidem ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni utilis, vel delectabilis; quale fuit peccatum primi Angeli.

Petes, an peccans ex habitu, peccet ex malitiâ.

Reſp. affirmativè; quia qui ſcienter eligit malum nullâ incitatus paſſione, vel laborans ignorantiâ, peccat ex malitia; ſed talis eſt qui peccat ex habitu, quandoquidem liberè utatur habitu vitioſo, dicente Philoſopho *ipſis habitibus utimur, ut volumus.*

DUBIUM XIII.

An Peccata in Spiritum Sanctum: Item in cœlum clamantia, ſpectent ad ſpeciem peccati ex pura malitia.

PRænotandum; illa peccata dici committi in Spiritum Sanctum, quibus contemnitur, & abjicitur id, quo Spiritus Sanctus hominem ſolet retrahere à peccato; nempè Dei gratia, quæ ſpecialiter tribuitur Spiritui Sancto, tamquam fonti omnis amoris.

Quid peccatum in Spiritū Sanctū.

Ejuſmodi peccata recenſentur ſex: nempè præſumptio de miſericordia Dei. 2. Deſperatio. 3. Impugnatio agnitæ veritatis. 4. Fraternæ charitatis invidentia. 5. Obſtinatio. 6. Impœnitentia. Quæ omnia ſpectant ad ſpeciem peccati ex pura malitia; quia non committuntur ex aliqua infirmitate, vel ignorantia: ſed ex quadam mentis obſtinatione: dicuntur verò dicta peccata irremiſſibilia, non quaſi numquam remittantur, nec in hoc ſæculo, nec in futuro; ſed quia difficillimè remittuntur; ex eòquod per hæc peccata contemnatur id, quo Spiritus S. hominem ſolet à peccatis avocare: quod patet inductione: nam præſumptione de miſericordia Dei, abjicitur gratia timoris; deſperatione, gratia ſpei veniæ conſequendæ; impugnatione agnitæ veritatis, abjicitur gratia cogno-

Sex ſūt genera peccati in Spir. S.

Quo' ſenſu dicuntur irremiſſibilia.

cognoſcendæ veritatis ; fraternæ charitatis invidentiâ, auxilium interioris gratiæ ; obſtinatione, abjicitur conſideratio parvitatis & brevitatis ipſius delectationis, quæ in peccato quæritur; impœnitentiâ denique, abjicitur conſideratio turpitudinis ipſius peccati, quæ cognita ſolet hominem ad pœnitentiam inducere.

Quid peccat in cœlũ clamans eſt quadruplex

Dico 2. peccata in cælum clamantia dicuntur illa, quæ tam manifeſtam in ſe continent malitiam, ut Deum ad vindictam provocent contra eos qui illa committunt: hæc à Scriptura Sacra numerantur quatuor: nempè homicidium voluntarium. 2. Peccatum ſodomiticum. 3. oppreſſio pauperum. 4. Merces operariorum defraudata. De primo habetur Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* De ſecundo habetur Gen. 18 *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint* De tertio habetur Exodi 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.* De quarto habetur Jacob. 5. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

DUBIUM XIV.

Quid, & quot ſint Peccata Capitalia.

HOrum peccatorum cognitio eò magis neceſſaria eſt cuilibet confeſſario, quo magis obligatur inveſtigare radices & cauſas peccatorum ; ut illis exſtirpatis, faciliùs exſtirpet alia peccata, quæ ſunt illorum effectus ; & inſuper ut intelligat ad quodnam illorum pœnitens ſit propenſior ; ex quo, tamquam prima radice, reliqua ipſius peccata dimanent.

Peccat capitalia ſeptẽ

Peccata capitalia vulgò numerantur ſeptem ; nempè ſuperbia avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia,

Quid ſit ſuperbia.

Superbia eſt inordinatus amor propriæ excellentiæ, ut ait S. Aug. Sermone 53. de verbis Domini. Dico, inordinatus ; quia ſi propria excellentia, item laus, & fama ordinatè quærantur, nempè propter Dei honorem, vel proximi ædificationem, non eſt vitium ſuperbiæ, ſed magnanimitatis donum. Superbia eſt peccatum veniale ex genere ſuo ; cum ſiſtendo intra limites ejus, non irrogetur notabilis injuria Deo aut proximo.

Eſt peccatum veniale ex ſuo genere.

Petes, an quandoque ſuperbia non ſit peccatum mortale.

Non nũquam tamen eſt mortale.

Reſp. affirmativè; nimirum dum exercetur cum contemptu Dei, vel proximi: quod contingit, dum quis

ea,

Digitized by Google

ea, quæ à Deo habet, exiſtimat ſe habere à ſe ipſo. 2. Dum exiſtimat quidem ſe ea habere à Deo, ſed non gratis, verum putat ex juſtitiâ ſibi illa deberi propter propria merita, v. g. jejunia, preces, eleëmoſynas, &c. 3. Quandò dolet quod talia bona habeat à Deo, & non à ſe. 4. Dum ſe Deo æquat, vel anteponit: dicens cum Lucifero Iſaiæ 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* 5. Quando quis cum notabili proximi contemptu, vel injuria quærit propriam excellentiam, ipſum infamando, vel inhonorando.

Quid vana gloria. Ex hac infauſta matre ſuperbia naſcuntur ſequentes proles. 1. Vana gloria, quæ eſt inordinatus appetitus gloriæ; eſt verò gloria, clara cum laude notitia: unde vanè gloriari, eſt inordinatè appetere manifeſtationem propriæ excellentiæ.

Et ejus ſpecies. Species vanæ gloriæ à Doctoribus recenſentur novem. 1. Jactantia, quæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ verbis inordinatè facta. 2. Hypocriſis, quæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ per facta ficta & falſa; ſeu eſt ſimulatio virtutis, quam quis non habet. 3. Pertinacia, quæ eſt inordinata oſtentatio proprii judicii; ſeu firma adhæſio, quâ quis adhæret alicui opinioni contra torrentem aliorum, ex eo quod ſe velit oſtendere aliis doctiorem. 4. Diſcordia, quæ eſt inordinata oſtentatio propriæ voluntatis, contra voluntatem proximi. 5. Contentio, quæ eſt pugna verbis vel ſcriptis facta contra perſpicuam veritatem. 6. Inobedientia, quæ eſt tranſgreſſio præcepti quia præceptum eſt; ſicuti enim obedientia formalis eſt adimpletio præcepti quia præceptum eſt, ita inobedientia formalis, eſt violatio præcepti quia præceptum eſt. 7. Curioſitas, quæ eſt inordinatus appetitus ſciendi, quæ quandoque eſt mortale peccatum; nempè dum quis pro illa ſe exponit periculo peccandi mortaliter: qualis eſt curioſitas legendi libros impudicos, prohibitos; vel videndi bruta coëuntia. 8. Ambitio, quæ eſt inordinatus appetitus honorum, vel dignitatum. 9. Præſumptio, quæ eſt inordinatus appetitus attentandi aliqua quæ ſunt ſupra vires; ut dum quis ignarus Theologiæ illam vult profiteri, vel exponere ſe confeſſionibus audiendis.

Quid avaritia. II. Avaritia, quæ eſt inordinatus amor divitiarum: dico inordinatus, ſi enim ordinetur ad finem bonum, non erit peccatum. *Eſt ex genere ſuo peccatum veniale.* Hic amor eſt ex genere ſuo peccatum veniale; nec futurus mortale, niſi ſit conjunctus cum injuſtitia retinendi, vel auferendi rem alienam; vel cum duritia non ſubveniendi gravi, vel extremæ ſuæ, ſuorum, vel proximorum neceſſitati; *Quandoque eſt mortale.* vel certe divitiis ſic afficitur, ut ultimum finem ſuum in illis cenſeatur conſtituere.

Quid luxuria, eſt ex genere ſuo peccatū mortale jure naturæ vetita.

III. Luxuria, quæ eſt appetitus libidinoſæ voluptatis; cujus prima ſpecies eſt fornicatio, jure naturæ prohibita, utpote quæ fiat contra finem ab auctore naturæ in concubitu ordinatum, nimirum bonam prolis educationem; quæ ibi per ſe haberi nequit, ubi incertus eſt pater, qualis eſt ille qui eſt extra Matrimonium: ad hanc ſpeciem reducitur concubinatus, qui eſt ſtatus continuæ fornicationis cum eâdem meretrice. 2. ſpecies eſt ſtuprum, quæ eſt copula prima habita cum virgine filia. 3. Eſt adulterium, 4. eſt inceſtus, id eſt copula cum conſanguinea vel affine. 5. Raptus, id eſt copula cum virgine invitâ, vel renitente. 6. Sacrilegium id eſt copula habita cum perſona voto caſtitatis obſtricta. 7. Eſt peccatum contra naturam.

Sunt ſex ejus ſpecies.

Quid ira.

IV. Ira, quæ eſt inordinatus appetitus vindictæ: eſt ex genere ſuo mortale; prout contingit cum inordinatio appetitus circa vindictam ſumendam eſt gravis prudenti judicio, prout cenſetur quando notabiliter appetimus punire immeritum; item ex gravi odio, vel deſiderio inferendi grave damnum.

Eſt ex genere ſuo peccatum mortale

Quid gula.

V. Gula, quæ eſt inordinatus appetitus cibi & potus; quæ tunc eſt mortalis quando in ea ponitur ultimus finis, juxta illud Apoſtoli ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.* 2. Dum verſatur circa prohibita à lege. 3. Dum ex cibo & potu ſuperfluo oritur grave damnum corpori vel animæ. 4. Ratione ſcandali.

eſt ex genere ſuo peccatum veniale quãdoque mortale

Petes, quid ſi aliquis provocet ſe ad vomitum ut de novo comedat, aut bibat.

Reſp. peccat mortaliter ob gravem inordinationem lumine naturæ notam in tali actu.

Quid invidia. Eſt mortale ex genere ſuo.

6. Eſt invidia, quæ eſt inordinata triſtitia de alieno bono, in quantum illud minuit excellentiam invidentis: Eſt mortale ex genere ſuo; prout contingit, quando bonum, de quo triſtamur, eſt gravè.

Quid acedia.

7. Eſt acedia, quæ eſt faſtidium ſpiritualium rerum; ſeu triſtitia orta ex eo quod ſint res ſpirituales: ut ſi quis doleat quod ſit creatus ad gratiam, ad meritum, ad gloriam, item de inſtitutis Sacramentis, vel prædica[illegible]e verbi Dei diebus Dominicis, & feſtivis.

Petes, quale peccatum ſit Acedia.

Eſt ex genere ſuo peccatum mortale

Reſp. Mortale ex genere ſuo: hinc mortaliter peccat, qui tædio vitæ ſuæ, & rerum ſpiritualium deliberatè optat ſe non fuiſſe natum, vel potius brutum factum, quam hominem. Quod ſi quis tamen afficeretur triſtitiâ ex eo quod teneatur implere opus ſpirituale quia laborioſum eſt, ut jejunare, audire ſacrum, &c. opus tamen faceret, ſed cum tædio, non peccaret mortaliter.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM XV.

Quot ſint Peccata Aliena.

Quid peccati alienũ. Nota; nomine peccati alieni intelligi illud, quod licet ab alio committatur, nobis tamen imputatur. Quod talia dentur, patet ex Scriptura 1. ad Thim. 5. *ne communicaveris peccatis alienis* & Pſ.18. *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Probatur hoc ipſum ratione; quia dantur peccata, quæ licet aliorum manibus, vel operâ perficiantur tamquam inſtrumentis, nobis tamen tamquam cauſis particularibus imputantur, & animas noſtras reas æternæ damnationis conſtituunt. Porrò perpetrantur illa potiſſimum. 9. modis, hoc verſiculo comprehenſis.

Et quotuplex. *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.*

De juſſione patet; quia mandans, vel jubens, eſt cauſa moralis peccati ab altero perpetrati; adeoque malitia effectus ei imputatur, utpote ei voluntaria in cauſa: idem judicium ſit de conſulente, ex eodem fundamento; quia nimirum conſilio ſuo eſt cauſa peccati alterius De conſenſu patet, ex Apoſt. ad Rom. 1. *Quoniam qui talia agunt digni ſunt morte: non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Probatur hoc ipſum ratione; quia id, quod fit ab altero, & laudatur à nobis, quaſi ſuffragium à nobis accipit, & tacitè approbatur. De palpone, ſeu laudatore, patet; quia qui eſt cauſa cur aliquis, quaſi admotis calcaribus, velocius currit viam iniquitatis, haud dubiè eſt cauſa illius peccati; ſic verò facit, qui aliquem de improbitate ſuâ, tamquam re bene geſtâ, laudat: de hiſce hominibus ait Pſalmiſta Pſal. 9. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*

Notent hoc punctum aliqui Confeſſarii, & Paſtores, qui accommodant ſe genio cujuſque pœnitentis, & ſicut apud Ezech. c. 13. legitur; *conſuunt, pulvillos ſub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas.*

Quod ad recurſum, ſeu ſcandalum, patet, quia qui dicto vel facto minus recto præbet alteri occaſionem peccati, notoriè eſt cauſa peccati illius: unde ait Apoſt. 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* De Muto, ſeu ſilente patet; quia qui tenetur ex officio, vel charitate proximum monere, docere, aut corripere; & defectu monitionis, doctrinæ, vel correptionis, cauſa eſt cur proximus peccet; communicat peccato proximi ſui: ſic peccant Paſtores, Superiores, Epiſcopi, & ſimiles, qui; licet videant inundare in communitatibus ſibi commiſſis diverſa crimina,

non tamen annuntiant ſubditis ſuis ſcelera eorum; ſed manent ut canes muti, non valentes latrare: de his dicit Dominus Ezech. 3. *ſi dicente me ad impium, morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via ſua impia, & vivat: Ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

De non obſtante patet; quia qui auctoritate ſua poteſt malum impedire, & non impedit, ad quod impediendum tenetur, vel ex officio, vel ex charitate, eſt cauſa illius negativa: quo genere peccati frequenter peccant Paſtores, Superiores, Epiſcopi, & alii, qui aliis præſunt; & hoc modo communicant peccatis alienis ſuorum ſubditorum.

De participante, patet; quia qui cooperatur alteri in actione malâ, vel venit in partem lucri injuſtè acquiſiti cum altero, peccat eâdem ſpecie peccati cum altero.

DUBIUM XVI.

Undenam deſumatur gravitas Peccatorum.

Peccati gravitas deſumitur ab objecto

RESP. illam deſumi ex multis capitibus: & primò quidem ab objecto; ſicuti enim peccata ab objectis accipiunt ſpeciem, ita pro diverſitate objectorum unum peccatum eſt gravius altero ſecundum ſpeciem: & ita peccata primæ tabulæ contra Deum commiſſa, ex parte objecti graviora ſunt quam peccata ſecundæ tabulæ contra proximum commiſſa.

2. Deſumitur gravitas peccati ex digniori virtute cui opponitur, quia privat majori perfectione. — Prout quoque ex digniori virtute cui opponitur.

Dices, peccatum veniale contra charitatem Dei admiſſum, minus eſt quam odium mortale contra proximum.

Reſp. dictum noſtrum intelligendum eſſe cæteris paribus; ita ſcilicet ut peccatum, quod eſt ſummum in præſtantiori materia, & opponitur virtuti digniori, ſit gravius aliquo alio peccato ſimiliter ſummo in materia inferiori, quodque opponitur virtuti ignobiliori. Et ita peccata carnalia per ſe ſunt minoris culpæ, quam ſpiritualia cæteris paribus, quia nimirum carnalia turbant rationem ordinis in materia minus ſublimi, quam ſpiritualia: bene tamen notat S. Thomas, prout adhuc ſupra inſinuavimus, peccatum carnale eſſe graviſſimum in genere adhæſionis, de quo homo difficillimè ſe poteſt corrigere; eò quod plus habeat de converſione ad bonum delectabile, quam alia peccata: hinc Dæmon maximè delectatur peccato luxuriæ, & gulæ; eò quod illorum illecebris maximam partem humani generis in naſſas ſuas trahat.

Quâ ratione peccatũ carnale ſit minus ſpirituali, & quâ ratione majus.

3. Gravitas peccatorum attenditur penes diverſas cauſas: hinc quo cauſa eſt vehementior, ſeu intenſior — Peccati gravitas de-

ſumitur etiam à cauſa. ſior, & cauſa finalis eſt pejor, eò gravius eſt peccatum.

Petes, quis gravius peccet; an homicida, an verò inducens filiam ad fornicandum.

Homicida gravius peccat quá inducens filiá ad fornicádum. Reſp. homicida: ratio eſt, quia hic directâ intentione occidit corpus, fornicator verò ſe ſolo non eſt cauſa mortis animæ, ſed debet accedere conſenſus filiæ fornicantis: quod ſi tamen fornicator directè intenderet mortem animæ filiæ fornicantis, gravius peccaret quam homicida, ratione pejoris finis; cum à pejori fine intento deſumatur præcipua malitia; utpote qui ſit objectum particulare ipſius voluntatis.

Etiam à conditione perſonæ in quam peccatur. 4. Deſumitur gravitas peccati à conditione perſonæ, in quam peccatur; nam peccati gravitas deſumitur ab objecto, ut dictum eſt, & perſona, in quam peccatur, habet rationem objecti; ergo: hinc peccatum commiſſum in Deum ex genere ſuo gravius eſt, quam peccatum commiſſum in hominem; & peccatum in ſe ipſum commiſſum eſt gravius eo, quod committitur in proximum: & rurſum ex illis peccatis quæ committuntur in proximum, illa ſunt graviora, quæ committuntur in proximos Deo viciniores, vel ratione officii, vel ratione conſecrationis; vel denique quæ committuntur in proximos perſonæ peccanti viciniores.

5. Deſumitur à conditione perſonæ peccantis; quia quo quis majora accepit à Deo beneficia eò peccando exhibet ſe illi magis ingratum. 2. quia peccata à majori perſona admiſſa, ſæpe continent majorem repugnantiam cum recta ratione; ut patet in actu luxurioſo à Sacerdote commiſſo. 3. Quia peccata magnatum ſunt magis ſcandaloſa. Deniq; à códitione perſonæ peccantis.

Ex his patet; quid reſpondendum ſit ad quæſtionem, qua quæritur, an omnia peccata ſint paria; nempè negativè: quod ulterius, patet ex teſtimonio Scrip. Joan. 19. *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*: & inſuper ratione; quia peccatum eſt quædam privatio perfectionis actui debitæ ineſſe ſecundum rectam rationem; eſto autem ſimplex privatio non ſuſcipiat majus aut minus, ut mors, quæ eſt privatio vitæ; item cæcitas, quæ eſt privatio viſus: quia ſcilicet nihil retinent de vitâ, vel de viſu; tamen privatio non ſimplex ſuſcipit majus, vel minus; eò quod illa patiatur aliquid ſecum de forma oppoſita; quo modo ægritudo eſt privatio ſanitatis; quæ tamen poteſt eſſe major vel minor, prout nempe plus vel minus receditur à temperie primarum qualitatum: & talis privatio non ſimplex eſt peccatum: unde non eſt mirum, quod unum ſit majus altero. Non omnia peccata ſunt paria.

Petes an omnia peccata ſint connexa.

Reſp. negativè: quia illa ſæpè inter ſe ſunt contraria; quæ proin-

Vu 3 de

Neque omnia inter ſe ſunt cōnexa. de non poſſunt eſſe ſimul in eodem ut patet in illis quæ committuntur contra eandem virtutem per exceſſum, & defectum.

Dices Jacobi 2. dicitur: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendit autem in uno: factus eſt omnium reus*; ergo omnia peccata ſunt connexa.

Reſp. negan. conſeq. quamvis enim hæc verba, ut ſonant, ſint plena difficultate, in tantum ut S. Auguſtinus deſuper conſuluerit S. Hieronymum; tamen unanimis catholicorum explicatio eſt, excludere Stoicam illam peccatorum connexionem: & ea propter ſenſus eſt, qui offendit in uno factus eſt omnium reus, non diſtributivè, quaſi omnes tranſgreſſiones ſit operatus; ſed collectivè; quia ſcilicet tranſgreſſor eſt legis, quæ eſt collectio omnium præceptorum; adeoque obſervatio reliquorum præceptorum illi erit inutilis in ordine ad præmium, quod obſervatoribus legis eſt conſtitutum. S. Auguſt. explicat hoc modo, qui offendit in uno factus eſt omnium reus; quia nimirum peccat contra charitatem, à qua tota lex pendet, & prophetæ. Vide S. Auguſt. de hoc ex profeſſo tractantem epiſt. 29. ad Hieronimum.

QUÆSTIO II.
De Subjecto Peccati.

Nota; quod tria in peccato ſpectari poſſint; nempè entitas, ſeu ipſum materiale peccati. 2. Formale ipſius, quod eſt privatio rectitudinis debitæ ineſſe. 3. Ratio voluntarii. Peccata ſpectata quo ad 1. non ſubjectantur omnia in voluntate, ſed poſſunt ſubjectari in aliis potentiis: ſic enim hæreſis ſubjectatur in intellectu; delectatio impudica, in appetitu ſenſitivo, aſpectus obſcænus, in oculo 2. formale peccati, ſeu privatio illa rectitudinis proximè ſubjectatur in actu, ſeu entitate peccaminoſa remotè verò in eodem ſubjecto, in quo ſubjectatur actus; adeoque privatio rectitudinis, qua privat hæreſis proximè eſt in ipſo judicio erroneo, & remotè in intellectu. 3. Ratio voluntarii, ſeu formalis malitia moralis tantum eſt in internis actibus à voluntate elicitis; denominatione verò extrinſeca tantum, in actibus aliarum potentiarum à voluntate imperatis.

DUBIUM PRIMUM.

An motus concupiſcentiæ & libidinis exurgentis in appetitu ſenſitivo circa objecta illicita, & prævenientes uſum rationis, ſint peccata.

Cajetanus cenſet omnes tales motus independenter à voluntate elicitos eſſe peccata venia-

lia; innixus huic fundamento, quod appetitus ſenſitivus habeat quamdam libertatem imperfectam, ſufficientem tamen ad peccatum veniale: Lutherus verò, & Calvinus, eorumque ſectatores docent omnes ſimiles motus eſſe peccata mortalia: qui error, ut hæreticus, à Leone X. in Articulis Lutheri eſt damnatus; prout etiam à Concil. Trident. ſeſſ. 5. ubi ait „remanere in renatis concupiſcentiam „ſeu fomitem hæc Sancta Synodus fatetur & ſentit; quæ cum „ad agonem relicta ſit, nocere non „conſentientibus, & viriliter per „Chriſti gratiam repugnantibus, „non valet: quinimo, qui legitimè certaverit, coronabitur.„

Motus primò primi nō ſunt peccata. Reſp. ergo, & dico 1. motus concupiſcentiæ primò primi, ſeu omnem voluntatis conſenſum prævenientes, non ſunt formaliter peccatum nec veniale, nec mortale.

Probatur 1. ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu: qui non ſecundum carnem ambulant.* & ad Rom. 7. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

2. Probatur auctoritate Concil. Trident. loco ante citato, Seſſ. 5. Cap. 5.

3. Probatur ratione, quia nullus actus hominis poteſt eſſe peccatum, cujus ipſe non eſt Dominus ut fiat vel non fiat, atqui omnes motus appetitus ſenſitivi prævenientes rationem ſunt tales; ergo non ſunt peccata. Major eſt per ſe evidens; quia de ratione peccati eſt voluntarium: hinc S. Auguſt. lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 17. & 18. ait, voluntarium adeò eſſe de ratione peccati, ut ſi voluntarium non ſit; peccatum eſſe non poſſit. Hinc quoque communiter docent Theologi, ſine voluntate non peccari, id eſt voluntate non imperante, negligente, vel permittente: eapropter quoque nullus motus in appetitu ſenſitivo exſurgens poteſt dici voluntarius abſque aliquo reſpectu ad voluntatem; quatenus nimirum vel ab eâ elicitur, imperatur, vel permittitur: unde, eò ipſo quo motus aliquis in appetitu ſenſitivo inſurgens non dicit aliquam habitudinem ad voluntatem, conſtat illum non eſſe humanum, cum homo non ſit illius principium quatenus homo eſt. Hinc ait Apoſtolus ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago; ſi autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum:* Ita quoque cap. 6. ait: *Non regnet peccatum in veſtrô mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ubi, nomine peccati intelligit concupiſcentiam; non quaſi illa ſit propriè dictum peccatum, ſed quia eſt effectus peccati originalis, & inclinatione ſuâ eſt cauſa plurimorum peccatorum actualium: hanc autem concu-

cupiſcentiam non vult non eſſe in noſtro mortali corpore; ſed vult eam non regnare; ut benè notat S. Aug. Tract. 41. in Joan. regnat autem, quando voluntas ei obedit: unde & idem Auguſt. lib. 5. contra Julianum ſic argumentatur; ſi motus concupiſcentiæ eſſent peccata, fruſtra Sacra Scriptura Eccleſ. 18. nos hortaretur, *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Deinde S. Auguſt. lib. 1. de Civitate Dei cap. 15. ait tales motus poſſe excitari in corpore dormientis: & tunc non eſſe peccata; ergo nec erunt quando excitabuntur in corpore non conſentientis; hinc aiebat Sancta Lucia, *ſi invitam juſſeris violari, caſtitas mihi reputabitur ad coronam*.

Dices, Apoſt. ad Rom. 7. ait, *Concupiſcentiam neſciebam*, ſcilicet eſſe peccatum, *niſi lex diceret, non concupiſces*.

Reſp. Apoſtolum per hoc nolle ſignificare quod ignoraret concupiſcentiam involuntariam eſſe peccatum; ſed per legem didiciſſe, non tantum actum externum malum eſſe peccatum, ſed etiam voluntatem ſeu concupiſcentiam internam operis mali; quod plerique judæorum ignorabant.

Dices, omnis motus concupiſcentiæ prohibetur divina lege, *non concupiſces*

Reſp. prohiberi omnem motum voluntarium, non verò involuntarium: quin imo non tam ipſe motus, quam conſenſus in motum prohibetur: cujus ratio eſt, quia Deus nihil præcipit homini abſolutè impoſſibile; ſed evitare tales motus concupiſcentiæ involuntarios eſt homini abſolutè impoſſibile; ergo.

Dices, S. Auguſt. lib. de Nuptiis & concupiſcentia cap. 29. docet hoc præceptum, *non concupiſces*, in hac vita non poſſe impleri propter motus concupiſcentiæ.

Reſp. S. Auguſt. in hoc præcepto duo conſiderare; nempè id quod præcipitur, & finem præcepti: id quod præcipitur eſt medium, ſcilicet reſiſtere motibus, finis verò eſt non ſentire: dicit ergo præceptum illud non poſſe obtineri in hac vita quoad finem; ſecus verò quoad media: porrò omnis lex propriè reſpicit media; & hinc prævaricator eſt legis, qui negligit media præcepta; non verò ille, qui finem non conſequitur: hinc dum Medico præcipitur ut ſanet ægrum, ſatisfacit huic præcepto ſi adhibeat quamcumque poteſt medicinam; eſto ſanitatem ægroti non conſequatur.

Petes, quid dicendum ſit ad ſententiam Cajetani, aſſerentis motus illos eſſe peccata venialia.

Reſp. ſententiam illam non eſſe admittendam; ſiquidem omne peccatum veniale debet eſſe voluntarium, adeoque in noſtra poteſtate; ſed motus illi prævenientes rationem non ſunt voluntarii; ergo. Nequidē venialia.

Dices

Digitized by Google

Dices, omne peccatum debet eſſe voluntarium voluntate propriâ vel alienâ; unde licet motus concupiſcentiæ non ſint voluntarii voluntate propriâ, ſunt tamen alienâ, id eſt Adami, ſaltem in infidelibus, à quibus originale necdum eſt ablatum.

Reſp. omne peccatum actuale debere eſſe voluntarium voluntate propriâ; in eo ſiquidem differt ab originali. Cajetanus verò, prout & hæretici, volunt motus illos eſſe peccata actualia; ergo nequeunt contrahi voluntate alienâ.

Petes, quale peccatum ſint motus appetitus ſenſitivi quando à voluntate excitantur, vel imperantur.

Motus voluntarii pro ratione materiæ ſunt mortales, vel veniales.

Reſp. pro ratione materiæ eſſe veniale, vel mortale.

Dices, proprium objectum appetitus ſenſitivi eſt bonum delectabile, abſque ullo reſpectu vel ordine ad rectam rationem cui ſit conveniens vel diſconveniens; cum enim appetitus ſenſitivus pro duce habeat imaginationem, non incumbit illi diſcernere inter ea quæ conveniunt, vel diſconveniunt rectæ rationi; adeoque motus illi non poterunt eſſe vitioſi vel peccaminoſi, ſed indifferentes.

Reſp. appetitum ſenſitivum dupliciter poſſe ſpectari. 1. Secundum ſe. 2. Prout eſt in eodem ſuppoſito cum voluntate rationali; loquendo de primo, ſic verum eſt proprium ejus objectum eſſe bonum delectabile ſine ullo reſpectu convenientiæ vel diſconvenientiæ ad rectam rationem: loquendo verò de ſecundo modo, tunc objectum appetitus ſenſitivi non eſt bonum delectabile ſecundum ſe: ſed prout naturæ rationali eſt conveniens, vel diſconveniens: nam eo ipſo quo in ſuppoſito rationali eſt ratio ſuperior prædominans, convenit actus appetitus ſenſitivi eſſe moderatos ſecundum exigentiam ipſius ſuppoſiti rationalis; ac proinde licet motus illi poſſint appetitui dici naturales, quatenus ille ſecundum ſe conſideratur, tamen quatenus ſunt in ſuppoſito rationali, illique inconvenientes eo ipſo ſunt inordinati; adeoque voluntas tamquam Domina obligatur eos cohibere & reprimere, qui, ſi voluntate reluctante exurgant, cedunt ad coronam.

DUBIUM II.

An, & quomodo Delectatio Moroſa ſit peccatum: ſeu potius, An conſenſus in delectationem moroſam ſit peccatum mortale.

Prænotandum 1. hic non agi de conſenſu efficaci in opus externum; quia apud omnes eſt notorium non tantum ipſum actum externum, ſed & omnem deliberatam voluntatem committendi actum externum eſſe peccatum; eſto opus externum non ſequatur, aut propter defectum facultatis

Digitized by Google

exequendi, vel propter infamiam, vel aliud incommodum, dicente Salvatore Matth. 5. *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: proinde hic agitur de conſenſu in ipſam delectationem, ſeu de complacentia de opere aliquo malo cogitato ſine voluntate exequendi, quæ propriè vocatur delectatio moroſa; non à mora temporis, quia in inſtanti poteſt quis conſentire: ſed à mora rationis, quæ illam advertens, negligit, vel eſt in mora illam repellendi.

Quid delectatio moroſa

Appellatur talis nō à mora temporis, ſed rationis

Eſt verò illa delectatio à parte rei actio aliqu. vitalis, ſeu quies appetitus ſenſitivi vel rationalis in bono adepto, poſſeſſo per apprehenſionem intellectus, vel ſenſus; ita ut delectatio non ſit formaliter, prout vulgo putatur, in ſenſu tactus vel guſtus, ſed ſolum cauſaliter; in quantum nimirum ex majori, vel minori proportione objecti ad organum ſenſus, major, vel minor in appetitu reſultat delectatio.

Quid motus primò primus.

Prænotandum 2. dari motus ſeu affectus tam voluntatis, quam appetitus ſenſitivi primò primos, & alios ſecundò primos: primò primi vocantur, qui exſurgunt ante omnem uſum rationis: ſecundò primi ſunt, qui quidem præveniunt perfectum uſum rationis, ita tamen ut aliquo modo imperfectè & confusè cognoſcantur: & hi poſſunt eſſe peccatum veniale.

Quid ſecūdò primus.

Petes an delectatio de cogitatione objecti mali ſit mala.

Reſp. negativè, per ſe loquendo: ſi quidem Deus cognoſcit omnia mala & peccata, delectaturque de tali notitia; & tamen non malè agit.

Delectatio de cognitione objecti mali per ſe non eſt mala.

Petes; an delectatio de modo aliquo mirabili & artificioſo, in aliquo objecto malo relucente, non ſit mortalis.

Reſp. negat. per ſe loquendo; quia non eſt delectatio de malo, quatenus malum eſt, ſed quatenus ab eo præſcindit; ſi quidem objectum delectionis eſt, v. g. dexteritas, ſubtilitas, &c. quæ licet pravis actibus conjungantur, non tamen fertur delectatio in illa, ut ſunt conjuncta, ſed potius, ut præciſa; quà ratione videmus aliquem cum magna ſolertia, & dexteritate aliquid ſurripientem, & ridemus; non quidem de malo, ſed de modi ſubtilitate.

Prout neque eſt de modo alicui objecto malo annexo.

Petes; quare delectatio de re mala cogitata potius ſit peccatum, quam delectatio de cognitione rei malæ.

Reſp. quia delectatio ſequitur conditionem objecti, ſeu operis ex quo naſcitur; & ea propter talis eſt, quale eſt ejus objectum; & ideo, quia objectum prioris eſt malum, ideo quoque ipſa mala eſt; & quia objectum poſterioris, utpote cognitio, malum non eſt, nec illa quoque mala eſt: quæ quidem vera ſunt per ſe loquendo: nam delectatio de cognitione rei malæ poteſt per accidens eſſe peccatum

Ratio cur delectatio de re mala potius ſit peccatum quam de cognitione rei malæ.

ſatum mortale vel veniale, ratione periculi conſenſus mortalis, vel venialis cui delectans ſe exponit; vel ſi ſit cogitatio vana vel inutilis.

Petes, quomodo poterit diſcerni quod delectatio potius ſit de ipſa cogitatione, quam de re malâ.

Signa ex quibus diſcernitur delectatio potius eſſe de re mala quam de cogitatione mala.

Reſp. quamvis hoc ſit ad diſtinguendum difficile; dantur tamen aliqua indicia, ex quibus hoc aliquo uſque colligatur. 1. Si quis ex honeſta occaſione cogitet de objecto pravo; ut v. g. qui audit confeſſiones, legit, vel ſtudet ad bonum finem, præſumitur delectari de cogitatione, & non de re cogitata; & licet in appetitu ſenſitivo oriatur delectatio, cenſetur ei non conſentire: quod ſi verò ex occaſione malâ cogitet de objecto malo; v. g. ex lectione turpi, locutione vanâ, aſpectu inhoneſto, oriatur ſimilis delectatio, præſumitur hæc tunc oriri potius ex re malâ cogitata, quam ex ipſa cognitione mala.

2. Si artificioſus modus, vel dexteritas quædam in rebus piis relucens æque aliquem delectet, quam in rebus pravis vel inhoneſtis, ſignum eſt delectationem oriri ex cognitione rei malæ potius, quam ex re mala cogitata: & ita, qui delectatur de verſibus elegantibus, & cantilenâ muſicâ, in materia turpi potius, quam in materia pia, ſignum eſt illum delectari non de modo vel cogitatione rei malæ, ſed de ipſamet re mala. Et hinc convincuntur latenter ferri delectatione carnali, qui libenter & frequenter loquuntur de occultis partibus corporis, deque ægritudinibus ad eas ſpectantibus.

Petes; quale peccatum ſit delectatio de re mala cogitata.

Delectatio moroſa de objecto jure naturæ vetito in materia venerea eſt mortalis inter ſolutos.

Reſp. pro ratione objecti eſſe mortale vel veniale: hinc delectatio de re venerea eſt mortale; item qui ex imaginatione occiſionis inimici ita interius delectatur & efficitur, ut ſolet affici qui occidit, peccat mortaliter contra charitatem; quia placet illi mors inimici, ſiquidem illa delectatio oritur ex affectu odii.

Petes, an omnis delectatio moroſa de objecto jure naturæ prohibito ſit mortalis.

Nec hic datur parvitas materiæ.

Reſp. in materia venerea affir. inter ſolutos: nec dari parvitatem materiæ, eo quod hæc ſuapte naturâ per ſe ſit cauſa pollutionis, movendo appetitum ſenſitivum, & excitando ſpiritus vitales generationi ſubſervientes, & ſic illa delectatio præſens, eſt initium coitus præſentis: quod non tantum intelligi debet de delectatione in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in rationali.

Petes, an ergo non ſit licitum alicui ſolutæ delectari de copula ſub conditione cogitata, ſi eſſet licita.

Reſp. neg. eò quod ſimilis delectatio ſit mala, tam ex parte objecti quam ex parte cauſalitatis, quippe nata concitare ſpiritus vi-

tales ſubſervientes generationi, & ita commovere ad copulam præſentem.

Petes, an non ſit licitum viduæ delectari de copula habita in matrimonio, vel ſponſæ de copula futura quam habitura eſt tempore matrimonii.

Reſp. negativè; quia talis delectatio non tantum eſt mala ratione objecti, ſed etiam ratione cauſalitatis; eò quod in præſenti excitet & commoveat ſpiritus ſubſervientes generationi.

Dices, delectatio eſt ejuſdem bonitatis & malitiæ cum opere quod habet pro objecto; ſed objectum delectationis eſt copula licita in utroque exemplo; ergo.

Reſp. negandò ſubſumptum, quia objectum ejuſmodi delectationis non eſt copula præterita, vel futura; ſed quatenus vi imaginationis fit præſens; quæ, cum ſit de præſenti illicita, ſequitur delectationem ex eo ortam etiam eſſe illicitam: præterea dicta delectatio eſt mala in ratione cauſæ, in quantum nimirum per ſe excitat ſpiritus ſubſervientes generationi, & pollutioni.

Dices; conjugibus licitum eſt delectari ſine mortali de copula habita tempore licito; ergo & licitum erit ſponſæ, & viduæ delectari de copula habita, vel habenda tempore licito.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis patet ex dictis, cum enim delectatio de præſenti oriatur ex copula apprehenſa tamquam præſenti, & præſens copula ſit licita conjugibus, illicita verò viduis, & ſponſis; clarè patet dictam delectationem poſſe licere conjugatis, abſque quod liceat viduis, & ſponſis.

Dices; delectatio de copula ſub conditione licita, habita à vidua, vel ſponſa, non eſt delectatio appetitus ſenſitivi; eò quod ille nequeat ſub conditione ferri in objectum, & hoc ideo, quia imaginatio nequit objectum repræſentare ſub conditione, ſed tantum abſolutè.

Reſp. talem delectationem eſſe in appetitu ſenſitivo: & falſam eſſe confirmationem, nempè imaginationem non poſſe repræſentare objectum ſub conditione; ad hoc enim non requiritur ullus diſcurſus, ſed nuda tantum objecti apprehenſio; ut patet in brutis, quibus repræſentantur quandoque cibi convenientes, veſtiti tamen aliquâ conditione, quæ dicta bruta à ſumptione illorum ciborum cohibet; quos proinde benè commederent, niſi timor domini adſtantis removeret: præterea eſto dicta delectatio de copula ſub conditione habita eſſet potius ipſius voluntatis, quam appetitus ſenſitivi, illa nihilominus per naturalem ſympathiam excitaret delectationem in appetitu ſenſitivo; & difficilimum eſt diſtinguere unam delectationem ab

alia;

Digitized by Google

alia; eò quod inter ſe maximam habeant connexionem.

Petes, an quando delectatio de opere vetito eſt illicita, ſit quoque illicita delectatio de modo ipſius operis.

Reſp negativè: quod patet ex dictis, quando videlicet modus operis eſt ingenioſus, admirandus, vel per ſe indifferens.

Dices, qui delectatur de tali modo, cenſetur delectari de ipſo opere illicito, eò quod modus non ſit realiter diſtinctus ab ipſo opere.

Reſp. ſufficere diſtinctionem moralem, vel rationis, nimirum quod modus ille ſecundum ſe apprehendatur ut delectabilis; nam licet talis modus in individuo nequeat exiſtere ſine opere, tamen ſimilis in ſpecie inveniri poterit in alio opere licito: ſic enim ingenioſum modum quem quis adhibuit in duello, alius adhibebit in juſtâ ſui defenſione; & quem alius adhibuit in furto, adhibere poſſum in acquirenda re mea: & hinc licet non poſſim efficaciter velle hunc modum in individuo, utpote inſeparabilem ab hoc opere malo, nihilominus poſſum illum velle in ſpecie.

Petes, an peccet qui oblectatur ludo vetito, ſi non habeat voluntatem illo utendi.

Reſp. negativè; non plus quam Carthuſianus oblectans ſe eſu carnium ſine voluntate comedendi; prout neque peccat qui triſtatur, vel tædio afficitur de aliquo modo difficili virtutis, ut de oratione & jejunio, ut naturæ moleſtis: dico non peccat mortaliter per ſe loquendo, nam per accidens ratione periculi, ne quis ulterius efficaciter appetat opus malum, poterit eſſe mortale.

Petes; an vidua non poſſit approbare copulam in matrimonio habitam, quatenus fuit actus juſtitiæ, vel medium generandæ prolis.

Reſp. affirm: nequit tamen gaudere de copula ſecundum ſe, tam quo ad gaudium in appetitu ſenſitivo, quàm rationali.

Petes, an conjugi in abſentia conjugis licitum ſit gaudere de copula præterita habita.

Reſp. quamvis plures reſpondeant affirmative cum hac limitatione, dummodo abſit periculum pollutionis; quorum fundamentum eſt, eò quod perſona illa ſit in hoc ſtatu, in quo delectatio carnalis illi eſt permiſſa; ita ut illam abſque mortali poſſit percipere præſente conjuge: Reſpondeo, inquam, negativè cum tutiore ſententia; quia non eſt licitum conjugatis frui quocumque modo delectatione carnali, ſed tantum quatenus vel actum matrimonialem concomitantur, vel quatenus ſunt quædam præambula, vel diſpoſitio ad illum conſummandum: hinc ſicuti non eſt licitum per tactus impudicos conjugi in abſentiâ

Non eſt licitum conjugi in abſentia côjugis gaudere de copula præterita.

conjugis ſe excitare, vel imaginando actum conjugalem, etiam ſepoſito periculo pollutionis; ita nec in abſentia conjugis, licebit per cogitationem copulæ præteritæ vel futuræ ejuſmodi delectationes carnales excitare.

Petes; qualis conſenſus requiratur ut delectatio moroſa ſit peccatum mortale.

Reſp. ſufficere interpretativum & indirectum; uti contingit dum quis vult cauſam illius delectationis ſecundum malitiam cauſæ; nam ſecundum malitiam cauſæ, erit & malitia delectationis: vel dum quis negativè ſe habet, quod tunc contingi, quando intellectus advertit delectationem ex opere illicito cogitato exurgentem, & tamen illam non conatur reprimere dum poteſt, nec tamen poſitivè conſentit: rationem hujus adhuc ſupra tetigimus; quia nimirum voluntas tamquam domina potentiarum ſibi ſubordinatarum tenetur regere motus appetitus ſenſitivi ſecundum præſcriptum rectæ rationis; quod ſi negligat, permittatque ut potentia aliqua inferior eliciat motum rectæ rationi repugnantem, peccat non ſatisfaciendo ſuæ obligationi; non minus quam prætor civitatis, qui cum ex officio teneatur impedire homicidia, & furta; ſi negligat, peccat; ſiquidem qui in moralibus non facit quod debet, perinde eſt ac ſi poſitivè vellet.

Petes; an delectatio moroſa in materia venerea ſit ejuſdem ſpeciei cum actu externo.

Reſp. affirmativè; non tantum quia delectatio ſequitur complacentiam operis, ſed etiam in ratione cauſæ, in quantum nimirum opus externum eſt effectus iſtius delectationis, tamquam cauſæ.

Petes; quid ſi opus externum habeat annexas duas, vel tres malitias; an delectatio moroſa de tali opere omnes contrahat.

Reſpon. affirmativè in materia venerea: eſto circa illud ſub una tantum ratione verſetur; ut ſi quis delectetur de conjuge aliena, abſque tamen voluntate exequendi actum externum, illa delectatio non tantum habebit malitiam fornicationis ſed etiam adulterii: ratio illius eſt jam ſæpè inſinuata; quia delectatio in hac materia non tantum eſt mala ex objecto, ſed etiam ex cauſalitate quam habet ex natura ſua in opus externum; nam quando adeſt venerea delectatio in voluntate, ſequitur per naturalem ſympathiam delectatio in appetitu ſenſitivo, in quo vim habet concitandi corpus & convocandi materiam libidinis ex diverſis partibus uſque ad completam pollutionem: inſuper quia homines ejuſmodi delectationibus moroſis dediti, plerumque optarent operis executionem, à quo tantum ſe cohibent ob periculum infamiæ, vel alterius incommodi.

delectatio moroſa in materia venerea eſt ejuſdem ſpeciei cum opere externo

Pe-

Digitized by Google

delectatio moroſa in aliis materiis nô ſemper eſt ejuſdē malitiæ cū opere externo

Petes, an delectatio moroſa in aliis materiis, prout & alii actus voluntatis inefficaces, ſint ejuſdem ſpeciei cum opere externo.

Reſp. negativè; ſed tantum ſunt ejuſdem ſpeciei cum motivo quod habent: ratio eſt, quia actus voluntatis inefficax, qualis eſt delectatio, non verſatur circa objectum ſuum prout eſt à parte rei; ſed tantum prout ab intellectu illi repræſentatur; hinc delectatio quam habet Petrus de homicidio Pauli vicini ſui, non ex diſplicentia perſonæ, ſed merè quia jam habebit facultatem malè vivendi cum uxore Pauli, habet malum fornicationis, & non injuſtitiæ.

Petes an actus eliciti à membris exterioribus v. g. oculis, manibus, &c. ſint peccata.

Reſp. affirmativè in quantum imperantur à malâ voluntate, ita tamen ut eorum malitia non ſit diſtincta à malitia malæ voluntatis; ſiquidem illi actus externi tantum denominatione extrinſecâ appellantur mali à malitia exiſtente in actu exteriori.

Occaſione hujus materiæ adjungam quæſtionem huic non obſimilem, quam quidem oporteret ſalubrius occultare, quam pandere, niſi auctores illam tractantes, in omnium manibus verſarentur: & eſt hæc, an ad ſedandum pruritum, licitum ſit refricare verenda, cum periculo pollutionis, abſque tamen conſenſu in illam; ad quam quidem plerique auctores in morali Theologia verſati, ut Th. Sanchez, Filliucius, Reginaldus, Joan. Sanchez, Bonacina, & alii. Reſpondent affirmativè: hoc innixi fundamento, eò quod proſequenti jus ſuum, actus per accidens ſecutus, non imputetur: & quidem benè quoad ſpeculationem. Quorum tamen auctorum pace, ne Tyrones confeſſarii quoad praxim incidant in ſchyllas & ſcopulos cum detrimento animarum ſuarum, adjungam cenſuram viri Docti & pii; cui ſe, qui ſunt ſtudioſi ſalutis ſuæ, pro praxi conformabunt. Et eſt hæc; hæc doctrina in praxi periculoſa eſt, & portam aperit pluribus peccatis carnalibus, maximè in Religioſis, Clericis, & Monialibus; quorum, & quarum ardens libido, & concupiſcentiæ flamma nil aliud poſtulant, quam cum hac doctrina frequenter ſe occultare; & ipſius pretextu ad plures delectationes carnales procedere: dicent enim delectati, ſeu vir, ſeu fœmina hanc doctrinam cognoſcentes, quod pollutio non intendatur; cum tamen hæc in ipſâ delectatione ex refricatione cauſata intendatur: quis enim in materia tam periculoſa diſtinguere valebit inter conſenſum vel diſſenſum, eò maximè ſi judicium feratur ab ipſis refricantibus; qui cum ſint malè affecti, & propriis paſſionibus infecti, ferè ſemper pro ipſa carnis mollitie judicabunt: ea- Notabili documentū.

propter

propter; cum tales refricationes plus habeant de illicito, quam licito, ideo magis ſunt à diabolo, omnis malitiæ inventore, quam à Deo, caſtitatis auctore. Felix S. Caſi mirus princeps Poloniç, qui inter regales delicias cum ex abundantia retenti ſeminis morti appropinquaret, medicorum conſilio edoctus ſimilia adhibere media, niſi mori vellet; aptè reſpondit, *Malo mori, quam fœdari*: ſi ergo tantus princeps nec adoleſcentiç ſuæ nec ſucceſſioni regni paterni pepercit ne tali uſu fœdaretur; cur Eccleſiaſtici, regulares, & moniales, talem uſum audebunt admittere, & quare non potius jejuniis, humicubationibus, diſciplinis &c. carnis petulantiam coërcebunt?

QUÆSTIO III.

De Cauſa Peccati.

DUBIUM PRIMUM.

Quidnam ſit Cauſa peccati.

NOta: quæſtionem non intelligi de cauſa formali, vel finali; eò quod peccatum, qua tale, non habeat cauſam formalem, vel finalem; cum nemo intendens ad malum operetur; & forma in moralibus idem ſit quod finis: & eſto peccatum habeat cauſam materialem, quandoquidem conſtet actu, cui privatio rectitudinis debitæ ineſſe inhæret: quæſtio tamen hæc, propriè intelligitur de cauſa efficiente.

Pro quo obſervandum quod peccatum quatenus ſumitur materialiter, ordinarie ſit actus poſitivus, qui proinde habet cauſam per ſe efficientem; quatenus verò formaliter, ſit inordinatio ſeu defectus, & deformitas quæ non habet niſi cauſam per accidens; eo modo, quo privationes ſolent habere cauſam: privationis verò cauſa poteſt duplex aſſignari, una negativa, nempè abſentia cauſæ poſitivæ, quæ per defectum actionis poſitivæ cauſat defectum effectus poſitivi: altera poſitiva; quæ producendo formam contrariam cauſat privationem formæ oppoſitæ: exemplum prioris eſt abſentia ſolis, reſpectu privationis lucis; poſterioris eſt ignis reſpectu privationis frigoris.

Petes; quænam ſit cauſa per ſe ipſius actus materialis; quæ cauſa per accidens ipſius inordinationis, ſeu privationis perfectionis debitæ ineſſe actui.

Reſp. voluntas deficiens à recta ratione intendens bonum aliquod creatum. Quod S. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. pulcherrimè declarat his verbis; „ malæ vo„ luntatis cauſa efficiens ſi quæra„ tur, nihil invenitur: .... cum „ ſe voluntas relicto ſuperiore ad „ inferiora convertit, efficitur ma„ la; non quia malum eſt quò ſe

„ con-

Digitized by Google

„ convertit, ſed quia perverſa eſt „ ipſa converſio: „ eapropter voluntas creata eſt cauſa peccati, quatenus bonum creatum & commutabile intendens, operatur declinando à ſua regula, quæ eſt recta ratio. Vide S. Auguſt. loco citato & capitibus ſequentibus.

Petes; cur voluntas ſit potius cauſa per ſe ipſius actus peccati, quam ipſius deordinationis.

Cur voluntas dicatur potius cauſa per ſe actus peccati, quam deformitatis illius.

Reſp. quia illa per ſe convertitur ad bonum commutabile, cui deformitas eſt conjuncta; & conſequenter volens talem actum, cenſetur interpretativè velle deformitatem illi adhærentem; eapropter ipſa peccati deformitas formaliter à nemine intenditur; ſed eam velle cenſetur, qui vult actum cui illa adhæret.

Petes; cum in peccato ſit deformitas, non tantum privativa; ſed & poſitiva, conſiſtens in tendentia in objectum malum, an eadem utriuſque ſit ratio quoad cauſam per accidens.

Reſp. nos cum S. Thoma in peccato non cognoſcere formalem aliquam & poſitivam tendentiam in objectum malum; ſed tantummodo interpretativam, quæ quoque non habet aliam cauſam niſi cauſam per accidens; ſicuti habet ipſa formalis malitia, ſeu difformitas; eò quod illa tendentia interpretativa non ſit aliud, quam malitia in fieri, ſive motus ad privationem; qui, ut talis, non poteſt magis habere cauſam per ſe, quam ipſa privatio.

An omne peccatum fiat ex errore aut ignorantia.

Petes, an ex eo quod voluntas deficiens à recta regula ſit cauſa inordinationis, ſequatur quod in intellectu neceſſariò debeat præcedere aliquis error, vel ignorantia ut quis peccet.

Reſp. negativè: nam datur peccatum ex certa ſcientia; dicente Scriptura; *ſcienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.*

Dices; quicumque peccat, judicat actum peccati eligendum præ ejus omiſſione; quod judicium eſt erroneum.

Reſp. hoc judicium non eſſe neceſſarium; cum poſſit ſufficere aliud, quo intellectus judicat hunc actum appetitui ſenſitivo magis commodum, vel delectabilem: quod poteſt eſſe verum, etſi non judicet ſecundum rectam rationem magis eligendum; ſiquidem hic valet axioma; *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

Petes: quare ergo dicitur omnis peccans, ignorans.

Quâ ratione omnis peccans ignorãs ſit.

Reſp. ideo, quia ſi verè inſpiceret cuncta mala, quæ peccatum comitantur & ſubſequuntur, illud numquam admitteret. Unde non eſt negandum qui frequentiſſimè aliquis error intellectus peccatum antecedat, vel comitetur.

Petes; unde nam habeat voluntas quod poſſit deficere, & peccare,

Digitized by Google

Unde-nā habeat volūtas quod poſſit peccare.

Reſp. Ex eo, quod ſit potentia libera, quæ non eſt ſua regula, nec ſuæ regulæ neceſſariò connexa in ſuis operationibus; quæ pura negatio, nempè non eſſe ſuam regulam in ſuis operationibus, eſt prima radix omnis peccati; hinc peccatum pro ſua cauſa non habet aliquod malum, aut aliquam ſubſtantiam malam, ſed voluntatem in ſe bonam, cum carentia ejus quod eſt eſſe regulam in ſuis operationibus: eapropter Deo eſſentiale eſt non poſſe peccare, quia nimirum ipſe ſibi eſſentialiter eſt ſua regula in omnibus ſuis operationibus, & ſeipſum negare, & à ſeipſo deficere non poteſt: animabus verò beatis ex ſpeciali Dei gratia hoc accidit, quod peccare non poſſint; eò quod tam clarè Deus ſe eis manifeſtet, ut voluntas earum in ejus amorem, quaſi neceſſariò feratur, & ita regulæ ſuæ quaſi neceſſariò inhæreant.

Deo eſt eſſentiale nó poſſe peccare.

Beatis id accidit ex ſpeciali Dei gratia.

Petes, an ſaltem potentia peccandi quam habet homo, non ſit à Deo.

Quâ ratione potētia peccandi ſit à Deo, & qui ratione non.

Reſp. in hac potentia duo includi, 1. Quod ſit vis quædam operandi cum indifferentia ad oppoſita. 2. Quod non ſit ſua regula, nec ei neceſſariò connexa: prius eſt efficienter à Deo, non poſterius: quia cum hoc tantum ſit pura negatio, non requirit cauſam efficientem, ſed contrahitur ex eo, quod liberum arbitrium ſit ex nihilo, prout docet S. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. 7. & 8. & alibi paſſim: unde quoque nulla creatura poteſt eſſe naturaliter impeccabilis vel indefectibilis, eò quod ſit ex nihilo; neque defectus ejus poſſunt in creatorem referri, quia ipſe defectibilitatem non fecit, quæ ad creaturæ eſſentiam conſequitur; tum etiam quia defectus illi promanant à creatura rationali non motu naturali, ſed ex libero voluntatis actu volentis deficere.

Nulla creatura naturaliter eſt impeccabilis.

DUBIUM II.

An Peccatum ſit cauſa Peccati.

Peccatum eſt cauſa alterius peccati in quadruplici genere cauſæ.

Reſp. Affirmativè, & quidem in quadruplici genere cauſæ 1. quidem in genere cauſæ efficientis, in quantum nimirum unum peccatum eſt cauſa removens prohibens alterius peccati; & ſic primum peccatum fornicationis ab aliqua filia commiſſum, removet gratiam, verecundiam &c. quibus ſublatis, plurima peccata ſubſequuntur: ſic quoque ex peccatis actualibus generatur habitus, qui dein inclinat ad ſimilia peccata ſimiliter perpetranda.

2. In genere cauſæ materialis; in quantum unum peccatum ſuppeditat alteri peccato materiam: prout ebrietas ſubminiſtrat materiam luxuriæ; & avaritia litigio.

3. In genere cauſæ formalis, & finalis; quia finis in moralibus eſt forma;

Digitized by Google

forma; prout contingit quando unum peccatum refertur ad aliud, tamquam ad finem; ut gula ad luxuriam.

Petes An omne peccatum ſit ſimul cauſa alterius peccati.

Quod tamen non eſt verum de omni. Reſp. neg: utpote peccatum aliquod ultimum, poſt quod aliquis perfectè reſurgit ſine ullo relapſu: datur tamen peccatum quod ſimul ſit pœna alterius præcedentis peccati, prout fuerunt peccata contra naturam à Philoſophis commiſſa; de quibus ait Apoſtolus ad Rom. 1. *Qui cum cognovisſent Deum; non ſicut Deum glorificaverunt ...... propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam &c.* Interim experientia teſtatur quod unum peccatum, niſi ſtatim per pænitentiam retractetur, ſuo pondere trahat ad alia ejusdem ſpeciei peccata, ut ait S. Greg. hom. 10. in Ezechielem.

Petes, quomodo generetur peccatum in homine.

Ordo quo peccatum ſolet generari. Reſp. hoc modo 1. bonum delectabile, & appetitui gratum ſe objicit imaginationi; imaginatio illud repræſentat tamquam tale appetitui ſenſitivo; qui eo ſtatim movetur, movetque ille intellectum, ut idem appetendum judicet, & ille voluntati tamquam amplexandum proponat; quæ demum in illud conſentit, ſicque perficitur peccatum.

DUBIUM III.

An amor ſui ſit principium omnis peccati,

Omne peccatū oritur ex amore proprio. RESp. Affir: quia nemo peccat niſi convertendo ſe ad bonum commutabile, quod ſibi vult; ſibi verò velle bonum, non eſt aliud quam ſe amare; ergo omne peccatum procedit ab amore ſui. Hoc ipſum innuit nobis Scriptura S. ad Tim. 3. *hoc ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi &c.*

Dices; poteſt quis peccare volendo alteri bonum.

Reſp. concedendo aſſumptum; ſed quod alteri bene ſit, hoc ſibi ipſi reputat bonum: ſic Judas Mat. 26. peccavit ex inordinato amore pecuniæ: David 2. Reg. 11. ex inordinato amore Bethſabee. eapropter S. Aug lib. 14. de Civ. Dei, ait; amor ſui ædificat civitatem Babylonis uſque ad contemptum Dei, amor Dei ædificat civitatem Jeruſalem uſque ad contemptum ſui.

Dices; plurima peccata procedunt ex odio ſui, ut illorum qui ſe interficiunt deſperantes.

Reſp. hæc quoque fieri ex amore ſui, ſiquidem tales non appetunt mortem, ut malum, ſed ut bonum, nempe quatenus eſt medium conveniens ad effugienda aliqua mala ipſis moleſta.

Digitized by Google

Nō tamē inde contrahi novam ſpeciem malitię.

Petes, an peccatum ratione amoris ſui contrahat novam malitiam.

Reſp. neg. eò quod inordinatio amoris ſui ſit conditio generalis omnium peccatorum, ſicuti etiam eſt inobedientia materialis.

Convenienter aſſignātur tres peccatorum fontes; concupiſcētia carnis, concupiſcētia oculorum & ſuperbia vitæ.

Petes; an cauſæ peccatorum convenienter aſſignentur hæ tres, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

Reſp. Affir. ex 1. Joan. 2. *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ &c.* Per concupiſcentiam carnis, intelligitur affectus inordinatus illorum quibus natura noſtra ſuſtentatur, ſeu quoad individuum, qualia ſunt cibus, & potus; ſive quoad ſpeciem, quales ſunt actus venerei. Per concupiſcentiam oculorum intelligitur affectus inordinatus eorum quæ delectationem afferunt, non quidem per ſenſum tactus, ſed per apprehenſionem imaginationis: qualia ſunt pecunia, ornâtus veſtium, ſupellex &c. Per ſupêrbiam vitæ intelliguntur omnes inordinati affectus boni ardui: qualia ſunt honor, excellentia propria &c.

Quid concupiſcētia carnis.

Quid oculorum.

Quid ſuperbia vitæ.

DUBIUM IV.

An Deus ſit cauſa actus peccaminoſi.

OBſervandum, quod ſupra notavimus in peccato duo includi nempe materiale & formale, ſeu actum & deformitatem ipſius actus.

Actio peccati eſt à Deo tāquam causâ efficiente.

Quod attinet ad ſubſtantiam actus peccaminoſi, illa eſt à Deo tamquam cauſa efficiente: ratio eſt, quia in cauſis ſibi eſſentialiter ſubordinatis, inferior non agit niſi dependenter à ſuperiore; ſed omnis cauſa ſecunda eſt eſſentialiter ſubordinata primæ tam quoad eſſe, quam quoad operari; ergo omnis actus peccaminoſus ſecundum omnes gradus ſuos entitativos pendet à Deo tanquam à cauſa efficiente.

2. Deus eſt cauſa omnis entis; ſed actus peccaminoſus conſideratus quoad eſſe materiale eſt ens; ergo Deus eſt cauſa actus peccaminoſi materialiter ſumpti.

3. Si voluntas humana aliquam actionem poſſet producere cujus auctor non eſſet Deus, ſequeretur quod eſſent duo prima principia, nempe Deus & voluntas humana: quod eſt erroneum in fide.

4. Omne ens per participationem, eſt ab ente per eſſentiam; ſed actus peccaminoſus eſt ens per participationem; ergo debet eſſe ab ente per eſſentiam, quod eſt ſolus Deus.

Dices; ſi actus peccati ſecundum eſſe ſuum materiale ſit à Deo; ergo & ſecundum ſuum formale erit à Deo; & conſequenter Deus erit cauſa peccati ut ſic: probatur aſſumptum; quia quando ſunt duo inſeparabiliter conjuncta, qui attingit unum, attingit aliud; ſed materiale

materiale & formale ſunt inſeparabiliter conjuncta; ergo.

Qui propterea non eſt cauſa peccati.

Reſp. negandò aſſumptum; ſic enim claudicatio & motus localis ſunt duo inſeparabiliter conjuncta in homine claudicante ſe movente, & tamen potentia progreſſiva eſt cauſa motus localis, abſque eo quòd ſit cauſa claudicationis.

Inſuper, hoc argumentum, actio peccaminoſa eſt à Deo, ergo Deus peccat; eſt ſimile huic; actio meritoria eſt à Deo, ergo Deus meretur: cujus utraque conſequentia eſt falſa: & ratio eſt, quia Deus eſt quidem cauſa ſubſtantiæ, ſed non modi: & cum peccatum formaliter ſit quidam defectus, debet illud reduci in cauſam quamdam deficientem; Deus autem, cum ſit omnipotens, nequit deficere.

Dices, Deus in naturalibus eſt cauſa claudicationis pedis, & aliorum defectuum naturalium; etiamſi ipſe non ſit cauſa deficiens, ergo poterit etiam eſſe cauſa defectuum in moralibus.

Reſp. negandò conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia defectus naturales, etiamſi mali ſint ſecundum quid, tamen ſunt ſimpliciter boni, poſſuntque dirigi ad finem ultimum: & hinc non eſt mirum, quod Deus illorum poſſit eſſe cauſa moralis: deformitates verò, & defectus morales ſunt in ſe formaliter mali, qui conſequenter debent referri in cauſam aliquam deficientem; qualis eſt voluntas humana deficiens à ſua regula, non verò in Deum, utpote qui ſit cauſa perfectiſſima & in ſe indeficiens.

Dices; homo non eſt aliter cauſa peccati, niſi quatenus liberè concurrit ad actionem peccaminoſam; ſed eodem modo concurrit Deus; ergo.

Quænam ſit ratio cur potius peccet homo quam Deus concurrendo ad eandē numero actionem.

Reſp. negandò conſequentiam: & ratio eſt quod peccatum ſit formaliter defectus, ut ante diximus, adeoque præſupponit cauſam deficientem; Deus verò non ſit cauſa deficiens, ſed perfectiſſima poſitiva: & eapropter actio peccaminoſa venit referenda in voluntatem humanam, & non in Deum; eo modo, quò claudicatio refertur in curvam tibiam; & non in potentiam progreſſivam.

Petes; an ratio cur potius homo peccet quam Deus concurrendo ad unam & eandem actionem, non poſſit dici illa, quòd influxus quem præbet Deus ad actionem ſit indifferens & indeterminatus, quique per malam hominis voluntatem determinatur ad malum.

Reſp. negativè; ſi enim influxus ille foret indifferens, ita ut eſſet in libertate voluntatis illum determinare ad bonum, & ad malum; ſequeretur quod aliquis poſſet ſemetipſum diſcernere: quod tamen eſt contra Scripturam 1. Corr. 4 *Quis te diſcernit?* accedit quod Deus *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*: ad Epheſ. 1.

quod conſilium non eſt indeterminatum, ſed determinatum ex Dei beneplacito.

Dices; dantur actus peccaminoſi intrinſecè mali, ut odium Dei, blaſphemia, &c. qui, cum conſequenter ex objecto, & ſpecie mali ſint, ab iis deformitas auferri non poteſt; adeoque ſi Deus ſit cauſa ipſorum actuum, erit quoque deformitatis illorum.

Reſp. negandò conſequentiam; quia eſto illi actus formaliter ſpectati ſint peccata in genere moris, tamen ſpectati in genere naturæ non ſunt tales.

DUBIUM V.

An ergo Deus decreto ſuo efficaci prædefiniat omnem actum peccaminoſum quoad materiale peccati.

Deus prædefinit peccatũ quoad ſuũ materiale.

RESP. Affirmat. ex Scriptura Act. 2. *Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis*: ubi actio, alias peccaminoſa, affigendi Christum cruci tribuitur divino conſilio & voluntati. Et rurſum Actorum 4. dicitu. *convenerunt ..... Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*: nam cum Deus nequeat prædefinire peccatum quoad ſuum formale, conſequens eſt, ut ſit ibidem ſermo de materiali: nec huic obeſt ſolutio Suaris aſſerentis, hic non fieri mentionem de Christi crucifixione, prout ſe tenuit ex parte Judæorum, ſed prout ſe tenuit ex parte Christi; ſub qua conſideratione crucifixio illa paſſiva non eſt mala, ſed optima: nam dicit textus; decretum à Deo eſſe quod Judæi fecerunt Idem probatur ad Rom. 1. dum dicitur Deum tradere homines in deſideria cordis, in immunditiam &c. nec hic ad rem facit ſolutio Suaris, dicentis hæc Scripturæ teſtimonia intelligenda eſſe de decreto Dei permiſſivo: nam licet quantum ad formale peccati attinet, ſic debeant intelligi, quantum tamen ad materiale peccati, debent intelligi de decreto definitivo; ne alioqui entitas illa phyſica peccati deſinat referri in Deum tamquam in cauſam primam.

Probatur ex ſcriptura.

Prob. reſponſio ratione; quia decretum Dei ſeſe extendit ad omnia, ad quæ ſe extendit ejus omnipotentia; ſed hæc ſe extendit ad materiale peccati; ergo &c. Antecedens probatur; quia divina potentia nihil operatur niſi applicata per decretum efficax: probatur minor; quia omnipotentia, tamquam univerſaliſſima cauſa phyſica debet ſe extendere ad omne id, quod eſt ordinabile ad divinam bonitatem, tamquam ad finem ultimum; eò quod univerſaliſſima cauſa debeat terminari ad ea, quæ cadunt ſub univerſaliſſimo fine; at phyſicum peccatum, ut tale, ordinatur ad divinam bonitatem tamquam

Probatur ex ratione.

quam ad finem ultimum: nam licet idem actus peccati, ut ſpectat ad lineam moralem, deficiat ab ordinatione in Deum, tamen idem actus conſideratus ſecundum eſſe phyſicum eſt bonus bonitate entis, & perfectione phyſica.

Dices, eſt indiſpenſabilis connexio inter materiale & formale peccati; ergo Deus nequit decreto ſuo efficaci attingere ipſum materiale, niſi quoque indirectè attingat ipſum formale.

Reſp. neg. conſeq. quando enim potentia aliqua terminatur ad aliquod objectum, cui virtute aliud objectum identificatur quod eſt extra latitudinem objecti illius potentiæ, attingit prius, abſque eo quod attingat poſterius; eò quod nulla potentia poſſit ferri extra limites ſui objecti adæquati: ſic v. g. voluntas non terminatur ad ens ſub ratione veri, nec intellectus ad ens ſub ratione boni; quia licet illa duo, bonum & ens identificentur, tamen ens ut verum, eſt extra latitudinem potentiæ appetitivæ; ita quoque licet divina eſſentia & relatio paternitatis virtualiter tantum inter ſe diſtinguantur, nihilominus potentia generativa patris communicat ſuam eſſentiam filio, non tamen relationem patris: & inſuper ſecundum plurimorum Theologorum ſententiam, Deus cum cauſa ſecunda concurrit concurſu ſimultaneo ad ipſum materiale peccati, & non obſtante inſeparabili connexione ipſius materialis peccati cum formali ſe non extendit ad ipſam formalem peccati malitiam; eò quod illa ſit extra adæquatam latitudinem objecti divinæ omnipotentiæ; ergo eadem ratione, ex eo quod formalis malitia ſit connexa cum materiali, non obſtat quo minus divina prædefinitio terminetur ad materiale, ſic ut non terminetur ad formale.

Dices Concil. Trid. ſeſſ. 6. Can. 6. dicit „ ſi quis dixerit non eſſe in „ poteſtate hominis vias ſuas malas „ facere, mala opera, ita ut bona, „ Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, „ adeo ut ſit proprium ejus opus, „ non minus proditio Judæ, quam „ vocatio Pauli; anathema ſit. „

Reſp familiare eſſe hæreticis, ad palliandos ſuos errores, uti verbis ambiguis; & ita Calvinus prædictis verbis utens, dicebat quidem ſecundum verba, Deum non eſſe auctorem peccati, quem tamen ut talem re ipsâ aſſerebat; licet enim diceret, Deum nolle directè malitiam peccati, prout nec homines volunt; tamen indirectè eum cenſebat cauſam peccati formaliter ſumpti: quod voluit damnare concilium loco ſupra citato.

DUBIUM VI.

An Deus ſit cauſa Peccati.

NOta, hic non moveri quæſtionem de peccato materialiter ſumpto; de quo dubio præcedenti

cedenti conſtat quod Deus ſit illius cauſa; ſed de peccato formaliter ſumpto, ſeu ſecundum illam rationem, quâ eſt, & dicitur peccatum: quia ut quis dicatur cauſa, forma actus quam attingit, potiſſimum debet attendi: ut patet in ſimili, dum dico Petrum eſſe cauſam ſtatuæ, veſtis, ſcamni, aliorumque artificialium; nec enim per hoc ſignificare volo quod Petrus ſit cauſa ligni &c. ſed quod ſit cauſa iſtius figuræ artificialis, quod hoc nomen ſtatua, veſtis, ſcamnum, &c. in ſuo formali importat: cum verò hoc nomen, peccatum, formaliter importet malitiam ſeu deformitatem moralem, quæritur hic

Deus non eſt cauſa deformitatis quæ eſt in actu peccaminoſo.

An Deus ſit cauſa iſtius malitiæ ſeu deformitatis, quæ eſt in actu peccaminoſo.

Ad quod Reſp. ſecundum fidem, negativè; quia ſicuti in naturalibus quando duæ cauſæ concurrunt ad unum & eundem effectum, defectus nequit adſcribi cauſæ indeficienti, ſed deficienti: v. g. ut ſupra diximus, claudicatio nequit adſcribi potentiæ progreſſivæ, ſed curvitati pedis; ſimili modo in moralibus, quando duæ cauſæ morales, v. g. Deus & homo concurrunt ad eundem actum, defectus ſeu malitia nequit adſcribi Deo, quia eſt cauſa indeficiens, ſed humanæ voluntati deficienti à ſua regula.

2. Quia Deus per ſuam cauſalitatem efficientem id ſolum poteſt attingere, quod continetur intra objectum ſuæ omnipotentiæ; quale non poteſt eſſe formale peccati; utpote non referribile in Deum, tamquam in finem ultimum.

Petes; unde ergo ultimatè proveniat quod Deus poſſit influere in actum peccaminoſum, abſque eo quod attingat deformitatem ipſius actus.

Ultimata ratio ob quã Deus nõ poteſt peccare.

Reſp. id profluere ex infinita Dei perfectione, quâ fit, quod in actionibus noſtris attingat eas ſolum modalitates & formalitates, quæ poſſunt referri in finem ultimum; & ex duabus formalitatibus ſibi identificatis unam præſcindat ab altera; eo modo quo intellectus, ratione ſuæ perfectionis, formalitates objecto ſuo identificatas præſcindit, v. g. verum à bono: & conſequenter attingit unum, non attingendo alterum.

3. Peccatum oritur ex eo, quod voluntas deficiat à ſua regula; Dei verò voluntas, cum ſit ſibi ipſi ſua regula, nequit à ſe ipſa deficere; adeoque nec peccare.

4. Peccatum conſiſtit in averſione voluntatis ab ultimo fine; cum verò Deus ſit ultimus finis, & univerſa propter ſe ipſum operetur, impoſſibile eſt quod voluntas ejus faciat aliquem averti ab ultimo ſuo fine. Huc pertinent plurima Scripturæ loca hanc veritatem probantia: Præſertim Jacobi 1. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur:*

Digitized by Google

tatur: *Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Et ad Rom. 9. *Numquid iniquitas apud Deum? abſit.* Et Pſalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Ecleſ. 1. *Nemini mandavit impiè agere.* Denique Concil. Trid ſeſſ. 6. can. 6. dicit Anathema illi, qui dixit Deum mala operari ita ut bona, non permiſſive ſolum ſed etiam propriè, & per ſe.

Dices; licet Deus non ſit directa cauſa peccati, ſaltem poterit eſſe indirecta, in quantum applicat & determinat hominum voluntates ad actum qui eſt peccatum; eò quod ex vi illius motionis, prout hic & nunc fit, contingat voluntatem, hunc actum exercendo, infallibiliter peccare.

Non poteſt Deus eſſe cauſa indirecta peccati.

Reſp. negandò aſſumptum; non plus quam potentia progreſſiva, dum movet tibiam curvam, eſt cauſa claudicationis; qui defectus notoriè non illi, ſed curvitati tibiæ, venit adſcribendus; prout quoque dum magiſter applicat manum pueri ad ſcribendum, defectus qui eſt in ſcriptura, non magiſtro manum applicanti, ſed puero deficienti eſt adſcribendus; utpote qui non proveniat ex vi applicationis magiſtri, ſed ex concurſu diſcipuli deficientis: ita pariter Deus, licet moveat voluntatem ad actum peccati, ex vi tamen illius motionis non provenit defectus qui eſt in actu peccaminoſo, ſed à voluntate hominis deficiente à ſuâ regula.

Dices; ſententia quæ dicit Deum cauſam efficientem actus materialis peccati, & non malitiæ, ſimilis eſt ſententiæ Calviniſtarum & Lutheranorum, qui nec aliud dicunt.

Calvinus facit Deū auctorē peccati formaliter ſumpti.

Reſp. negandò aſſumptum; ſiquidem illi ulterius dicunt, Deum non tantum phyſicè, ſed & moraliter movere ad actus formaliter malos, prout videre eſt apud Calvinum in ſuis inſtitutionibus lib. 7. cap. 18. ubi ait, Deum non tantum permittere peccata, ſed & ea propriè præcipere & mandare. Pręteria hæretici illi talem admittunt motionem Dei, quæ tollat liberum arbitrium: unde ſequitur, quod ſi in actu voluntatis ita motæ à Deo reperiatur peccatum, illud in Deum, tamquam moventem non verò in voluntatem humanam eſſe referendum; quippe quæ nequeat actibus ſuis dare malitiam, niſi mediante libertate.

Dices; ſi Deus moraliter & ex parte objecti moveret voluntatem ad actum peccati, v. g. conſulendo vel ſuadendo talem actum, diceretur auctor peccati, ut patet in homine alicui ſuadente peccatum; ergo multò magis erit cauſa peccati, ſi phyſicè, & ex parte potentiæ voluntatem applicet ad actum peccaminoſum, quia motio phyſica eſt multò potentior quam moralis.

Reſp. conceſſo antecedente, negandò conſequent. Ad cujus probatio.

bationem dico, quod licet motio phyſica ſit potentior intenſivè motione morali, non tamen extenſivè; quia ſiſtit ſe intra ordinem phyſicum, nec extendit ſe ad ordinem moralem, ſicuti facit motio moralis: itaque ultima ratio cur homo concurrens ad actum peccati potius peccet quam Deus concurrens ad eundem actum eſt, quod peccatum ſit formaliter privatio ſeu defectus; cujus proinde non eſt quærenda cauſa efficiens, ſed potius deficiens, quæ eſt voluntas humana, non verò Deus; utpote ſibi ipſi eſſentialiter exiſtens ſua regula, à qua nequit deficere, & conſequenter nequit peccare, non potius quam ignis poteſt frigefacere, vel ſol obſcurare: nam ſicut, frigefacere eſt contra naturam ignis; ita peccare eſt contra naturam Dei; peccatum enim eſt malitia; Deus autem in ſe eſt ſumma bonitas: unde quamvis hæretici ipſi faciant Deum auctorem peccati (quæ ſumma blaſphemia eſt) ajunt tamen eum peccare non poſſe.

Solutio objectionū deſumptarum ex Scriptura.

Dices Scriptura S. plurimis locis aſſerit, Deum homines prædeſtinare & ordinare ad malum, ergo Deus eſt auctor & cauſa peccati: Aſſumptum probatur, quia Gen. 45. de Joſeph & fratribus ejus, qui eum iniquè vendiderant Ægyptiis, dicitur; *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* & cap. 50. *Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Reſp. duo in venditione Joſeph debere attendi; iniquam fratrum voluntatem, ex qua proceſſit venditio; & bonum effectum ex illa ſecutum, nempe Joſephi in Ægypto exaltationem: hunc effectum voluit Deus, & præordinavit; venditionem verò iniquam noluit, quam tamen voluit permittere, ut inde magnum aliquod bonum eliceret, & uti malo quod agebant fratres, ad ipſorum bonum: unde bene dicit S. Baſilius, Deum non facere malum, ſed malo bene uti; eo modo quo peritus medicus non facit venenum, ſed eo bene utitur ad ſanitatem ægroti. Eapropter Geneſis ultimo ait Joſeph: *Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum*: hinc, quod ait, *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* non ita venit intelligendum, quaſi fratres abſolutâ neceſſitate Joſephum vendiderint, adeoque non peccaverint; ſed quod Joſephi exaltatio fuerit abſoluta Dei voluntas; qui decreto permiſſivo voluit iniquam Joſephi venditionem.

Dices; Prov. 16. habetur *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum.* ergo &c.

Reſp. ſenſum illius loci eſſe, quod Deus ordinaverit cuncta ad gloriam ſuam; ita ut illum qui ſemetipſum fecit impium, etiam deſtinet ad pœnam; ut qui noluit Deo inſervire illum glorificando, illi inſerviat manifeſtando ſuam juſtitiam.

Dices;

Digitized by Google

Dices; Actorum 2. habetur, *Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemiſtis.* Et Actorum 4. *Convenerunt verò in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populo Iſraël, facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*; ergo Deus eſt cauſa peccati.

Reſp. in Chriſti crucifixione duo debere conſiderari; nempè malam Judæorum voluntatem, ex qua ſecuta eſt crucifixio, & bonum effectum inde ſecutum, nempè redemptionem: hunc abſolutè voluit Deus, impiam verò crucifixionem abſolutè noluit: quamquam decreto permiſſivo illam permittere voluerit, ut inde majus aliquod bonum eliceret.

Solutio objectionū deſumptarum ex Scriptura.

Dices, Scriptura S. ait Deum quandoque præcipere peccata item Deum per ſe vel per malos homines inſtigare alios ad peccata, ſic enim 1. Reg. 2. cap. 16 Dominus præcepit Semeï, ut malediceret David; item Chriſtus Joan. 13. ait Judæ, *Quod facis, fac citius.* Item 3. Reg. 22. *dedit Dominus Spiritum mendacis in ore omnium Prophetarum tuorum*, ſcilicet Achab. præterea Ezechiel. 14. dicitur, *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum.* 4. Inſuper Iſaiæ 13. dicitur Deus concitaſſe Medos contra Babylonios. & Job 1. peccata furum, qui diripuerunt ejus ſubſtantiam, adſcribit Deo; dicens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit ita factum eſt.* His accedunt aliæ Scripturæ, quibus Deus non tantum ſuo præcepto, ſed etiam operâ ſuâ videtur homines impellere ad peccatum. Ita enim Reg. 2. cap. 12. loquitur David, 1. *Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus.* Item Pſalmo 43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Et Pſal. 114. *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, & dolum facerent in ſervos ejus.* Et Pſalm. 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.* Quamvis hæretici, ut Calvinus, & Beza, & ipſorum aſſeclæ, explicantes præfatas ſcripturas ad litteram, non vereantur Deum cum ſumma blaſphemia facere auctorem peccati; adeoque redarguant SS. Patres quod ſcrupuloſius hac in parte fuerint locuti, formidantes docere Deum eſſe auctorem peccati; addat Calvinus nequidem ipſum Auguſtinum ab iſta ſuperſtitione fuiſſe liberum.

Reſp. inquam generatim, & dico, has & ſimiles ſcripturas non poſſe ad litteram explicari prout ſonant; ſed debere intelligi de permiſſione divina, ſeu de decreto Dei permiſſivo; juxta communem regulam Theologorum; quandocumque aliquæ dæmonis vel hominis improbitates Deo attribuuntur, id permiſſivè debere

intelligi : ad quod pertinet illud Apoſt. 2. Cor. 3. *Littera occidit : Spiritus autem vivificat.* Et quamvis non omnis is, qui aliquid permittit, rectè dicatur præcipere, inſtigare, vel imperare ; tamen Deus, ſine cujus permiſſione nihil poteſt contingere, quando ad conſequendum aliquem finem permittit adhiberi iniquum medium, rectè dicitur ad illud inſtigare, illud præcipere, vel imperare ; eo modo, quo venator rectè dicitur canes mittere in leporem, vel falconem in perdices ; quamvis aliud non faciat, quam relaxare funes, quibus canes, vel falco ligabantur. Et ita primus modus intelligendi has ſcripturas venit de permiſſione Dei vindicativa, quâ videlicet permittit hominem labi in pœnam peccatorum præteritorum. Similiter explicari poterit, quomodo Deus præceperit Semëi ut malediceret : David, nempè quod voluntatem Semëi, proprio vitio paratam ad maledicendum David, non impediverit, ſed permiſerit & poteſtatem ei fecerit (utique facti, non juris) ad David maledicendum ; ſimili modo quoque explicari poterunt alia ſcripturæ loca ſupra recenſita.

2. Loca Scripturæ ſupra recenſita poſſunt explicari, quod Deus inſtiget, vel impellat, aut præcipiat malum, occaſionaliter operando, nimirum in rebus exterioribus, vel etiam in ipſo homine malo juſto ſuo judicio : objiciendo imaginationi ejus aliqua ſecundum ſe bona ; ex quorum tamen apprehenſione, ex depravata ſua natura incidat in hoc vel illud peccatum ; ita ut hæc, licet bona, fiant illi occaſio peccandi : & hoc quoque 2. modo explicari poterit, quomodo præceperit Deus Semëi, ut malediceret David.

Quod attinet ad Chriſti verba Joannis 13. *Quod facis, fac citius,* non ſunt jubentis vel conſulentis ſcelus proditionis, ſed permittentis & impedire nolentis.

Ad locum Scripturæ Reg. 3. cap. 22. ubi dicitur ; *dedit Dominus ſpiritum mendacii* &c. prout quoque ad Rom. 9. ubi dicitur ; *tradidit illis Deus in reprobum ſenſum* : Reſpondetur id facere, vel deſerendo ſuâ gratiâ, vel non impediendo : eo modo quo quis non daret manum alicui ſubmergenti, quem non tenetur ſublevare.

Ad locum Iſaiæ 13. quo dicitur, Deus concitaſſe Medos contra Babylonios dicendum, potuiſſe Deum juſto ſuo judicio concitare Medos contra Babylonios tamquam divinæ juſtitiæ executores, in quantum nimirum Babylonii vaſtationem illam peccatis erant promeriti ; qui quidem Medi, hoc titulo invadentes Babylonios non peccarunt ; ſed quia opus bonum malâ intentione fuerunt executi, idcirco graviter deliquerunt ; eo modo quo tortor illum, quem judex juſtè condemnavit ut capite

pite

pite plectatur, ex privato odio plectit.

Ad locum Job, ubi ait, *Dominus abſtulit &c.* venit ille explicandus permiſſivè, modo loquendi Sacræ Scripturæ: ſic enim Matth. 19. dicitur, *Moyſes mandavit vobis dare libellum repudii & dimittere*: cum tamen Marci 10. dicatur *Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.*

Regum vero 2. cap. 12. ubi ait Dominus; *Ego ſuſcitabo ſuper te malum &c.* agit de malo pœnæ, non verò de malo culpæ; loquitur enim de peccatis Davidis puniendis: unde quod addit; *Tollam uxores tuas, & dabo proximo tuo*; hoc permiſſivè venit explicandum: ſignificat enim Deus his verbis, ſeſe Abſaloni hoc permiſſurum, nec inceſtum ejus impediturum in vindictam patris: ſimili quoque modo explicari debent loca ex Pſalmo ſupra recenſita: prout & hæc Scriptura Actorum 14. *qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*: in quantum nimirum non impedivit. 2. denegando ſpecialia gratiæ auxilia. 3. inflectendo ita hominum voluntates, ut licet vitio ſuo malæ ſint; divinâ tamen providentiâ occaſionaliter ferantur potius in hoc, quam in illud malum.

Petes; an ex dictis ſaltem Deus non poſſit indirectè dici cauſa peccati, in quantum nimirum non præbet auxilia ad evitandum peccatum.

Reſp. Negat. nam ut quis indirectè dicatur cauſa peccati, requiritur ut obligetur dare auxilium ad evitanda peccata, ad quod Deus non obligatur; quippe qui ad manifeſtandam ſuam juſtitiam, vel liberi arbitrii defectibilitatem, vel alios fines ſibi notos, juſtiſſimè illa poſſit denegare, utpote merè gratuita.

DUBIUM VII.

An Deus ſit cauſa excæcationis & obdurationis.

Excæcatio eſt pravus voluntatis affectus, quo quis in tantum inhæret malo, ut illuſtrationes divinas repellat, nec veritatem quantumvis evidenter ſibi manifeſtatam velit acceptare. *Quid excæcatio.*

Obduratio eſt pravus voluntatis affectus, quo quis admonitiones divinas, ſeu internas, ſeu externas, & alia omnia adminicula, quæ illum poſſunt à peccato avocare, contemnit, ac ſemper magis & magis illis reſiſtit; ac donec ad eum ſtatum perveniat, ut illas non amplius ſentiat. *Quid obduratio.*

Utraque non tantum eſt peccatum, ſed etiam effectus & pœna peccati. Hinc Sap. 2. de ſimilibus dicitur; *excæcavit illos malitia eorum.* & Jer. 5. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: arguiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reverti.* & Act. 7. ubi S. Stephanus increpans Judæos ait, *durâ cervice & incircum-* *Utraque non tantum eſt peccatũ ſed & pœna peccati.*

ciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis. Quod autem hæc ſint pœna peccati patet, ad Rom. 2. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram.* & Eccl. 3. *Cor durum habebit malè in noviſſimo.*

Petes: an Deus ſit cauſa excæcationis, item obdurationis.

Deus non eſt cauſa excæcationis, nec obdurationis.

Reſp. Neg. quia illa ſunt peccata; Deus autem non poteſt eſſe cauſa peccati.

Dices; Exodi 7. habetur, *Ego obdurabo cor ejus* (ſcilicet Pharaonis) Item ad Rom. 9. *Cujus vult miſeretur: & quem vult indurat.* Item Iſaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Item Joſue 18. *Domini ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum.*

Reſp. ob hæc & ſimilia teſtimonia paſſim hæreticos clamare Deum propriè & verè excæcare & obdurare; ſed perperam: quia Deus non poteſt eſſe cauſa peccati unde hę & ſimiles Scripturæ non ſic ſunt accipiendæ, quaſi Deus poſitivè cauſet excæcationem & obdurationem, cauſando nimirum ipſam adhæſionem, quâ obduratus & excæcatus adhæret malo; ſed figuratè ſunt accipiendæ, & quidem tripliciter.

Quo ſenſu Deus dicatur hominē indurare & excæcare.

1. Permiſſivè, in quantum ſcilicet Deus permittit hominem indurari vel excæcari, non præveniendo eum ſuâ gratiâ, quæ obdurationem & excæcationem cordis impediat. 2. Negativè, in quantum denegat gratiam, quâ cor emolliatur & inflectatur, quod facit ordinariè Deus in pœnam peccatorum præcedentium. Hinc pulchrè ait S. Aug. epiſt. 805. „ obdurat Deus non impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. „ Hinc S. Thom. ait, excæcationem & obdurationem duo importare, ſcilicet motum animi inhærentis malo & ſubſtractionem divinæ gratiæ: quantum ad prius, inquit, Deus non eſt cauſa, quantum ad poſterius, eſt cauſa negativa. 3. Poſitivè etiam, poteſt Deus dici obdurare & excæcare, non quidem directè, ſed occaſionaliter; quatenus nimirum Deus circa hominem multa interius & exterius facit, è quibus ille capit occaſionem ſe magis indurandi. Et hoc 3. modo intelligendus eſt S. Aug. dum lib. 5. c. 3. contra Jul. ait; Deum quoſdam excæcare & obdurare, non ſolum per patientiam & remiſſionem, ſed & per potentiam & actionem; nimirum in quantum multa bona facit circa hominem, quibus ipſe fit deterior; & quidem 1. excitat in hominibus varios affectus fidei, ſpei, fiduciæ, timoris &c. 2. Immittit illis varias imaginationes circa objecta ſanctiſſima, quarum tamen occaſione illi magis obtenebrantur & indurantur: 3 adhibet illis complures monitiones & correctiones, ac ſubinde etiam miracula, quibus cum deberent emolliri & converti, fiunt deteriores, prout accidit Pharaoni in Ægypto. Addi poteſt quod patientia & longanimitas Dei interdum ſit occaſio obdurationis .: hinc

Apoſto-

Apoſtolus ad Rom. 2. ait; *An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*: 4. Occaſionaliter Deus quemquam indurat; quando illi præſtat plurima beneficia, quibus ille magis induratur; aut quando menti ejus objicit varia objecta, v. g. voluptatum, honorum, & laudis, quibus ille abutitur ad ſuam perniciem, accipiendo mala, contemnendo bona; non ſecus ac ægrotus abjiceret medicinam, & acciperet venenum.

Petes; quare Deus ſimilia operetur circa illos, quos novit per hoc magis obdurandos & excæcandos.

Cur Deus aliqua operetur circa hominē quem prævidet indurandum in ſuis peccatis.

Reſp. ob diverſas, juſtiſſimaſque cauſas. 1. In pœnam peccatorum præcedentium. 2. Ad manifeſtandum juſtitiam ſuam. 3. Ad aliis terrorem incutiendum; quo modo Deus in Ægypto multiplicavit flagella & miracula, non propter Pharaonem, cui ſciebat illa nihil profutura; ſed propter alios, qui exinde cœperunt reverti ad Dominum Deum ſuum.

TRACTATUS XV.

De Praxi Confeſſariorum circa peccatores conſuetudinarios & exiſtentes in occaſione proxima peccati mortalis.

DUBIUM PRIMUM.

Quomodo ſe geret confeſſarius in ordine ad abſolutionem erga pœnitentem conſuetudinarium qui in peccata mortalia v. g. perjurium, blaſphemiam, pollutionem frequenter labi ſolet.

Nō poteſt cōfeſſarius abſolvere eū quem credit non eſſe diſpoſitū.

RESpondeo, & dico primò; quando ſacerdos attentâ conſuetudine præteritâ, & propenſione, aliiſque circumſtantiis judicat pœnitentem non ſufficienter diſpoſitum, non poteſt eum abſolvere, quantumcumque pœnitens dicat ſe dolore; quia ſi ſacerdos id non credit, non habet judicium requiſitum ad conferendam abſolutionem.

Petes, undenam confeſſarius dignoſcet hujuſmodi pœnitentem ſufficienter, vel non ſufficienter eſſe diſpoſitum.

Reſp, & dico ſecundò; regulariter

Conſuetudinarii non ſolent ſubito plene converti.

lariter conſuetudinarius peccator non illicò ſolet converti ſufficienter ad juſtificationem, ſed primò ſolent in eo oriri quidam imperfecti motus, ac deinde mediantibus crebris ad Deum ſuſpiriis & orationibus, aliiſque pœnitentiæ exercitiis ad plenam converſionem pervenitur: ubi igitur hæc non præceſſerunt, communiter habendus eſt hujuſmodi pœnitens non ſufficienter converſus.

Non quilibet externus dolor aut propoſitum eſt ſignum veræ converſionis.

Dico tertiò; ut judicium de ſufficientia diſpoſitionis formari poſſit, non eſt ſatis quod pœnitens peccata ſua plangat, ſe reum agnoſcat & fateatur; hoc enim etiam fecerunt, Saul, Antiochus, aliiq; quorum tamen non fuit acceptata pœnitentia: & multi hoc faciunt etiam dum in ipſis peccatis verſantur.

Neque etiam ſufficit quod jam proponant peccata ſua relinquere; multi enim id quaſi in genere proponunt, ſicuti multi ex animo cupiunt doctrinam aſſequi, ſed nimis pigri ſunt ad laborandum & ſtudendum prout oportet: neceſſarium itaque eſt, ut dum jam vitæ emendationem proponunt, ſimul aſſumant congrua remedia exſtirpandæ conſuetudini, & pravæ inclinationi ſuperandæ ſubſervientia; ſibique vim faciant, & laborem aſſumant, cæteraque præſtent, quæ ſpectatâ eorum conditione & diſpoſitione ad præcavendum relapſum ſunt neceſſaria: niſi itaque ex animo ſe ad hæc reſolvant, non abſolutè & ut oportet peccata volunt cavere. Nam ſicuti efficax intentio finis movet ad applicationem mediorum in ordine ad finis conſecutionem, ita efficax propoſitum emendandi ſe in futurum facit adhiberi ea quæ ad hoc exequendum ſunt neceſſaria.

Ad hujuſmodi autem propoſitum, ut dictum eſt; non ita ſtatim pervenitur, ſed multò tardius eò aſſurgunt qui licentioſæ aut delicatulæ vitæ aſſueti, ab omni laborioſo ac rigidiori vivendi modo plurimum abhorrent. Hinc videmus tales poſt centum aut ducentas confeſſiones ne parum quidem emendatos.

Hinc ordinariè in ſimilibus ad explorandum hujuſmodi propoſitum, neceſſaria eſt abſolutionis dilatio; ac per conſequens (ſeclusâ neceſſitate) non debet ſtatim impendi.

Ex his colligitur approbandam non eſſe illam quorumdam praxim qui quibuſvis pœnitentibus, quantumvis conſuetudinariis aut recidivis, modò verbo ſe dolere aſſerant emendationemque ſpondeant, ſacramentalem abſolutionem impertiunt. Certè cautiori hîc modo eſſe procedendum, docet nos vel ipſe vulgaris agendi modus: etenim ſi Joannes Petro v.g. hodie impingat alapam, & pœnitentiâ ductus protinus à Petro petat veniam: dein poſtero die ſimilem alapam impingat, paulò poſt rurſus petens veniam;

Digitized by Google

niam; & dein die ſequenti illam alapam repetat, cum propoſito eam non amplius infligendi: an non Petrus prudenter & cum fundamento præſumet ſe irrideri à Joanne, illumque tantum fictum & ſimulatum emendationis propoſitum adferre? idem profectò & cum majori fundamento præſumet Confeſſarius de ejuſmodi pœnitente conſuetudinario; ſcilicet illum non habere verum & ſincerum, ſed fictum & falſum emendationis propoſitum; quod licet verbis adſtruat, factis tamen negat.

Præterea ſicuti Petrus in contractibus & commerciis non meretur fidem, qui illam amico ſuo Joanni ſanctè promiſſam, quater aut quinies fregit: ita nec merebitur fidem pœnitens ut illi credatur, qui promiſſionem aut propoſitum abſtinendi ab hoc vel illo peccato factam confeſſario totidem vicibus non adimplevit.

DUBIUM II.

Quid faciet Confeſſarius cum ejuſmodi conſuetudinario quem judicat indiſpoſitum ad abſolutionem; vel cujus diſpoſitionem habet ſuſceptam?

Confeſſario benigne agendũ cum pœnitente Conſuetudinario

CAveat Confeſſarius ne ejuſmodi pœnitentem aſperioribus verbis agrediatur, aut torvo vultu aſpiciat; quin potius in ſpiritu lenitatis, & magno charitatis affectu indicet quam ſit illi neceſſaria ad ſalutem animæ dilatio abſolutionis ad octiduum, quindenam, aut longius temporis ſpatium, pro qualitate delicti & circumſtantiarum; idque ut pœnitens interea adhibeat conatum & media ad cavendas peccati recidivas, ſeque ſic dignè diſponat ad abſolutionem condigè recipiendam. In quem finem Confeſſarius illi hoc tempore intermedio præſcribat aliqua ſpiritualia pharmaca pro præcavendo relapſu; qualia poſſunt eſſe ſequentia.

1. Spondebit ſe pro eodem tam in ſacrificio Miſſæ, quam aliis ſuis orationibus Deum precaturum pro obtinendo ſpiritu contritionis.

2. illum commendabit quotidie BB. Virgini, aliisque Sanctis, qui in virtute peccato pœnitentis oppoſitâ precipuè eluxerunt.

3. Injunget illi interea aliquas pænitentias & auſteritates corporales, ſi corporis robur ejuſmodi ferant, aut certè aliquot oratiunculas jaculatorias de die frequenter reiterandas, quibus cor ejus obduratum paulatim emolliatur; v. g. ut legat quotidie mane & veſperi tres decades flexis genibus aut extenſis brachiis, & poſt quamlibet ſalutationem angelicam eliciat diſplicentiam de peccatis, aut toties tundendo pectus, dicat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Et ſi ejusmodi pravus habitus oriatur ex aliqua proxima occaſione, illam ante omnia

 opor-

Perniciosum est consuetudinariis accedere diverſos Confeſſarios

oportebit reſecare: preterea monebitur pœnitens ut condicto tempore revertatur; utaturque ſemper uno & eodem Confeſſario, cui ſecreta cordis ſui intimè aperiat: neque enim ejuſmodi pœnitenti quidquam poteſt eſſe perniciosius, quã diverſos Confeſſarios accedere.

An teneatur Confeſſarius abſolvere pœnitentem quando hic vult

Petes, quid ſi ejuſmodi pœnitens nolit acquieſcere dictis ſui confeſſarii, ſed omnimodè urgeat ſibi impendi abſolutionem.

Reſp. ei hâc in parte nullatenus eſſe acquieſcendum, quin potius fortiter inculcandum ejuſmodi abſolutionem illi non profuturam; quin imo obfuturam, imo forte futuram ſacrilegam, adeoque ceſſuram in majorem pœnitentis damnationem, & confeſſarii ejuſmodi abſolutionem impertientis.

Sed quid ſi replicet, ſe tempore intermedio poſſe mori; & ita ſine abſolutione poſſe damnari.

Conſuetudinario abſolvẽdi in periculo mortis.

Reſp. ſi ſubeſſet morale mortis periculum, tunc ejuſmodi conſuetudinarium, etiam cum ſolo probabili, aut dubio emendationis propoſito poſſe abſolvi: ſiquidem dum urget neceſſitas, nec eſt in poteſtate miniſtri habere materiam certam, dictat prudentia adhibere quamcumque etiam dubiam aut probabilem.

Quod ſi verò ejuſmodi morale periculum non ſubſit; ſed ſolummodò remotum, quod omnibus omninò hominibus commune eſt quibus dicitur Luc. 12. *Et vos eſtote parati; quia quâ horâ non putatis, filius hominus veniet*: & contingat interim ejuſmodi conſuetudinarium improvisò eripi ex hac vita, poſſe illum ſalvari per contritionem; quam ob dilatam abſolutionem majori & fortiori conatu eliciet. ac proinde monendus ut tempore intermedio crebro & intenſo conatu illam ſatagat elicere.

Quid ſi moriatur pœnitens ſuſpẽsâ abſolutione.

DUBIUM III.

Quid ſi ejuſmodi pœnitens à cõfeſſario monitus tempore condicto revertatur, & nihil ſibi à confeſſario injunctum præſtiterit, & necdum emendationis conatum adhibuerit.

Reſp. confeſſarius eâdem quâ ante vultus ſerenitate & benignitate illum excipiet, differetque iterum abſolutionem ad tempus, donec, & quouſque eum viderit emendatum: cum enim hactenus nullum efficax emendationis propoſitum attulerit, conſequens eſt eum nec hâc vice poſſe abſolvi; ſed exſpectandum donec remediis ſibi à confeſſario præſcriptis uſus fuerit, & ea egerit quæ ipſum abſolutionis beneficio dignum prædicent.

Poteſt abſolvi conſuetudinarius in quo apparent ſigna eſ-

Petes, quid ſi ille denuò revertatur, & interea omnes occaſiones, quantum potuit, reſecaverit, & illum conatum ſeſe emendandi adhibuerit, & notabiliter peccatorum ſuorum numerum diminuerit;

rit, an confeſſarius illum poterit abſolvere.

ficacia emendationis.

Reſp. affirmativè; ſi ex his aliiſque ſignis prudenter colligat illum habere efficax emendationis propoſitum: neque enim neceſsè eſt, ut priuſquam ejuſmodi pœnitens abſolvatur, quod totum malum habitum exſtirpaverit; ſed ſufficit quod illum ex animo propter Deum deteſtetur, adhibeatque operam illum cum Dei gratia poſtmodum exſtirpandi.

An & quando tali poſſit Cõfeſſarius abſolutionem differre.

Petes, an equidem confeſſarius non poterit quandoque abſolutionem circa ejuſmodi conſuetudinarium, quem modo judicat ritè diſpoſitum, differre ad octiduum, aut quindenam.

Reſp. affirmativè; ſi nimirum id judicet omnibus attentis expedire ſaluti ipſius pœnitentis, ſcilicet ut fortius poſtea efficiat propoſitum ſe emendandi; nam dilationem abſolutionis ſolent peccatores non parum ſentire, & inde cautiores fieri ad recidivam; quando nimirum attentius incipiunt ruminare miſerabilem animæ ſuæ ſtatum.

Quod ſi tamen prudens confeſſarius in ejuſmodi pœnitente jam ritè diſpoſito (quod nonnumquam contingit) ex dilatione abſolutionis timeat ſecuturum majus malum, ſcilicet quod ille animo cadet, nec amplius revertetur ad confeſſionem; ſed deſperabundus ſeſe in omnia peccata dabit præcipitem; illi protinus impendet beneficium abſolutionis, & præſcribet quæ poterit remedia contra relapſum neceſſaria.

Petes, quomodò confeſſarius ejuſmodi pœnitenti ritè diſpoſito & auditis ejus peccatis, poſſit negare abſolutionem illam differendo: quandoquidem hujuſmodi pœnitens jus habeat ad abſolutionem.

Reſp. id verum eſſe, ſed non ut illicò & ſine mora illi abſolutio impendatur: ſed tunc, quando confeſſarius, qui ſimul ſubit officium medici, judicaverit eum ſaluti animæ ejus magis expedire; idque ut certius conſtet de efficacia propoſiti: & pœnitenti interea præſcribat fortiora remedia contra recidivam, & majorem peccati horrorem incutiat.

DUBIUM IV.

An Confeſſarius poſſit & debeat examinare pœnitentem ſuper conſuetudine qui pro prima vice illum accedit, ſi cum fundamento de ea dubitet.

Poteſt confeſſarius interrogare pœnitentem ſuper cõſuetudine.

RESP. affirmativè: & ratio prioris eſt, quia confeſſarius debet inquirere diſpoſitionem & ſtatum pœnitentis; & per conſequens pœnitens ſincerè illi debet aperire ea, ex quibus dignoſcat an habeat efficax emendationis propoſitum; quod potiſſimum dignoſcitur ex mala conſuetudine emendata, vel non emendata.

Ratio poſterioris eſt, ſcilicet quod confeſſarius ad hoc obligetur, quia debet habere moralem certitudinem, quod non conferet abſolutionem indigno; adeoque debet ſibi comparare notitiam ſtatus pœnitentis, ſine qua illius periculo ſeſe exponit.

Petes, quomodo confeſſarius poterit ejuſmodi pœnitentem pro prima vice ſuper illa conſuetudine interrogare; quandoquidem hoc erit ipſum cogere ad ſua peccata bis confitenda; quod confeſſario non licet.

Reſp. negando antecedens, neque enim illa conſuetudo in hac confeſſione exprimitur quaſi materia hujus confeſſionis; ſed tantummodo ad declarandum ſtatum pœnitentis, ad quem cognoſcendum confeſſarius obligatur, ne alioqui exponat ſe periculo impendendi abſolutionem indigno.

Præterea confeſſarius in foro pœnitentiæ non tantum ſubit officium judicis, ſed & medici: ſicuti ergo ægrotus corporaliter obligatur medico aperire cauſas & circumſtantias ſui morbi, ſi ab eodem velit curari (*quod enim ignorat medicina non curat*) ita ſimiliter ſpiritualiter ægrotus cauſam mali ſui tenetur aperire, ſi ab eodem velit curari.

DUBIUM V.

An Peccator Conſuetudinarius quandoque poſſit pro prima vice abſolvi.

Quandonam poſſit in prima Confeſſione abſolvi conſuetudinarius.

Reſp. affirmativè; idque per accidens: & quidem ſi ille ſit in morali mortis periculo, nullum eſt dubium; quippe quando urget neceſſitas, nec habet miniſter ad manum materiam certam, prudenter facit, ſi operetur optimo modo quo poteſt, etiam cum materia dubia: ſi quidem omne periculum irreverentiæ, quod inde Sacramento timetur, abſtergit neceſſitas.

2. Si hujuſmodi conſuetudinarius notabili tempore ab ejuſmodi peccato abſtinuerit, aut tales conatus ſuâ ſponte adhibuerit ad ejuſmodi pravam conſuetudinem ſuperandam, qualem prudens confeſſarius ab eo exegiſſet, ut ſi v. g. præmiſerit jejunia, aliaſque corporis mortificationes, crebras effuderit orationes, largas pro ſtatu ſuo elargitus ſit eleëmoſynas, & omnes occaſiones extrinſecas peccandi, quas removere debuerat, proprio motu deſerverit.

3. Si ejuſmodi peccator conſuetudinarius nondum ab ullo confeſſario hactenus ſuper miſerabili ſtatu animæ ſuæ fuerit admonitus, modò deſuper inſtructus ab hoc confeſſario, quem pro prima vice accedit, tam ſpecialia & extraordinaria

naria edat doloris ſigna, ut confeſſarius omnibus ritè attentis, poſſit prudenter judicare, ipſum hic & nunc habere efficax & ſerium emendationis propoſitum: quod partim ex circumſtantiis colliget, partim ex eo quod promptum & paratum ſeſe exhibeat ad acceptanda quæcumque remedia quæ ſibi à confeſſario proponentur ad cavendam peccati recidivam, & ſignanter quod uno ſemper & eodem utetur confeſſario tamquam medico ſpirituali, cujus dictis per omnia parebit, & acquieſcet.

Ratio horum eſt, quia cum hujuſmodi pœnitens nullum ponat obicem abſolutioni Sacramentali; quippe habens omnia ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiſita, nihil vetat quo minus poſſit ſacramentaliter abſolvi: proinde confeſſarius in memoriam revocabit illud, Iſaiæ 42. *Calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.*

Probatur hoc ipſum ex inſtructionibus Paſtorum S. Caroli Borromæi parte 2. cap. 17. his verbis: „ & quidem ſi probabiliter ſibi „ confeſſarius perſuadeat poſſe ſe „ fidem primæ vel ſecundæ ſibi à „ pœnitente promiſſioni factæ da„ re, quod ſcilicet occaſionem au„ feret, poterit illum hujus pro„ miſſionis intuitu abſolvere: ſin „ autem fidem ſemel atque iterum „ fregerit; ac tertiò jam idem pro„ fiteatur, abſolutionem differat, „ uſque dum reipsâ videat pœni„ tentem ſeſe omni peccato libe„ raſſe, in quo prius vixerat. Quod ultimum adeò verum eſt, ut quantumvis aſſeveret pœnitens ſeſe modò habere efficax emendationis propoſitum, illi confeſſarius non poſſit credere; ſiquidem tunc nequit formare prudens judicium, quod illum poſſit abſolvere.

Petes, an ergo peccatores conſuetudinarii publici, quales ſunt qui per frequentes ebrietates, publicos concubinatus, blaſphemias, adulteria, aliaque peccata publica proximos ſcandaliſant, ſint etiam pro prima vice abſolvendi per accidens; ſi nimirum tam ſpecialia veræ emendationis ſigna oſtendant, ut confeſſarius omnibus attentis prudenter poſſit judicare & credere illos hic & nunc habere efficax emendationis propoſitum. *Cõſuetudinarii publici nõ poſſunt pro prima vice ſtatim abſolvi.*

Reſp. negativè; ſiquidem graviſſimè ſolent ſcandaliſari fideles, ſi videant ejuſmodi publicos peccatores poſt confeſſionem ſacramentalem ſæpius repetitam, perinde ut ante, peccatis ſuis inſordeſcere; eapropter bene cavendum confeſſariis, ne ejuſmodi notoriis peccatoribus, quantumvis ritè diſpoſitis abſolutionem impendant, antequam ſcandalum reipsâ ſuſtulerint.

Ex ante dictis prudens confeſſarius concludet, an, quomodò, & quando abſolutionem impendere poterit in caſibus ſequentibus.

Primò; Joannes Nauta habens à

Digitized by Google

multo tempore habitum jurandi & pejerandi, præmiſſo debito & diligente examine, accedit pro prima vice confeſſarium, animo, ut ait, inſtituendi confeſſionem generalem ad quam ſe ſeriò præparavit, ut hoc modo liberari poſſit ab iſto inveterato habitu, paratiſſimus ad omnia quæ confeſſarius ſuggeret remedia.

2. Petrus aſſuetus furto & rapinis, animo volvens miſerabilem ſuum ſtatum, facit votum peregrinationis ad Montem acutum, ut ibi alicui confeſſario confiteatur, animo omnia ablata reſtituendi, ſecundum conſilium confeſſarii.

3. Paulus hactenus concubinarius occultus, dimiſſâ concubinâ, non audens præ verecundia accedere confeſſarios ſui oppidi, quibus notus eſt ut vir probus, accedit confeſſarium ignotum, animo veraciter confitendi, & vitam ſuam emendandi.

4. Andreas, qui hactenus inceſtuosè vixit, quamquam occultè, cum conſanguineâ in ſecundo gradu, obtentâ diſpenſatione Pontificia in Pœnitentiaria Romana, meditatur hodie inire matrimonium cum illâ, quod, utpote Sacramentum vivorum, debet ſuſcipere in bono ſtatu: an Parochus illum poterit abſolvere.

5. Jacobus ſuſceptâ prole ex ancilla ſua, cum qua hactenus malè vixit, attamen cum promiſſione matrimonii, cogitur ab officiali illam ducere, qui monitus à Paſtore, præmittere confeſſionem antequam conjungantur, vult confiteri; an poſſit abſolvi.

6. Monialis quædam non auſa præ verecundiâ proprio confeſſario integrè confiteri, fecit anno integro confeſſiones ſacrilegas, quæ demum ex animo ſe veraciter emendandi evocat aliquem confeſſarium extraordinarium, qui non niſi illâ vice poteſt illam accedere: quæritur an poterit abſolvere.

DUBIUM VI.

Quomodò ſe geret confeſſarius circa pœnitentes ſæpius relabentes in peccata venialia.

Quædam hic occurrunt prænotanda.

1. Ad remiſſionem venialium peccatorum non ſufficit quæcumque diſplicentia; quia aliqua quandoque habetur etiam dum actu peccatur, ut patet in illo qui invitus ex metu mentitur: ſed debet eſſe talis diſplicentia quæ non compatitur ſecum voluntatem peccandi, ſeu cum qua non poſſit ſimul ſtare affectus ſive voluntas eadem peccata committendi. *Qualis diſplicentia venialium ſit requiſita ad illorum abſolutionē.*

2. Sine tali diſplicentia, ſeu dolore requiſito ſcienter ſola venialia confiteri, grave peccatum eſt; quia ſcienter irrita redditur forma Sacramenti, quod procul dubio gravis culpa eſt. *Cōfiteri peccata venialia ſine diſplicentia grave eſt peccatum.*

3. Hæc diſplicentia poteſt eſſe ſufficiens

ſufficiens pro aliquibus venialibus licet non pro omnibus, dum v. g. alicui diſplicent peccata commiſſa in una materia, & non in alia: item in eadem materia aliqua ſunt aliis graviora: aut ſpecialis eis conjuncta eſt circumſtantia: quæ abſolutè & ſufficienter quis averſari poteſt, licet non ſic alia etiam ejuſdem materiæ. Denique ipſe numerus alicui diſplicere poteſt; ut jam abſolutè in poſterum nolit tot committere. His poſitis ad dubium poſitum.

Reſpondeo, & dico primò; dum pœnitens adhuc laborat circa mortalia, illis ſuperandis præcipuam curam confeſſarius debet inpendere, & huc potiorem pœnitentis ſolicitudinem dirigere; ne fit ex illis quibus dictum eſt Matth. 23. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Sunt tamen quædam venialia quæ viam ſternere, & præambula eſſe ſolent ad iſta mortalia: hæc juxta D. Chryſoſtomis monitum majori ſtudio quam ipſa ſæpe mortalia vitanda docebit: mortalia enim ex ſui magnitudine ſeſe ipſa indicant fugienda; illa, quia parva ſunt, parvi quoque fiunt; & tamen quam diu iſtis immoratur, fere fruſtra quis laborat ad mortalia cavenda.

Dico 2. ex his qui peccata mortalia ſemper, vel plerumque vitant, multi quibuſdam inordinatis affectibus adhuc detinentur; ex quibus ſæpius in eadem aut ſimilia venialia relabuntur: ſi hæc quaſi minora deſpiciant, & propter hoc iſtis ſuperandis & cavendis ſibi non putent inſtandum, ſed ſufficere quod mortalia devitent, & hæc venialia toties quoties commiſſa ſunt, confiteantur; dum tales permanent, judicandi non ſunt de iiſdem dolere, aut certè non ſufficienter ad eorum excluſionem: & quia non rarò ſub ſpe confeſſionis minus ea ſatagunt cavere, ingerendum eſt eis illud S. Baſilii, qui ſpe pœnitentiæ malè facit, modum habet malefacientiæ, & pœnitentiâ privatus eſt. Confitenti ſola peccata venialia, quãdoque eſt denegãda abſolutio.

Dico 3. dum autem alicui, & hi affectus diſplicent, eoſque cupit & vult ſuperare: ejuſmodi quidem deſiderio illi affectus non ſtatim perfectè tolluntur; attamen jam non ſunt voluntarii ut ante; atque ita jam abſolutè minuta eſt voluntas eis, etiam in illicitis, obſequendi. Hoc ſatis eſt ut ſaltem aliqua ex illis venialibus commiſſis ei diſpliceant ſufficienter ad eorum excluſionem & remiſſionem. Quod maximè verum eſt, ſi defectus quo ad magnitudinem, multitudinem, aut aliam conjunctam circumſtantiam ſint extraordinarii.

Quod de venialibus cum affectu & propenſione commiſſis jam dictum eſt, intelligi etiam debet de iis, quæ ex ignavia & voluntaria negligentia committuntur.

Illi autem veniales affectus, quam

quam diu ab anima plenè non ſunt excluſi, ipſam ad ea quæ ſibi conveniunt, inclinant; ex quo facilè prior diſplicentia, animæque propoſitum incipit flacceſcere; ac per hoc redeunte occaſione (quod hic frequentius eſt, & ad vitandum difficilius) & conſuetis illecebris, affectu excitato, facile anima ad priora quæ diſplicuerant, ſe iterum ſinit pertrahi; quo caſu iterum ad prius propoſitum debet redire, & ſi iterum cadat, iterum reſurgere. Hic eſt proficientium in Eccleſia modus, qui priuſquam quo oportet pervenerint, & ſeſe omnibus mali affectus radicibus plenè purgaverint, has cadendi & reſurgendi vices ſæpe, & diu, multumque frequentant. Hic ergo relapſus in proficiendi conatu perſeverantum non arguit inſufficientiam prioris propoſiti ad aliquorum ſaltem peccatorum venialium excluſionem. Ut itaque horum directionem confeſſarius rite ſuſcipiat.

Qualiter genere ſe debeat Confeſſarius circa illos qui eadem peccata venialia confitentur.

Dico 4. ejuſmodi pœnitentes non ſic aſſiduè ad ſacramentalem abſolutionem admittendi ſunt, ut id eis occaſio ſit, plus curæ & ſollicitudinis externæ confeſſioni, quam veræ pœnitentiæ, vitæ emendationi, proficiendique ſtudio impendendi.

Nec tamen ſemper, aut plerumque ſunt dimittendi; ex iſta enim nimia dilatione alii ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ rarius ſeſe præparantes ad conſcientiæ ſuæ ſtatum dignoſcendum & corrigendum magis fiunt negligentes: alii ſuam infirmitatem agnoſcentes, nec ſeſe, ut vellent, corrigere valentes animo diſpondent, & puſillanimitate, aut nimiâ triſtitiâ, ut non altius nitantur, deprimuntur.

Ea itaque ſervanda eſt moderatio, quæ ſpectatis omnibus, hoc eſt complexione, ætate, ſtatu, ſocietate, &c. eorum profectui eſt opportunior.

Dico 5. confeſſarii quoque eſt congruo eos modo inſtruere quomodo ſeſe tales pœnitentes gerere debeant, quæ remedia adhibere, &c.

Docendi itaque imprimis ſunt ut in his ſe, ſuamque infirmitatem agnoſcant, & Deo tribuant quod majora caveant, cum ſeſe videant in tam parvis, & ad vitandum facilibus, non obſtante toto ſuo conatu, totieſquè renovato propoſito, tam ſæpe ſuccumbere; ac per hoc ad ſuperandos hos etiam minores defectus non tam ſuâ induſtriâ aut vigilantiâ, quam divino auxilio confidant, imitati ſponſam, de qua ſcriptum Cant. 8. *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* deinde, ſi puſillanimes ſint aut nimia ſeſe triſtitiâ affligant; erigendi ſunt, ut abjectâ inutili, quin & nocivâ hâc triſtitiâ, profundâ humilitate Deo lapſus & defectus ſuos confiteantur, memores iſtius: 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, &*

Juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundat nos ab omni iniquitate. Hoc ergo modo adeant cum fiducia ad thronum gratiæ ut miſericordiam pro commiſſis conſequantur, & gratiam, quâ à committendis ſeſe contineant, inveniant in auxilio opportuno.

Hoc ut facilius impetrent ferventi proficiendi ardere debent deſiderio: ſcriptum eſt enim Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Deinde profundâ humilitate ſe Deo ſubdere; ipſe enim ſuperbis reſiſtit, preſertim qui ſe idoneos ad ſeipſos regendos putant, & præfidenti cervice propriæ voluntatis Deum non curant habere rectorem: humilibus autem dat gratiam. Multum etiam valet eleëmoſyna, ſive ſpiritualis, ſive corporalis proximo exhibita: *Beati* enim *miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* Matth. 5. non ſic tamen Deo fidendum eſt ut de hac re ſolis votis agendum putemus, & non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis: „adjutor enim „noſter Deus dicitur, ait D. Aug. „lib. 2. de pecc. mer. cap. 5. nec ad„juvari poteſt, niſi qui etiam ali„quid ſponte conatur;„ quamvis qui aliquid conatur non ſibi, ſed Deo tribuere debeat: qui juxta Apoſt. ad Phil. 2. bonum opus incipit in nobis, & in nobis operatur & velle & perficere: hoc eſt interprete D. Leone, & effectum operis & initium voluntatis. Itaque hortandi etiam ſunt, ut ſuæ purgationi, vitæque emendationi ſollicitè & vigilanter inſiſtant; atque in primis, quod jam dictum eſt, perfectam juſtitiam ardenter ament: cum enim à minoribus illis defectibus minor nos retrahat pudor, conſcientiæ remorſus, aut pœnarum timor; perfectiori quo caveantur opus eſt amore; ut hic præcipuè ſit verum illud Aug. tract. 87. in Joan. „quis ab eo „continet unde turpatur, niſi diligat „unde honeſtatur?„ Deinde affectus, paſſiones, & defectus quibus adhuc ſubjacent diligenter attendant; & quia operoſum nimium eſſe ſolet omnes ſimul abjicere, juxta SS. PP. Baſilii, Chryſoſt. &c. conſilium, unum aliquem eligent, quo potiſſimum impugnantur, illi majori curâ intendant, eidemque ſuperando apta remedia adhibeant: valet hic ſæpe, ut notat D. Bernardus ſerm. de 7. donis Spiritus S. plus induſtria, quam violentia. Neceſſarium itaque eſt, ait, Conſilium vel ab ipſo magni Conſilii Angelo miniſtratum, vel ab homine aliquo ſpirituali, qui cogitationes ſathanæ, & ſpiritualia remedia non ignoret: ſubtrahenda nobis proinde occaſio eſt & opportunitas fugienda peccati.

Hoc tamen non ſic intellige ac ſi reliquis interea foret indulgendum ſed quod hujus correctioni majori ſtudio ſit inſtandum. Alias enim, ut notat D. Greg. 7. Moral. cap. 15.

Digitized by Google

ſæpe nonnulli contra quædam vitia vehementer ſe accingunt; ſed quædam ſubigere negligunt: cumque ſe contra iſta non erigunt, & illa contra ſe præparant, quæ ſubegerunt.

Multò minus ſic iſtius unius extinctioni totâ vehementiâ eſt inſiſtendum, ut ad cetera comprimenda corporale inſtrumentum deficiat: aſellus laſſus quærit diverticula, & nonnulli unius correctione nimium defatigati, amplius ſibi in aliis habenas laxant.

Importunius etiam laborandum non eſt, ut non quælibet paſſio ſentiatur, ſed cum ſurrexerit, ut ſecundum rationis judicium compeſcatur: Sancti etenim viri magnis deſideriis ad ſuperna properant, ait, Divus Gregorius profectum tamen ſuperni itineris non de quiete pacis obtinent, ſed ex triumpho tentationis.

Denique ſi fortaſſis vitium, adverſus quod ſeſe accingunt, non tam citò ut vellent corrigant, non propterea animo deficiant, aut ſeſe fruſtra in proficiendi ſtudio putent laborare: quippe ſic conſervandæ humilitatis gratia, ait D. Bernardus Serm. de 4. mod. oran. Divina ſolet pietas ordinare, ut quantò plus proficit, eò minus ſe reputet profeciſſe; nam & uſque ad extremum exercitii ſpiritualis gradum, ſi quis eò uſque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix ſibi primum gradum videatur adeptus.

Dico 6. quædam ſunt venialia peccata quæ ex ignorantia, inadvertentia, aut ſurreptione, humana infirmitate committuntur: hæc facilè diſplicent iis, qui veraciter Deum intendunt, dum ſeſe ſuper his reflectunt: & per conſequens non tam difficile eſt ſe diſponere ſufficienter ut ſive in Sacramento, ſive extra Sacramentum veniam de illis conſequantur.

Ex ante dictis ſic explicatis licet concludere; rarò pœnitentes juſtos, qui curam ſalutis habent, non ex arida conſuetudine, ſed ex aliqua devotione ad confeſſionem accedentes, ita indiſpoſitos eſſe ad abſolutionem, quin ſaltem à confeſſario poſſint ad illam diſponi; facillimè enim ejuſmodi pium motum concipiunt, qui aliquod ex venialibus commiſſis excludat; ſi tamen fortaſſis confeſſario omninò ſatisfactum non ſit, poterit (uti pluribus moris eſt) generaliter accuſatio fieri de peccatis totius vitæ ante commiſſis, quorum ſaltem aliquod præſens diſpoſitio ſufficienter excludet. Et ſic pro prudentia ſua poterit. juxta ante dicta, quandoque abſolvere, quandoque verò non abſolvere prout pœnitentis ſaluti & perfectioni potius judicaverit expedire.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De occaſione proxima peccati.

DUBIUM PRIMUM.

Quomodo ſe geret Confeſſarius cum pœnitente exiſtente in occaſione peccandi.

ANtequam reſpondeamus prænotandum hic non agi de occaſione peccati venialis; eò quod non ſit neceſſe illam confiteri, prout nec ipſum peccatum veniale: agitur itaque ſolummodò de occaſione peccati mortalis.

Quid intelligatur per occaſionē peccati. Sub occaſionem peccati mortalis omne illud cadit, quod mortaliter peccandi cauſam adminiſtrat: quod ſi valde remotè & raro, vocatur occaſio remota; ſi verò per ſe in peccatum inducat, aut per accidens quidem, ſed ſic ut Confeſſarius meritò metuere poſſit quod

Quid occaſio proxima. pœnitens non abſtinebit à peccatis, ſi in iiſdem occaſionibus perſeveret, vocatur occaſio proxima.

Occaſio proxima peccati alia eſt talis per ſe, alia per accidens. Hæc, ut ex dictis patet, duplex eſt, ſcilicet per ſe, & per accidens.

Occaſio proxima per ſe eſt, quæ naturâ ſuâ, attentâ communi hominum infirmitate, nata eſt hominem ad peccatum perducere, ut v. g. alere concubinam, perſiſtere in aſpectu, aſſidua collocutione cum perſona, cum qua peccare quis ſolet.

Occaſio proxima per accidens eſt, quæ qnidem naturâ ſuâ non inducit ad peccatum; ſed tamen ex ſpeciali infirmitare hujus hominis ſic illum inducit, ut omninò præſumendum ſit, quod à peccato non abſtinebit, quam diu in illa occaſione verſatur.

Ex quo patet quod pleræque artes & officia, quantumvis de ſe licita; poſſint uni perſonæ eſſe occaſio proxima peccati, alteri verò ſolum remota, aut etiam nulla: & tales ſunt pleræque artes mechanicæ, item pleraque officia Confeſſarii, Advocati, Procuratoris, Mercatoris, Cauponis, militis: quæ quantumvis per ſe poſſint licitè exerceri ſine peccato; per accidens tamen, hoc eſt reſpectu hujus aut illius perſonæ, quæ ex fragilitate ſua illis ſæpe abutitur ad peccatum, licitè exerceri non poſſunt; utpote illis occaſio proxima reſpectiva. Et quidem quod ejuſmodi officia de ſe non ſint illicita patet ex officio militari, de quo potiſſimum poſſet eſſe dubium: quia S. Joan. Baptiſta Luc. 3. non dixit militibus, ut militiam dimitterent ſi vellent ſalvi fieri; ſed tantum præcepit, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

Occaſio proxima aliter ſubdividitur in voluntariam, & in involuntariam: hæc eſt quam amovere

Digitized by Google

non eſt in noſtra poteſtate: illa eſt, quam amovere eſt in noſtra poteſtate.

Quid occaſio remota.

Occaſio remota eſt, quæ quidem eſt cauſa quod homo quandoque labatur in peccatum, ſed raro: & talis non ſolum eſt quodlibet officium, aut artes mechanicæ ex ſe licitæ, ſed etiam omnis creatura: prout hoc ipſum atteſtatur Spiritus S. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*: quas quidem occaſiones remotas ſi homo ſub peccato mortali teneretur vitare, jam nemo poſſet abſolvi, cum quilibet in illis exiſtat; quales ſunt valetudo, morbi, divitiæ, paupertas, parentes, proles, officia & artes: quas omnes ſi eſſet neceſſe vitare oporteret exire de hoc mundo, cum omnis creatura ſit peccati illecebra. His præmiſſis

Exiſtēs in occaſione proxima peccati nō eſt abſolvendus niſi illam deſerat.

Dico 1. nullus pœnitens exiſtens in occaſione proxima & voluntaria peccandi, per ſe loquendo poteſt abſolvi, antequam illam actu deſerat, ſive illa ſit abſoluta, ſive reſpectiva: ratio eſt, quia quamdiu in illa exiſtit, non cenſetur habere efficax propoſitum vitandi omnia peccata; ſiquidem eo ipſo quo vult occaſionem proximam, vult peccatum; prout is qui vult cauſam, indirectè vult effectum: unde Eccli. 3. dicitur, *qui amat periculum, in illo peribit.*

Et quia aliqui vel imperiti, vel negligentes Confeſſarii negligunt has occaſiones proximas indagare, contingit frequenter pœnitentes non tantum in peccatis ſuis continuare, ſed & ipſa Eccleſiæ Sacramenta, præſertim Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſacrilegè frequentare, & poſt hanc vitam pœnis inferni æternaliter ardere.

Ex dictis infer; non eſſe abſolvendum illum que domi ſuæ alit concubinam, vel ancillam cum qua, quaſi uxoris loco, ſolet peccare, antequam illam de facto ejiciat; prout docet S. Carolus Borrom. in Inſtruct. Paſt. Parte 2. cap. 16.

Prout neque ille abſolvendus eſt qui filiam detinet in aliena domo ad quam omni tempore illi patet acceſſus: ſiquidem & ille cenſendus eſt concubinarius, quippe cum illam loco uxoris habeat.

DUBIUM II.

An confeſſarius poſſit abſovere adoleſcentem ſæpius in mollitiem, ſeu pollutionem incidentem.

Ratio dubitandi eſt, quia hęc illi ſuboritur ex fragilitate proprii corporis, tamquam occaſione proximâ, quæ tamen illi non eſt voluntaria; quippe cum proprium corpus à ſe amovere non poſſit.

Reſp. ejuſmodi adoleſcentem non poſſe abſolvi, niſi conſuetudinē efficaciter deteſtetur & ea adhibeat remedia quę confeſſarius contra

tra

Digitized by Google

tra relapſum judicat neceſſaria; eò quod alias depravata illa conſuetudo peccandi illi maneat voluntaria; adeoque ſicuti peccator conſuetudinarius non debet abſolvi defectu efficacis propoſiti ſeſe emendandi in futurum, ita nec ille: qui tamen cum auſteritate non venit dimittendus, ſed cum ea benignitate & verborum ſuavitate, ut illa dimiſſio libenti animo à pœnitente ſuſcipiatur; eò quod advertat illam fieri pro ſalute animæ ſuæ; ac proinde prudens confeſſarius ſtudebit illi exhibere aliqua ſpiritualia remedia, qualia ſupra recenſuimus, aut prout docebit Spiritus Sancti unctio pro cavenda impoſterum peccati recidiva: & ſignanter illum monebit ſe numquam curatum iri, niſi uno & eodem ſemper utatur confeſſario, pio, & docto, cui ſecretum animæ ſuæ confidenter aperiat.

Petes, quomodo ſe geret confeſſarius cùm fœmina aſſueta rixis & peſſimis imprecationibus in maritum & proles. Ratio dubitandi eſt, quia occaſio proxima harum imprecationem & rixarum eſt cohabitatio cum marito & prolibus, quæ ipſi non eſt voluntaria; quippe quam ſine injuria mariti & prolium nequit deſerere.

Reſp. ejuſmodi ſpiritualiter ægrotam eo modo eſſe curandam ſicuti ſupra nominatum adoleſcentem; nam etſi occaſio proxima illi non ſit voluntaria, attamen mala conſuetudo illi eſt voluntaria, quam tenetur ſufficienter retractare antequam abſolvatur: proinde prudenter judicabit confeſſarius abſolutionem ejus ad tempus differendam; quod eâ benignitate faciet, quâ ſupra.

Petes, an maritus poſſit abſolvi cohabitans uxori, inter quam & ipſum eſt impedimentum juris naturæ indiſpenſabile; & adeſt proximum periculum continuò peccandi.

Reſp. negativè, eò quod hujuſmodi occaſio proxima illi ſit voluntaria, quippe quam tenetur auferre, cum ejuſmodi perſonæ nequeat cohabitare ſine injuria creatoris.

Dices, Cap. *Conſultatione* de frigidis & maleficiatis, concedit Lucius III. Pontifex ut maritus & uxor impotentes ad copulam poſſint ſimul habitare tamquam frater & ſoror; ergo & eodem modo poterunt ſimul habitare in caſu allegato ejuſmodi maritus & uxor.

Reſp. negandò conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quod jus canonicum, utpote ſpectans forum externum, innitatur præſumptionibus: cum vero delictum non præſumatur, ſed debeat probari; Pontifex in caſu poſito nullum præſumpſit delictum: aliud dicendum in foro interno, in quo credendum eſt pœnitenti tamquam reo aſſerenti ſe eſſe in proxima occaſione peccandi.

DUBIUM III.

Quomodo ſe geret confeſſarius erga famulum commorantem in eadem domo cum ancilla, cum qua ſolet ſæpe peccare, item erga filium familias, qui ſæpe ſolet peccare cum conſanguinea ſua ſecum in domo paterna cohabitante præſertim ſi dicant ſe ſine graviſſimo damno temporali ſuam reſpectivè domum non poſſe deſerere.

RESp. ejuſmodi pœnitentes non eſſe ſtatim abſolvendos, ſed abſolutionem ad tempus eſſe differendam, prout prudentia dictabit, ut interea à confeſſario adhibeantur remedia pro cavenda peccati recidiva, qualia poſſunt eſſe hæc ſequentia.

1. Eliciat efficax propoſitum numquam ſimul converſandi in tenebris, aut alio loco ſolitario, qui hactenus fuit occaſio peccati, prout neque ſe invicem fixis oculis aſpiciendi, aut manus premendi.

2. Ordinetur illis indies oratiuncula aliqua jaculatoria, quâ quotidie ſuum propoſitum non amplius peccandi renovent.

3. Toties quoties reincident jejunabunt in pane & aqua, & largam dabunt eleëmoſynam ſecundum exigentiam ſui ſtatus.

4. Monebunt ſeriò ſe invicem ſuper periculoſo ſuo ſtatu in quo degunt; & quam juſtè illis denegetur abſolutio, quamdiu in illo perſeverant.

5. Tempore præfixo revertentur ad confeſſarium accepturi nova remedia ad cavenda ùlteriora peccata lapſuum.

Et quidem ſi hujuſcemodi remedia pœnitentem juverint; ita ut ſeſe notabili tempore à peccatis continuerit, habeatque modò ſincerum de præteritis dolorem, ortum ex amore Dei, & efficax propoſitum inpoſterum vitandi futura, prout & applicandi ſibi remedia à confeſſario præſcripta, aut adhuc præſcribenda: poterit ejuſmodi tunc abſolvi; eò quod occaſio proxima tunc ſit ſublata, & mutata in remotam; neque enim ſola cohabitatio, ſecluſis aliis circumſtantiis, facit occaſionem proximam. Quod ſi verò ejuſmodi pœnitens poſt aliquod tempus denuò ad confeſſionem reverſus, fidem confeſſario in præcedenti confeſſione datam, ſemel aut bis fregerit, tamquam canis reverſus ad vomitum, neceſſariò erit ei differenda abſolutio, eſto illam cum lachrymis petat, donec & quouſque proxima illa occaſio fuerit ſublata, aut denuò ſit mutata in remotam. Neque refert quod illa tolli nequeat ſine gravi damno in bonis temporalibus, aut fama; quia ordo charitatis poſtulat ut ſalutem propriam præferamus famæ, aut cuicumque bono temporali: unde inquit

inquit Thomas Sanchez in ſumma lib. 4. „ Si filius familias exiſtens in „ ſæculo ſit in occaſione proxima „ peccati, quam aliter non poteſt „ vitare niſi intrando Religionem, „ tenetur illam intrare, eſto pater „ graviſſimè egeat. „

Profectò ſi quis cogeretur manere domi ob valde notabile & exceſſivum aliquod commodum temporale, & ſuperveniret incendium domus, & proximum periculum mortis, an non omnimodè conſuleret ſaluti ſuæ corporali per derelictionem ejuſmodi domus, eſto cum maximo detrimento commodi iſtius temporalis: cur non ſimiliter conſulet ſaluti animæ ſuæ etiam cum detrimento famæ aut cujuſcumque boni temporalis, dum illa exponitur proximo periculo ignis infernalis?

Eapropter hujuſmodi pœnitentibus ſeriò inculcare oportet dictum illud Salvatoris Matth. 5. *Quod ſi oculus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te.* quorum verborum ſenſus eſt, ſi res aliqua aut officium ſit tibi tam neceſſarium, quam oculus tuus, aut manus tua, & foret tibi cauſa tuæ damnationis; protinus derelinque illud; expedit enim tibi ſine ejuſmodi re aut officio ire ad cælum, quam cum hujuſmodi ire ad infernum.

DUBIUM IV.

Quomodo ſe geret confeſſarius erga juvenes ducentes Choreas cum puellis ſecundum honeſtam patriæ conſuetudinem, qui habentes experientiam ſuæ fragilitatis, ordinariè peccant, dum in hujuſmodi occaſionibus verſantur.

Reſp. illos minimè eſſe abſolvendos, niſi ſerium & efficax propoſitum ejuſmodi occaſiones impoſterum vitandi attulerint, illudque confeſſario clarè innotuerit: ratio eſt, quia licet ejuſmodi choreæ non ſint de ſe illicitæ ut propterea poſſint prohiberi; tamen is qui habet experientiam ſuæ fragilitatis, quod nimirum non abſtineat à peccato, dum pergit ejuſmodi choreas frequentare; tenetur à tali frequentatione ſub mortali deſiſtere.

Idem dicendum de nobilibus frequentantibus tripudia & conſortia domicellarum, vulgo *Aſſemblée*, ſi deprehenderint ſe ex illarum occaſione à peccatis mortalibus non abſtinere.

Eodem tenore procedet prudens confeſſarius cum adoleſcentibus aut filiabus ruſticanis, diebus dominicis & feſtivis ſimul frequentantibus tabernas, ſi nimirum hujuſmodi occaſione ſoliti ſint peccare.

Petes,

Digitized by Google

Petes, quid agendum cum pœnitentibus qui exercent aliquod officium aut opificium, v.g. Mercatoris, Advocati, Procuratoris, Cauponis, aut aliud quodcumque ſecundum ſe licitum, ſi occaſione illius ordinariè, ſpectatâ fragilitate ſuæ naturæ, peccent mortaliter.

Reſp. differendam eſſe illis abſolutionem, & præſcribenda interea aliqua ſalutaria remedia ad probandum num occaſio proxima poſſit mutari in remotam per notabilem paulatim diminutionem peccatorum præteritorum: quibus aliquoties adhibitis, ſi remaneat illa occaſio reſpectivè proxima, non ſunt abſolvendi, niſi officium aut opificium reipsâ dimiſerint: adeoque illis inſinuandum illud Chriſti Matth. 5. ſupra allegatum.

Objicitur 1. Chriſtus Matth. 18. rogatus à Petro an ſepties deberet dimittere fratri delinquenti, reſpondit; *Non dico tibi uſque ſepties: ſed uſque ſeptuageſies ſepties*, hoc eſt toties quoties opus erit; ponendo nimirum numerum certum pro incerto; ergo pœnitentes, ſive conſuetudinarii, ſive exiſtentes in proxima occaſione peccati, poterunt, toties quoties libuerit, abſolvi.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia alia eſt ratio remiſſionis injuriæ factæ privato à privato; alia verò remiſſionis peccati mortalis factæ homini à Deo: prima ſiquidem nullam in privato illo homine cui injuria remittitur prærequirit veram converſionem ad Deum, prout prærequirit ſecunda, quippe cum nullum peccatum mortale à Deo, ſive extra, ſive intra Sacramentum pœnitentiæ remittatur aliter quam per contritionem, quæ ut deſcribit Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. „ eſt animi dolor ac deteſtatio de „ peccato commiſſo, cum propoſi„ to non peccandi de cætero: „ quale per ſe non cenſeretur habere qui ſeptuageſies ſepties peccaret; ut patet ex antedictis.

Dices, de pœnitentia diſt. 3. cap. *ſepties*, dicitur; non ſolum ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties delinquenti, ſi convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur; ergo exiſtens in occaſione proxima toties quoties poterit abſolvi.

Reſp. negando conſequent. quia potius ex hoc dicto S. Hieronymi, quod ex epiſtola ad Ruſticum eſt deſumptum, contrarium erat inferendum: ſcilicet ejuſmodi conſuetudinariis peccatoribus per ſe peccata ſua non condonari, quia rarò agunt pœnitentiam; attamen per accidens poſſe contingere quod delinquenti ſeptuagies ſepties peccata condonentur, ſi nimirum convertantur ad ſinceram pœnitentiam.

Dices; moderni Auctores docent, & inter illos Bonacina, pœnitentem exiſtentem in proxima occaſione peccandi poſſe abſolvi, eſto illam non deſerat, concurrentibus

currentibus hiſce quatuor conditionibus.

1. Dolor ſincerus de peccatis præteritis.

2. Firmum propoſitum non peccandi cætero.

3. Credulitas, quâ credit ſe cum divino auxilio non peccatorum quando erit in tali occaſione.

4. Rationabilis cauſa ſeſe exponendi ejuſmodi proximæ occaſioni;

Ergo omnes ante enumerati & recenſiti pœnitentes, exiſtentes in occaſione proxima poterunt abſolvi.

Reſp. hanc doctrinam eſſe valde perniciosſam in praxi; eò quod præbeat anſam quibuſvis inveteratis peccatoribus perſeverandi in occaſionibus proximis uſque in finem vitæ: quam facile enim v. g. perverſus aliquis Sacerdos habens officium aliquod aut beneficium parochiale occaſione cujus ordinariè peccat, lactabit ſeſe efficaci propoſito ſe emendandi, quod tamen verè non habet, ſed ſolum inane, fictum, & ſimulatum; quod patet ex frequenti ejus relapſu: quam facilè formabit ſibi credulitatem in ejuſmodi occaſione non amplius peccandi: quæ quam inani nitatur fundamento, patet ex continua ejus recidiva: denique quam facile allegabit ſeſe habere rationabilem cauſam ſaltem apparentem ejuſmodi officium aut beneficium retinendi; eò quod v. g. fine graviſſimo ſuo damno temporali illud nequeat deſerere, quippe non aliter potens vivere.

Hæc opto ut bene notent confeſſarii, qui huic fallaci doctrinæ innixi, ejuſmodi inveteratis peccatoribus tam facilè manus imponunt, & ſibimetipſis ſimul ſternunt viam ad infernum: quin potius, ſi ſaluti propriæ & pœnitentis conſultum velint, illi apertè indicent miſerabilem animæ ſuæ ſtatum, nec eſſe capacem abſolutionis, donec & quouſque (inſiſtendo doctrinæ Salvatoris Matth. 5.) quodcumque tale officium aut beneficium, eſto ſibi tam neceſſarium quam manus aut pedes, quando eſt illi obex ad ſalutem, viriliter deſerat.

Ex hactenus dictis concludimus; improbandas eſſe multiplices praxes aliquorum confeſſariorum; & quidem eorum qui omnes quantumvis graves peccatores, ſive conſuetudinarios, ſive exiſtentes in occaſione proxima peccandi ſine ullo diſcrimine, abſque ulla dilatione abſolvunt: quæ profectò praxis eſt pœnitentibus ſummè perniciosa, & Sacramento Pœnitentiæ maximè injurioſa.

2. Illorum, qui quidem ex juſta cauſa differunt abſolutionem; ſed imprudenter & nimis diu, v.g. ad menſem, aut duos menſes, antequam pœnitentes ſinant reverti; quos ex nimia dilatione contingit poſtmodùm non amplius reverti

& cæno peccatorum ſuorum inhærere; cum dictet prudentia ægrotum gravi morbo laborantem, frequenter à Medico debere viſitari.

3. Eorum qui audito uno alterove peccato graviori, pœnitentem acriter & cum auſteritate objurgant, & à ſe dimittunt.

Eapropter pius ac prudens confeſſarius, qui pro Chriſto legatione fungitur in foro pœnitentiæ, ſi contingat eum accedere ejuſmodi inveteratum peccatorem, numquam illum cum acrimonia aut auſteritate excipiat; quin potius maximo compaſſionis affectu: & ſi auditâ ejus confeſſione judicet eum non eſſe ſtatim abſolvendum, ſed ad tempus dimittendum; id eâ benignitate faciat, ut illa dimiſſio etiam animo benevolo à pœnitente ſuſcipiatur.

Ut verò innoteſcat doctrinam hiſce duabus quæſtionibus traditam eſſe planè conformem doctrinæ S. Caroli Borromæi ſubnectemus ex operibus ejus ſignanter ex inſtructionibus Paſtorum tria capita huic doctrinæ accommoda, ut quilibet confeſſarius ea ad manum habeat, quorum tenor eſt hic, & habetur.

Part. 2. cap. 15.

„ Jam verò non ſolum abſolvere
" eos non poſſunt, qui peccato mor-
" tali valedicere conſtanter non de-
" cernunt; ſed nec illos etiam, qui
" quamvis aſſerant peccatum ſe
" velle deſerere, tamen unà dicunt
" videri ſibi non ſe commercium
" illius eſſe relicturos, niſi ea ve-
" lint remedia apponere, ſine qui-
" bus confeſſarius judicat ad vomi-
" tum redituros.

„ Eſt prætereà conſultum abſo-
" lutionem differre, donec evidens
" appareat emendatio in iis, qui
" tametſi dicant ac polliceantur
" quod ſe eximent peccato, tamen
" confeſſario probabilem faciunt
" metum, ne contrarium contin-
" gat. Ex hoc genere eſſe ſolent
" plerique adoleſcentes, qui in otio
" vitam agunt, qui luxui dediti, cra-
" pulam, & amores inhoneſtos ſe-
" quuntur, qui libidinibus paſcun-
" tur, verba obſcæna proferunt,
" murmurant, in odiis ac detractio-
" nibus verſantur quotidie, & con-
" feſſionem differunt in ultimos
" quadrageſimæ dies. Idem fa-
" ciendum eſt cum iis (ſcilicet ut
" differatur abſolutio) qui cum
" multos annos in peccatis ſuis per-
" durant, nullâ interim adhibitâ
" operâ in emendatione vitæ, in
" eadem peccata iterum atque ite-
" rum labuntur.

„ Deinde nec eos abſolvat, qui
" cum peccatis mortalibus ſimul
" etiam eorum occaſiones vitare
" plane non proponunt.

Inſtruct. Paſt. part. 2. cap. 16.

„ Porrò cum è re confeſſarii vel
" maximè ſit, ut quæ ſint eæ oc-
" caſiones perſpicuè ſciat; paulò
" de illis loquemur diſtinctius hoc
" loco.

„ Sub

Digitized by Google

„Sub occaſionem peccati mor-
" talis omne illud cadit, quod pec-
" candi mortaliter cauſam admini-
" ſtrat, eò quod hujuſmodi eſt,
" quod vel per ſe in peccatum in-
" ducat, vel ejus' occaſione confi-
" tens uſque adeo ad peccandum
" alicitur, ut certè confeſſarius
" metuere poſſit quod ex perverſo
" quem diu induit habitu, in po-
" ſterum non magis abſtinebit
" quam prius à peccato, ſi in iiſdem
" occaſionibus verſetur.

„Prioris ordinis occaſiones, quæ
" ſcilicet ſuâptè naturâ trahunt in
" conſenſum peccati mortalis, ſunt
" iſtiuſmodi: artem profiteri ta-
" bellis chartaceis, vel aleis luden-
" di, domum tenere in hunc finem
" aliis paratam; aliquam, cum qua
" fit peccatum, vel apud ſe, vel
" apud alium ſuo rogatu fovère,
" vel quocumque modo in eiſdem
" ædibus habitare; perſiſtere in
" aſſidua collocutione, aſpectu,
" quotidiano congreſſu, & ſimi-
" libus turpium amorum irrita-
" mentis.

„Itaque ſi pœnitentem iis aut
" ſimilibus impedimentis irreti-
" tum eſſe perſpexerit, ipſaque
" occaſio talis ſit, quæ tum etiam
" reipsâ exiſtat; veluti quod con-
" cubinam alit, vel quid hujuſ-
" modi: confeſſarius eum abſolvere
" non debet, niſi prius illam ipſam
" occaſionem prorſus abſcindat.

„In aliis verò, ut aleâ ludere
" communiter, in venereis aſpe-
" ctibus diu eſſe, converſari peri-
" culosè cum fæminis, perdurare
" in tactibus impudicis, ſi eis nun-
" tium remittere non polliceatur;
" vel ſi ſpondeat, alias tamen cum
" de eodem fidem fecerit, vitam
" non emendaverit, abſolutionem
" differat uſque eò dum emenda-
" tionis quædam argumenta vi-
" debit.

„At verò cum uſuvenire poſ-
" ſit, ut ex omnibus quæ ſolers
" ac circumſpectus Confeſſarius
" excogitaverit, nullum remedi-
" um tamen potuerit habere cur
" pœnitens abſque periculo &
" ſcandalo, magno debeat occaſio-
" nem præſcindere, utatur Con-
" feſſarius his viis.

„Primò abſolutionis benefi-
" cium eouſque extrahat, donec
" emendationis indicia videat, ma-
" ximè ſi abſolutio citra aliquod
" illius periculum vel infamiam
" procraſtinari poſſit, eaque do-
" loris ſigna perſpiciat, eam animi
" diſpoſitionem, promptitudi-
" nemque ſuſcipiendi omnia, quæ
" pro ejus emendatione neceſſaria
" judicabit: quo tempore remedia
" hujuſmodi pœnitenti proponet,
" quæ magis oportuna, magiſque
" neceſſaria apparebunt: v.g. præ-
" ſcribet ei ne ſolus unquam cum
" ſola verſetur: ut orationes au-
" geat: corporis macerationem
" ſubeat aliquam: quodque præ-
" cipuum eſt, ut frequenter con-
" fiteatur, aliaque ſimilia, quæ ſi

„ pœnitens recipiat in ſe, poterit „ abſolvi.

„ Contra verò ſi ab illa diligen„tia, quam vel ille, vel alius con„feſſarius jam diu adhibuit, non „ ſe emendaverit, non abſolvatur „ donec impedimentum ſuſtulerit, „ vel niſi quid aliud à nobis acce„perit quod convenire videatur, „ ad quos in tali negotio recurret, „ ut factum nobiſcum expendat; „ ita tamen ut nulla fiat mentio „ peccantis.

Inſtruct. Paſt. part. 1. *cap.* 17.

„ Alterius generis occaſiones, „ quæ videlicet ex conditione „ peccantium ſumuntur, ea facta „ ſunt quæ etiamſi per ſe licent, „ tamen probabiliter timetur, ne „ is qui confitetur, in eadem ipſa „ quæ olim admiſit peccata rela„pſurus ſit: ſi in eiſdem operibus, „ in quibus anteà verſatus eſt, per„ſeveret: tales ob mundi corru„ptelam plurimis ſolent in caſtris „ eſſe, mercaturam ſequi, magi„ſtratus obire, advocati & procu„ratoris officia exercere, aliaque „ id genus; quæ dum quis tractat, „ fit ſæpe ut vocibus blaſphemis, „ furtis, injuſtitiâ, calumniis, odiis, „ fraudibus, perjuriis, & aliis ejuſ„dem farinæ ſceleribus, quibus „ Deus offenditur, tantam ſibi eo„rum conſuetudinem aſciverint, „ ut conjectari liceat, ſi in eiſdem „ officiis maneant, cum ſe rurſus „ eædem illæ oblaturæ ſint occa„ſiones, quod fortiorem animum „ ad reſiſtendum peccatis non op„ponent, quam hactenus fece„rint: quodque inde ſequitur in „ idem lutum ex integro prolaben„tur. Omnes qui ſunt hujuſmodi, „ ſecundum D. Auguſtinum vel „ negotium ipſis periculoſum de„ponant, vel ſaltem abſque licen„tia & obedientia pii ac probati „ ſacerdotis non exerceant: qui „ quidem hominem, eo modo con„ſtitutum, abſolvere non debet, „ ſi exiſtimat ad eadem peccata re„diturum quamdiu in antiqua oc„caſione perſeverat: ſed æquum „ eſt ut vitæ emendatio, & quæ„dam illius approbatio per tempo„ris intervallum exſpectetur. At„qui hic vigilandum eſt eò dili„gentius, quò manifeſtum eſt hâc „ in parte confeſſarios incuriâ ſuâ „ maximam præbere cauſam, cur „ in omnibus ferè opificiis & exer„citationibus publicis peccata gra„viſſima inveniantur, & abuſus „ intolerabiles, ſine quibus mul„ti hodie exiſtimant nec res etiam „ per ſe æquiſſimas rectè exerceri „ poſſe.

„ Exempli gratia, in magi„ſtratu adeundo, & aliis officiis „ aſſumendis multa juramenta re„periuntur, quæ ſervari debeant; „ quæ tamen poſtea non ſervantur.

„ Inter Conſiliarios, Advo„catos, Procurarores, clientum „ perniciei ac damnis incumbitur, „ contra id quod propria conſcien„tia dictat faciendum.

„ Idem

„ Idem fit in bello, ubi duel- „ lis locus datur, ubi odiis, ho- „ micidiis plena ſunt omnia. Inter „ ludendum, maledicta vigent, „ rapinæ,quæſtus meretricii. Apud „ Mercatores hæc regnant, uſuræ, „ mercium fraudes, cum vel eas „ miſcent, vel malas pro bonis in „ manus porrigunt, multoque plu- „ ris quam pretium juſtum eſt, eas „ diſtrahunt; nec deſunt perjuria, „ mendacia, vectigalium fraudu- „ lenta averſio, aliaque ejus ordi- „ nis permulta.

„ Plerique opifices feſtis æquè „ ac profanis diebus ita occupan- „ tur, ut nunquam neque cultui di- „ vino vacent,neque conciones fre- „ quentent, nec ſe ſolum, ſed ad „ ſimilem modum totam diſtentam „ familiam habent.

„ Quamobrem magno nume- „ rò inveniet confeſſarius inter eos „ qui talia exercent, omnem vi- „ tam ferè in peccatis mortalibus „ duxiſſe; qui quidem abſolutio- „ nis capaces exiſtimari non de- „ bent, niſi diligentia prius ac- „ cedat; quâ ſimul & ab invo- „ lucris hujuſmodi liberentur, & „ fortiores contra peccatum red- „ dantur.

„ Quod ſi confeſſarius poſue- „ rit majorem induſtriam in iis exa- „ minandis, non dubium eſt, quin „ plures deprehendet, qui nun- „ quam, ut oportuit, Sacramen „ to Pœnitentiæ peccata ſua ex- „ piarint: quod cum fuerit ab eo „ animadverſum, oſtendat eis præ- „ terquam quod de emendatione „ majorem probationem facere de- „ bebunt, vel opificii genus, in „ quo ſunt deſerere, etiam totius „ vitæ confeſſionem inſtituere, ac „ ſtudio vehementi in ſalutem „ ſuam incumbere tenebuntur.

„ Multò magis confeſſarius cir- „ ca ea officiorum actionumque „ diſcrimina exſtirpanda allaborare „ debet, quæ, nullam vel neceſſi- „ tatem Reipubl. vel utilitatem „ ſecum ferunt; quæ quamvis ex „ priori ordine rerum non ſint (il- „ læ enim per ſe ad peccatum mor- „ tale inducunt, ac propterea ne- „ ceſſariò à quovis homine quo- „ cumque in ſtatu relinqui debent) „ nihilominus tamen ad malè agen- „ dum inflectunt, ac facillimo ne- „ gotio ſæpiſſimè ad diverſa pecca- „ ta trahunt, ut choreis intereſſe, „ agere cum blaſphemis, verſari „ cum ſcurris, malorum ſe ſoda- „ litatibus hominum adjungere, „ tabernas frequentare, otio in- „ dulgere, ſimileſque actiones, „ in quibus ut plurimum peccare „ mortaliter homines ſolent; qui „ quidem ante non debent abſol- „ vi, niſi animo abalinato penitus „ illa ipſa ſe deſerturos eſſe polli- „ ceantur.

„ Et quidem ſi probabiliter ſibi „ confeſſarius perſuadeat poſſe ſe „ fidem primæ vel ſecundæ à pœ- „ nitente ſibi promiſſioni factæ da- „ re, quod ſcilicet occaſionem au- „ feret,

„ feret, poterit eum promiſſionis „ intuitu abſolvere; ſin autem fi- „ dem ſemel atque iterum fregerit, „ ac tertiò jam idem polliceatur, „ abſolutionem differat; uſque „ dum reipsâ videat pœnitentem ſe „ omni peccato liberaſſe, in quo „ prius vixerat.

Hic Lector.

QUicumque es; ſi hactenus peccatorum tuorum pondere fueris oppreſſus; hic pauliſper leva te ſuper te; dicendo.

Heu Miſericors Deus! quoties ut canis reverſus ſum ad vomitum, & quaſi ſus immundum repetii volutabrum! heu quot vulnera vulneribus inflixi, dum ſcelera ſceleribus ſuperaddere non erubui, & priſca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi; dum quæ divina tua ſolidaverat medicina, mea denuò roſolvit prurigo phrenetica. Ah Domine Jeſu! quoties cutis, quæ ſuperducta vulneribus morbum celaverat, ſanie erumpente computruit, dum frequenter reiteratum peccatum paternam tuam miſericordiam exinanivit. Ecce Domine Deus meus quid opponam neſcio: culpam meam agnoſco: & eapropter, eſto, ego infelix te toties irritaverim, & malum coram te fecerim, furorem tuum multoties in me provocaverim, ut tamen non deſperem animant me Publicani, Meretrices & Latrones, qui à faucibus lupi infernalis eruti, ſinu miſericordiſſimi excipiuntur Paſtoris; animant me, inquam, ut recurram tamquam filius prodigus ad benigniſſimum Patrem; & dicam, Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus: verumtamen cum fiducia obſecro, ne ſim poſt hac de numero eorum qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, Amen.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XVI.

De Peccato Originali.

QUIA dogma Catholicum de peccato originali rationem naturalem ſuperat; idcirco de ſuper plurimi ſunt exorti errores, & quidem primò omnes philoſophi qui fidei myſteria ignorantes, cum experirentur humanæ vitæ miſerias, non eas tamquam pœnas alicujus peccati acceperunt, ſed eas in naturam retulerunt, appellantes eam omnium animantium benignam matrem, hominis verò crudelem novercam: ita quoque antiqui Hebræi negarunt peccatum originale, dicentes circumciſionem non admitti ad ullius peccati deletionem, ſed tantummodò ad diſtinctionem populi Judaici ab infideli: Pelagius quoque in hac materia plurimum eſt hallucinatus: dicens Adam ſibi ſoli per peccatum ſuum nocuiſſe, & non poſteris, mortem verò, omneſque miſerias provenire ex naturali conditione naturæ: addens & illis Adamum futurum obnoxium, eſto non peccaſſet; diſcipuli tamen ejus, argumentis catholicorum convicti dixerunt peccatum Adami traduci in poſteros, non quidem ſecundum ſe; ſed tantum ratione effectuum. Pelagium hoc tempore ſequuntur Anabaptiſtæ; diſcipulos verò ejus ſequitur Sabellius hæreticus: qui omnes evacuant myſterium redemptionis Chriſti. Contra quos omnes errores ſtatuitur indubitatum fidei dogma, ſcilicet peccatum primi parentis veraciter transfundi in poſteros: prout hoc latius in ſequentibus dubiis explicabimus.

DUBIUM PRIMUM.

An Peccatum primi parentis traducatur per originem in poſteros.

DIco primò; fide certum eſt primum peccatum primi hominis originaliter tranſire in poſteros; non ſolum ratione effectuum, nempe ærumnarum, & miſeriarum corporis, ſed etiam quoad culpam & peccatum: quod etſi naturali ratione nequeat probari, probari tamen poteſt præſuppoſitis fidei principiis, partim ex ſcriptura, partim ex ratione: hoc modo. primò probatur Job 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* ut legit vulgata editio. Septuaginta verò interpretes

tes ſic legunt: *Quis enim erit mundus à ſorde? at nemo, etſi unius diei ſit vita ejus ſuper terram*. Quo loco agi de ſpirituali immunditia, & non de corporali, patet ex eo, quod ſola divinâ potentiâ illa poſſit tolli.

2. Probatur Pſalmo 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* In hebræo habetur; *Ecce in iniquitate conceptus ſum*: quâ deſignatur peccatum commune originale: rectè tamen interpres noſter tranſtulit in plurali, partim ſecundum morem S. Scripturæ, quæ frequenter utitur plurali pro ſingulari: partim quia originale ſic eſt unum, ut virtute ſit multiplex; utpote fons & origo omnium peccatorum: inſuper quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, plures fuerunt peccatorum malitiæ; nempè ſuperbiæ, inobedientiæ, gulæ &c.

3. Probatur Joannis 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: ubi in codice græco legitur in ſingulari, *peccatum*. Quo non aliud ſignificatur, quàm peccatum commune totius generis humani.

4. Probatur ad Romanos ſeptimò; *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; ubi nota relativum *quo*, referre hominem, in quo tamquam in radice & principio generis humani peccaverunt omnes poſteri.

5. Probatur 2. ad Corint. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

6. Probatur ratione; qui Chriſtus, ut patet ex præcedenti ſcriptura, eſt omnium redemptor, non ſolum quia omnibus promeruit gratiam; ſed potiſſimum quia omnes liberat à peccato.

7. Probatur ex neceſſitate baptiſmi, qui inſtitutus eſt in remiſſionem peccati originalis, ut patet ex materia & forma baptiſmi quæ ſignificant abſolutionem ſpiritualem, patetque actorum 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.*

8. Probatur ex fomite peccati, & inordinatis motibus partis ſenſitivæ contra rationem, quibus homo etiam invitus ſubjacet: quod ſignum eſt humanam naturam non eſſe in illo ſtatu in quo eſt condita; ſed per culpam eo excidiſſe. Quo argumento S. Auguſt. paſſim utitur in lib. contra Julianum: cum enim homo conſtet duabus partibus, nempe ſuperiori ſpirituali, & inferiori ſenſibili; rectus ordo poſtulabat, ut pars ſuperior, tamquam domina, regeret inferiorem tamquam ancillam; adeoque cohiberet ne contra ejus dictamen ſe moveret: cujus contrarium in nobis metipſis experimur, ac proinde ex hac diſcordia & rebellione partis inferioris contra ſuperiorem colli-

colligimus in homine eſſe culpam; quia Deus creavit hominem rectum. Illud ipſum colligimus ex pluribus morbis, & dæmonum vexationibus, quibus interdum videmus innocentes infantes etiam eſſe obnoxios.

Dices, ad Roman. cap. 5. ait Apoſt. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Ergo mors non intravit in omnes homines, ſed in eos ſolum qui peccaverunt ad imitationem Adæ: quod ulterius confirmatur: quia eodem cap. ait Apoſt. *Unius delicto multi mortui ſunt*; Ergo non omnes; ſed illi ſolum, qui peccando Adamum imitati ſunt.

Reſp. Pelagium hæreticum ita hanc ſcripturam interpretari, ut intelligatur de peccato non per propagationem, ſed per imitationem contracto: ſed perperam & erroneè contra fidem Catholicam: unde dico, per illos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, intelligi parvulos qui non peccaverunt actualiter ſicuti Adam; qui proinde non excluduntur à contracto peccato originali: addo vocem, *multi*, in Scriptura Sacra ſæpè ſumi pro voce, *omnibus*; prout Gen. 17. dicitur: *Patrem multarum gentium conſtituam te.* Et Gen. 22. dicitur: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Ita quoque Marci vigeſimo dicitur *Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.* Et capite 14. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Quod verò hoc loco vox, *multi*, ſumatur pro, *omnibus*, inde probatur; quia Roman. 5. dicitur: *Unius delicto omnes mortui ſunt.*

Objicies Apoſt. ad Rom. 4. ait: *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*: ſed infantes non ſunt capaces legis aut præcepti; ergo nec ſunt capaces peccati originalis.

Reſp. negandò conſequentiam: pro cujus explicatione notandum, infantes dupliciter poſſe conſiderari; primò quatenus ſuppoſitò ab Adamo diſtincti; quomodò, utpote non habentes uſum liberi arbitrii, actualiter nequeunt peccare. 2. Prout continentur in Adamo tamquam in ſeminali principio totius generis humani: quomodo voluntas Adami erat voluntas communis omnibus qui ab eo ſeminaliter erant deſcenſuri; ſub quâ conſideratione ſunt capaces legis quam poterant obſervare communi illâ voluntate Adami; & quâm eo ipſo ſunt tranſgreſſi, quo Adam communi illâ voluntate illam eſt tranſgreſſus.

Dices Apoſt. 2 ad Cor. 5. ait: *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*; ſed parvuli nihil geſſerunt mali; ergo non damnabuntur: & conſequenter neque contraxerunt peccatum originale.

Reſp. Apoſtolum hoc loco loqui de adultis: ſi quis tamen eum velit extendere uſque ad parvulos, petam ab eo quid boni illi geſſerint in corpore; & ſi è contra replicent eos geſſiſſe bonum in corpore per alios, reſpondebo quoque parvulos non baptiſatos malum geſſiſſe per alios; & conſequenter peccatum commiſiſſe alienâ voluntate.

Dices; Ezechielis 8. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

Reſp. hunc locum potius ſtare pro peccato originali, quam illi adverſari: ſi enim filius non patiatur pro patre, & tamen in confeſſo ſit, plurimos parvulos graves pœnas patij, ſequitur illos à nativitate habere proprium aliquod peccatum; ne alioquin pœnam ſine culpâ videantur contraxiſſe.

Dices; peccatum non ſubjectatur formaliter in corpore, ſed in anima; ſed animæ poſterorum Adæ non traducuntur ab anima ipſius Adæ; ergo ab illa non poſſunt contrahere aliquod peccatum.

Reſp. negando conſequentiam quia ut peccatum originale propagetur ſufficit ipſos homines ab Adamo ſeminaliter propagari: nam eo ipſo quo ſinguli noſtrum continebamur in lumbis Adami, & ipſe, tanquam genus humanum in ſe continens & repreſentans, peccavit, peccatum ipſius fuit noſtrum: hinc ait Apoſtolus ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.*

Dices; neque peccat infantulus qui naſcitur, neque parentes qui generant, neque Deus qui creat animam; per quam rimam ergo intrat peccatum originale in iſtum infantulum.

Per quã rimam peccatũ originali intret in infantem

Reſp. per peccatum primi parentis; quatenus, ut jam ſupra dixi, quando ipſe peccavit, in ſe continebat voluntates omnium qui ex eo ſeminaliter erant naſcituri: ex quo patet quod cauſa peccati originalis non ſit conjugium; quia eſto nemo peccaſſet, tamen commixtio conjugum adhuc in ſtatu innocentiæ fuiſſet.

Conjugium non eſt cauſa peccati originalis.

Dices, hinc ſaltem ſequi, quod in ſtatu naturæ corruptæ is qui generat ſemper peccet, utpote dans operam rei ex qua infallibiliter ſequitur, peccatum in prole: & inſuper ſequitur, quod Adam ſemper peccet quoties aliquis homo generatur.

Reſp. prout ante diximus, peccatum non ſequitur per ſe vi generationis, ſed ex mala voluntate Adami; qui tamen de novo non peccat quoties generatur homo; quia illa traductio peccati in parvulum qui generatur, non eſt ipſi modò libera.

Dices; peccatum Adæ fuit deletum per pœnitentiam antequam ipſe unquam generavit; ergo nullum habuit peccatum quod in poſteros traduceret per generationem.

Quomodo peccatũ Adami tráſivit in poſteros cũ per pœni-

Reſp neg. conſequent. pro cujus explicatione notandum; peccatum quidem

tentiam deletū fit antequā generaret. quidem ipſi ante fuiſſe remiſſum quatenus erat perſonale & ipſi proprium, non verò ut erat commune totius naturæ humanæ: cum enim è dignitate capitis generis humani excidiſſet per peccatum, non potuit ipſe mereri aut ſatisfacere pro communi peccato totius generis humani: eapropter, eſto dum Adam generavit, nullum nec in ſe, nec in natura, quam continebat, eſſet actuale peccatum, quod in poſteros derivaretur; erat tamen tale virtute & cauſaliter, quatenus nimirum ex peccato actuali præterito remanebat infectio ipſius naturæ, & vis ſeminalis ad traducendam naturam; & cum ea infectionem animarum.

Dices; ſi parvuli in nativitate ſua contrahant peccatum originale, fiantque peccatores; ergo, iterum dico, malum erit conjugium, utpote peccati cauſa.

Reſp. neg. conſeq. quippe cum illud non proveniat per ſe ex conjugio, ſed per accidens; neque enim ideo quis naſcitur peccator, eò quod generetur ex conjunctione viri & fœminæ; nam ſic etiam in ſtatu innocentiæ proles fuiſſent natæ, ſed ideo quia accidit naturæ infectio in Adamo quæ per matrimonium propagatur.

Quid ſit eſſe ex traduce. Dices anima rationalis non eſt ex traduce, ſeu non derivatur ab anima patris ad animam filii per deciſionem alicujus particulæ animæ patris, ſicuti corpus filii generatur & propagatur à corpore patris per deciſionem alicujus particulæ; ergo peccatum originale non tranſit in poſteros Adami.

Anima rationalis nō eſt ex traduce. Reſp. neg. conſequentiam: cujus ratio eſt, quod peccatum originale formaliter conſiſtat in privatione juſtitiæ originalis: poteſt verò Deus creare animam privatam juſtitiâ originali, quæ privatio non erit culpabilis per reſpectum ad Deum creantem, ſed prout dicit ordinem ad peccatum Adæ, quo Domini præceptum eſt tranſgreſſus, quando ſuſtinebat perſonam totius generis humani, reſpectu dicti præcepti, qui proinde iſto ſuo peccato, naturam humanam juſtitiâ originali ſpoliavit.

Dices; omne peccatum debet eſſe voluntarium; ſed in pueris recenter natis nullum eſt voluntarium; ergo etiam nullum peccatum.

Quomodo peccatū originale parvulis ſit voluntarium. Reſp. neg. ſubſumptum: eſto enim in illis nullum ſit voluntarium actu & perſonali voluntate; eſt tamen in ipſis voluntarium voluntate communi primi parentis, quæ voluntas non ſolum erat perſonæ ipſius ſingularis, ſed inſuper voluntas eorum, quorum ipſe erat conſtitutus caput: ex quo deducitur reſponſio ad argumentum quod ſolet objici: nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, ſed parvuli nequeunt vitare peccatum originale; ergo &c. eos potuiſſe illud vitare voluntate illa cōmuni in primo homine, per quem illud contraxerunt.

Digitized by Google

DUBIUM II.

An ipſum actuale peccatum, quod commiſit Adam, traducatur in poſteros.

Actuale peccatum Adami nõ traducitur in poſteros.

RESp. negativè; quia doctrina fidei eſt, ineſſe cuilibet homini, non renato, peccatum originale ſibi proprium, prout ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 3. Anathemate percellens eos, qui aſſerunt in Baptiſmate non tolli totum id quod habet veram rationem peccati: quod non eſſet verum, ſi peccatum originale non ineſſet cuique proprium. 2. Juſtitia originalis, ſi Adam manſiſſet in ſtatu innocentiæ, unicuique poſterorum inhæſiſſet, reddens eum formaliter & intrinſecè juſtum; ergo ſimiliter iſtius juſtitiæ privatio ſeu peccatum originale ineſt cuique proprium reddens eum formaliter & intrinſecè immundum.

Dices, Scriptura ſacra ait: nos omnes in Adamo peccaſſe, quando ille peccavit; & conſequenter non poteſt aſſignari aliud originale quam actuale peccatum Adami.

Peccatũ Adæ cauſaliter trãſit in poſteros.

Reſp. inde tantum hoc ſequi, quod peccatum actuale Adami cauſaliter transfundatur in poſteros; quatenus nimirum ratione illius poſteri contrahunt malitiam originalem ſibi intrinſecam; prout quoque quia denominatione extrinſecâ denominantur ab eo peccatores; ita ut illud ipſum actuale peccatum Adami ſit, & reputetur ipſorum: ex quibus tamen negamus ſequi, quod non transfundatur in illos aliquod veri nominis peccatum illis intrinſecè inhærens, à quo intrinſecè, ſeu denominatione intrinſecâ, vocantur peccatores; ſicuti ex eo quod quis proprio actu peccavit, non ſequitur quod actu tranſacto non remaneat in ipſo aliquid à quo denominetur peccator: itaque ſicuti dum quis actualiter peccat, reſultat poſt peccatum tranſactum in ipſo aliqua habitualis averſio; quæ verè peccatum eſt, manetque in eo quoaduſque reparetur per gratiam ſanctificantem; ita quoque ex peccato Adæ reſultat in ipſo habitualis averſio, & quotidie reſultat in omnibus, qui ab eo per ſeminalem propagationem deſcendunt; & ſicuti ad habituale peccatum ſufficit, quod dicat reſpectum ad voluntatem actu peccantem: ita quoque ad originale ſufficit, quod defectus ille, qui in puero habet rationem peccati originalis, dicat reſpectum ad voluntatem primi parentis, nobis omnibus communem, tranſgredientem præceptum Dei.

Petes; an ſuppoſito quod nihil poſſet habere rationem peccati habitualis, niſi præceſſerit voluntarium in actu ſecundo; an illud voluntarium in actu ſecundo quod præſupponitur ad peccatum originale ſit intrinſecum poſteris participantibus ipſum peccatum originale:

Digitized by Google

nale: quod eſt petere an actualis tranſgreſſio divini præcepti facta ab Adamo, unde reſultat originale in poſteros Adæ, à quo vocantur peccatores, ſit ab ipſis intrinſecè volita.

Reſp. negativè; ſed tantum denominatione extrinſecâ. Probatur; quia voluntarium actu, à quo proceſſit peccatum originale, fuit actus elicitus, aut imperatus à voluntate Adami; qui proinde nec ex parte voluntatis Adæ, nec ex parte ſubjecti fuit nobis intrinſecus; & conſequenter neque nobis voluntarius: nam ille actus non procedit à voluntate pueri tamquam principio efficiente, nec in ipſo tamquam in ſubjecto recipitur.

Dices; actus Adæ, ex quo reſultat in nobis peccatum originale, non fuit nobis voluntarius; quia nunquam fuit in poteſtate noſtra; ergo neque defectus in nobis inde reſultans, qui eſt originale peccatum, erit nobis voluntarius: ita ut reſpectu noſtri ſit propriè peccatum habituale.

Reſp. negandò antecedens: cum enim Adam à Deo eſſet conſtitutus non tantum caput omnium hominum in eſſe naturæ, ſed etiam in eſſe morali, ita ſcilicet ut ab ipſo derivarentur omnia principia benè operandi, ſcilicet gratia & juſtitia originalis, & in ejus poteſtate eſſet ſtatum illum juſtitiæ originalis retinere vel amittere pro ſe & poſteris, neceſſe quoque habuit ut voluntas ejus eſſet voluntas poſterorum; ita ut quidquid Adam velle cenſeretur, poſteri id quoque velle cenſerentur; ac propterea omnes Adæ poſteri, ſic ab eo ſeminaliter deſcendentes, conſiderandi ſunt tamquam unum corpus, cujus ipſe Adam ſit caput & principium, atque ita gerat perſonam totius generis humani ex eo ſeminaliter propagandi; eo modo, quo in civilibus omnes homines unius civitatis reputantur quaſi unum corpus: prout quoque juſtitia originalis, per quam ratio ſubdebatur Deo, & rationi appetitus ſenſitivus, collata fuerat Adamo non ſolum pro ſua propria perſona, ſed tamquam capiti totius generis humani; ac proinde prout ab ipſo pendebat quoad eſſe naturæ ut natura humana propagaretur, ita quoque ab ea tamquam à morali principio pendebat, ut juſtitia, in qua erat conſtitutus, tranſiret in poſteros: & ita voluntas Adami conſiderati in ratione capitis, erat quodam modo voluntas poſterorum ejus; ita ut quidquid ille ſic vellet, vellent quoque poſteri ejus, non propriâ & perſonali voluntate, ſed voluntate iſtâ communi ſui capitis: eapropter hic benè venit notandum, quod præceptum de non comedendo ex ligno vetito, non fuerit datum Adamo ut ſingulari perſonæ, ſed ut capiti totius generis humani, ita ut ipſo illud ſervante, ejus poſteri quoque illud cenſerentur ſervaſſe, & ipſo

Digitized by Google

tranſgrediente ipſi quoque cenſerentur tranſgredi. Ex quibus patet; quomodò peccatum originale ſit parvulis voluntarium, nempè non propriâ & perſonali voluntate, ſed partim voluntate primi parentis, partim voluntate ſingulorum; in quantum nimirum voluntas Adę, ut capitis, erat voluntas ſingulorum; quando enim Adam peccabat, omnes nos eramus in illo tamquam ejus membra, vel tamquam quoddam corpus, cujus ipſe erat caput: & poſtea ipſo peccante, omnes quoque in ipſo peccavimus: nec propterea dicendum inde ſequi, quod peccatum originale ſit parvulis tantum voluntarium denominatione extrinſecâ, nimirum à voluntate, quæ non in ipſis eſt, ſed in Adamo; quia peccatum originale ſubjectatur & recipitur in propriis ſingulorum voluntatibus, & ad omnes pervenit ex ea voluntate, & voluntatis liberâ actione, cujus ipſi erant participes, nempè tranſgreſſione Adami ut repræſentabat totum genus humanum; pateique hoc exemplari aliquo ſimili, ut ſi quis v. g. transferat ſuam voluntatem v. g. ſubditus in ſuperiorem, poterit is dici moraliter velle voluntate ſuperioris id quod ille vult, & ita Deus voluntates poſterorum collocavit in voluntate Adę. Ex quo ulterius factum eſt, ut præceptum impoſitum Adæ, quatenus voluntas ejus non tantum erat perſonalis ſed & communis omnium poſterorum, obligaverit etiam poſteros; & conſequenter quód Adamo præceptum violante, etiam ipſi illud violaverint.

Dices; ex dictis quidem patere ita potuiſſe fieri, non tamen patere, quod Deus ita de facto fecerit.

Reſp. negando aſſumptum dicente Apoſt. ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Ad quod proinde neceſſe fuit, quod voluntas Adæ eſſet aliquo modo voluntas poſterorum, alioqui enim actus ejus non potuiſſet illis imputari.

Petes; an ad hoc ut peccatum Adæ imputaretur ejus poſteris, non fuerit ſatis quod ipſi continerentur in illo tamquam principio naturali: an verò inſuper fuerit neceſſe facere pactum aliquod inter Deum & Adamum hoc vel ſimili modo; do tibi juſtitiam originalem, eâ lege, ut ſi præceptis meis obedieris conſerves eam tuis poſteris: quod ſi verò illa prævaricatus fueris, amittas eam tibi & tuis poſteris.

Nullum inter Adamum & Deũ interceſſit pactũ, tãquam neceſſarium, ut peccatũ ejus poſteris imputaretur: quod ut poſteris imputetur non ſatis fuit illos cõtineri in Adamo, tãquam principio naturali.

Reſp. quamvis Cajetanus, Pygius, Scotus, Vega, & alii affirment: reſpondeo, inquam, negativè, & dico ſimile pactum introduci ſine ratione. Aio tamen minimè ſufficere ut tota natura contineatur in Adamo, tamquam principio naturali; nam alioqui omnia peccata Adami transferrentur in poſteros, prout & parentum in filios. Probatur itaque negatio; quia tale pactum non fuit neceſſarium, eò quod Deus jure ſupremi Domi-

nii

nii poterat Adamum obligare tam pro ſe, quam ſuis poſteris, non exſpectato conſenſu ipſius: nec uſquam talis pacti ſit mentio in Scriptura, nec illud umquam intervenit; & meritò; quia tale pactum videtur indignum majeſtati divinæ, & alienum ab eo modo quo ſolent hominibus præcepta imponi non exſpectato illorum conſenſu: nec refert quod Oſeæ 6. dicatur: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*: Quia nemo, prǽter Sanctum Hieronymum intelligit hoc de peccato originali; ſed communiter per pactum, ſicuti & in aliis Scripturæ Sacræ locis, intelligitur lex: ſic enim Geneſis 7. dicitur: *pactum meum irritum fecerunt*.

Dico itaque; ultra rationem principii naturalis, adhuc, requiri decretum Dei, quo ſtatuit voluntatem Adæ habendam eſſe pro voluntate omnium hominum quantum ad obſervationem & tranſgreſſionem præcepti, quatenus ab eâ pendebat conſervatio vel amiſſio juſtitiæ originalis: quo ſepoſito decreto voluntas Adæ nequivit eſſe voluntas poſterorum: inſuper neceſſe fuit hoc Dei decretum Adamo manifeſtari; ſiquidem alias tranſgreſſio divini præcepti non fuiſſet illi voluntaria ut capiti.

Notandum tamen; quod hæc dignitas capitis quoad eſſe morale non convenerit Adæ quoad omnes actus ſuos, ſed tantum in ordine ad illos ex quibus pendebat conſervatio vel amiſſio ſtatus innocentiæ, quatenus erat donum totius naturæ: & ideo, quamvis commiſiſſet alia peccata poſt primum commiſſum illa poſteris non fuiſſent imputata.

Petes; quodnam ergo peccatum Adæ traducatur in poſteros.

Reſp. primum omnium quod commiſit. Quod probatur: quia illud tranſit in poſteros per quod ablatum fuit donum juſtitiæ originalis, quod fuit omnium primum: quia per illud fuit amiſſa gratia gratum faciens, quæ erat radix & fundamentum juſtitiæ originalis.

Dices; peccatum per quod ablata fuit juſtitia originalis, fuit tranſgreſſio legis de non comedendo de fructu vetito; ſed illud non fuit primum peccatum Adæ: quia S. Thom. 22. quæſt. 163. docet, ſuperbiam fuiſſe primum Adæ peccatum.

Reſp. Primum peccatum Adæ fuiſſe tale quod in ſe includeret diverſa alia peccata, utpote includens in ſe diverſas deformitates; nempè ſuperbiæ, inobedientiæ, gulæ &c. in quantum ex motivo ſuperbiæ, gulæ &c. tranſgreſſus fuit præceptum divinum. Primũ Adami peccatũ includit in ſe diverſas malitias

Petes; quid ſi Adam primâ vice ſolo actu voluntatis interno peccaſſet, aut quodcumque aliud peccatum commiſiſſet: an ſibi, ſuiſque poſteris amiſiſſet juſtitiam originalem.

Reſp. Affirm. quia ſive peccatum

Digitized by Google

tum fuiſſet internum ſive externum qualecumque tandem fuiſſet, ſuſtuliſſet innocentiam primi ſtatus; ac per conſequens coinquinaſſet totam naturam humanam.

DUBIUM III.

Quid ſit Peccatum Originale, & quomodo contrahatur.

PEccatum originale ſic dicitur, quia cuique ab origine ſeu à nativitate ineſt; eo modo, quo juſtitia vocatur originalis primis parentibus ab ortu ſeu ab origine eorum: ſecundum quam nominis ethimologiam, peccatum illud fuit in Adamo cauſaliter, in quan tum nimirum tale in omnibus cauſavit.

Peccatũ originale non eſt ſubſtãtia.

Petes, an peccatum originale ſit in genere ſubſtantiæ.

Reſp. neg. quia Deus omnem ſubſtantiam creavit, peccatum autem ipſe nec fecit, nec creavit. Nec refert quod Apoſt. ad Roman. 6. appellet ſubſtantiam, dum ait: *Vetus homo noſter crucifixus eſt ut deſtruatur corpus peccati.* Quia per corpus hic non intelligitur ſubſtantia propriè dicta, ſed aggregatum ſeu congeries & maſſa peccatorum.

Neque poſitiva aliqua qualitas.

Petes an peccatum originale nequeat eſſe aliqua poſitiva qualitas.

Reſp. ſic ſentire Gregor. Ariminenſem, dum ait, hoc conſiſtere in vitioſa quadam qualitate contractâ ex libidine parentum, & eam in carne Adæ ortam ex primo ſuo peccato; idque vel ex cibo vetito, vel ſibilo ſerpentis: qui meritò ab omnibus exploditur, quia hujus poſitivæ qualitatis nulla poteſt dari poſitiva ratio ſeu cauſa; non enim Deus, quia auctor peccati eſſe non poteſt; non diabolus, quia non poteſt directè agere in voluntatem; non ſerpens, quia afflatu ſuo non poteſt agere in animam; nec ſemen, quia, ut bene ait Anſelmus, non plus eſt culpæ in eo, quam in ſputo & ſanguine, ſi quis malâ voluntate ſputum aut ſanguinem emittat. Ultima denique ratio eſt, quia poſitiva illa & ſenſibilis qualitas non poteſt agere in animam, utpote ſpiritualem.

Dices; peccatum originale habet ſe eodem modo ſicuti peccatum habituale ortum ex actu peccati præterito; ſed tale habituale eſt aliqua qualitas; ergo.

Reſp. neg. ſubſumptum, nec enim peccatum habituale generatur ab actuali, ſicuti phyſice generatur habitus ex frequentatis actibus: ſed conſiſtit merè in morali quadam turpitudine relictâ ex actu peccati præterito non retractato.

Quamvis illi tribuãtur aliquæ malæ operationes.

Dices; ſaltem peccatum originale habet pravas aliquas operationes, eo modo quo habitus pravus eſt principium diverſorum peccatorum: quia ut ait Apoſt. ad Roman. 7. *Peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

Reſp. has operationes tribui peccato, non tamquam principio efficienti

efficienti (nam ſic procedunt à potentiis hominum inordinatis) ſed eo modo, quo ſubmerſio navis tribuitur negligentiæ ipſius nautæ: dicit enim peccatum originale abſentiam juſtitiæ originalis, quæ continebat hominis vires ſub fræno rationis: unde ſicuti corporalis ægritudo eſt quædam mala diſpoſitio diſſolvens temperiem qualitatum, ita peccatum originale eſt mala diſpoſitio humanæ naturæ, quæ conſequitur diſſolutionem harmoniæ omnium virium animæ, ex qua diſſolutione contingit, quod unaquæque potentia inordinatè feratur in ſuum objectum; cum hoc tamen diſcrimine, quod ægritudo corporalis dicat poſitivam aliquam qualitatem conjunctam privationi boni temperamenti; peccatum verò originale non dicat ullam qualitatem naturæ ſuperadditam, ſed meram perfectionis privationem; quæ perfectio ſecundum primævam inſtitutionem naturæ debebat ineſſe; quæ ſi adeſſet, prohiberet omnem inordinationem, continendo omnes animæ potentias ſub fræno rectæ rationis in debito ordine.

Petes, an actuale peccatum Adæ poſſit dici, peccatum originale; ita ut unum numero ſit in parvulis, & Adamo.

Reſp. negativè; quod patet ex dubio præcedenti: & inſuper quia idem numero accidens non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum, ut dicunt Philoſophi; quia juxta definitionem Concil. Trid. ſeſſ. 5. Can. 3. „ Peccatum originale ineſt „ cuique proprium. „

Petes, an concupiſcentia non poſſit dici peccatum originale.

Quâ ratione concupiſcẽtia dicatur peccatũ originale.

Reſp. ſi per concupiſcentiam intelligatur inordinatio virium inferiorum animæ, quà illæ vitiosè propendent in bonum commutabile: ſeu potius ipſæmet animæ vires, non quidem ſecundum eſſentiam, ſed quatenus per amiſſionem juſtitiæ originalis, quæ eas continebat ſub fræno rationis, ſunt inordinatæ & proclives ut ferantur in ſua objecta contra rectam rationem, concupiſcentiam dici poſſe peccatum originale ſpectatum quoad ſuum materiale: ſecus verò quoad ſuum formale: quia in Baptiſmo tollitur omne id quod habet veram rationem peccati: prout definit Concil. Trident. ſeſſ. 5. Can. 5. & tamen non tollitur concupiſcentia.

Probatur; quia ſicuti in peccato actuali reperiuntur hæc duo materiale & formale: nempè actualis averſio à Deo, tamquam formale; & actualis converſio ad creaturas, tamquam materiale: ita ſimiliter in peccato originali, habitualis averſio à Deo, quam importat privatio juſtitiæ originalis, eſt ipſius formale; habitualis verò & inordinata converſio ad bonum commutabile habet rationem materialis; quæ non eſt aliud, quam habitualis concupiſcentia, quæ repe-

Digitized by Google

ritur etiam in ipſis infantibus: & hujus cauſa negativa eſt Deus, quatenus juſtè naturæ lapſæ ſubtrahit juſtitiam originalem, quâ vires omnes tam ſuperiores, quam inferiores debito modo & ordine inter ſe concordabant: moralis verò & poſitiva cauſa eſt ipſum Adæ peccatum actuale, quo ipſe naturam lapſam ſpoliavit donis juſtitiæ originalis. Ex quibus explicari poterunt diverſa loca SS. Patrum in quibus peccatum originale vocatur concupiſcentia.

Dices; S. Auguſt. lib. 5. contra Julianum cap. 4. ait, animam in corpore, ut vinum in vitiato vaſe corrumpi; quod fieri non poteſt ſine contagio morbidæ alicujus qualitatis ex corpore in animam ſe diffundentis.

Reſp. ex eo quod S. Auguſt. dubitaret an anima eſſet ex traduce, dubitavit etiam an anima pueri vitium trahat ab anima patris vitiata, aut an corrumpatur in corpore tamquam in vitiato vaſe: nunc verò cum eccleſia habeat tamquam certum quod anima non ſit ex traduce, non poſſumus modò docere eam ideo vitiari, quia trahitur à patre; ſed eo ſenſu quo id dixit S. Auguſt. quod anima dum infunditur corpori, in eo tamquam in vaſe vitiato corrumpatur; non quòd corpus habeat aliquam qualitatem morbidam, quæ phyſicè agat in animam, ſed quod eo ipſo; quo anima infunditur corpori, illa fiat filia Adæ; adeoque filia peccatoris; & conſequenter infecta peccato originali.

Petes; in quo ergo ſit formaliter ſitum peccatum originale. In quo ſit formaliter ſitum peccatū originale.

Reſp. in privatione juſtitiæ originalis, quæ ſecundum primævam naturæ humanæ à Deo factam inſtitutionem debebat unicuique noſtrum ineſſe, & revera infuiſſet, niſi in Adamo peccaſſemus: porrò quia juſtitia originalis complectebatur hæc tria; nempè ſubjectionem appetitus rationalis ſub Deo. 2. Subjectionem appetitus ſenſitivi ſub rationali. 3. Corporis ſub anima: quarum primum, quod præſtabat gratia ſanctificans, & virtutes Theologicæ, erat cauſa ſecundi & tertii: idcirco quando peccatum originale dicitur privatio juſtitiæ originalis, non intelligitur de privatione juſtitiæ originalis ſecundum tres illas partes; ſed ſecundum primam & potiſſimam, quatenus appetitum rationalem ſubjiciebat Deo, ita ut privatio gratiæ ſanctificantis originalis inhærens homini dum ex Adamo naſcitur, ſit formaliter ipſum peccatum originale. Quod inde probatur; quia peccatum originale à Concil. Trident. ſeſſ. 5. Can. 2. appellatur mors animæ; hæc verò non eſt alia quam privatio juſtitiæ originalis, quatenus ex primæva naturæ humanæ inſtitutione ratio ſubjiciebatur Deo: præterea peccatum originale ſecundum fidem ineſt cuique noſtrum

Quid ſit juſtitia originalis.

Digitized by Google

ſtrum proprium, illudque per Baptiſmum tollitur; ſed privatio juſtitiæ originalis, quatenus per eam appetitus rationalis ſubjiciebatur Deo, ineſt cuique naſcentium propriè, eaque ſola eſt quæ tollitur per baptiſmum, hoc ipſo nimirum quo in baptiſmo confertur gratia ſanctificans voluntatem Deo denuo ſubjiciens; non verò duæ aliæ; nimirum rebellio appetitus ſenſitivi contra rationem, & corporis contra animam: quia per originale formaliter intelligitur infans habitualiter averſus à Deo; ſed nihil eſt in infante aſſignabile ratione cujus ſit averſus à Deo præter privationem converſionis ad Deum, quæ privatio converſionis ad Deum non eſt aliud quam privatio juſtitiæ originalis.

Dices, ſi peccatum originale conſiſtat in privatione juſtitiæ originalis numquam tollitur niſi per infuſionem juſtitiæ originalis; ſed illa per Baptiſmum non infunditur; ergo.

Reſp. eſto non infundatur ſecundum ſe totam; infunditur tamen ſecundum illam partem, quâ voluntatem Deo ſubjiciebat.

Dices; ſi infundatur ſecundum illam partem, ſequitur quod infundatur ſecundum ſe totam, quia (ut ante dictum eſt) ſubjectio voluntatis ſub Deo, fuit cauſa ſubjectionis virium inferiorum ſub voluntate omnium membrorum corporis: unde ſi reſtituatur prima ſubjectio voluntatis ſub Deo, conſequenter reſtituentur duæ aliæ ſubjectiones.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio eſt, quia ſubjectio voluntatis ſub Deo non cauſabat phyſicè duas alias ſubjectiones, ſed tantum modo quodam morali; quatenus nimirum ipſa perfectiſſimo modo ſubjecta exigebat ut vires inferiores conformiter ſe illi ſubjicerent ita ut contra ejus imperium ſeſe non moverent; ex quo tamen non ſequitur quod in ſtatu naturæ corruptæ, quando voluntas per gratiam ſanctificantem ad Deum convertitur, debeant prædicta dona rurſus ipſi conferri quæ in vindictam peccati admiſſi juſtiſſimè Deus ſubtrahit.

Porrò hic bene notandum, quod juſtitia originalis non ſit ſimplex aliquis habitus, ſed aggregatum ex pluribus habitibus, eò quod omnes functiones ejus, nempe voluntatem ſubjicere Deo, & vires inferiores rationi &c. ſimplex aliquis habitus præſtare non poſſit: quia ad hoc intellectui ſunt neceſſarii habitus fidei, prudentiæ, & ſapientiæ: voluntati, habitus ſpei, & charitatis; & inſuper ſpecialis quædam divina cuſtodia, tam intrinſecus quam extrinſecus adhibita, quâ fieret ne intellectus in errorem laberetur, & ne voluntas ante perfectam rationis advertentiam ad aliquod objectum ſe moveret: item phantaſiæ & appetitui ſenſitivo *Et an ſit ſimplex aliquis habitus an verò aggregatum ex pluribus habitibus.*

certa quaſi repagula fuiſſent adhibita, idque ne illa aliquid ante rationis imperium apprehenderet tamquam ſuppoſito conveniens, vel hæc in ſuis motibus rationem præveniret.

Repugnat abeſſe ab homine juſtitiã originalem ſine ejus culpa, adeoque hominẽ naſci in ſtatu puræ naturę.

Petes, an non repugnet homini ineſſe abſentiam hujus juſtitiæ originalis ſine prævia culpa.

Reſp. Affirm. quia, ſecundum S. Auguſtinum, repugnat hominem naſci in ſtatu puræ naturæ; eapropter definitur peccatum originale privatio juſtitiæ originalis debitæ ineſſe.

DUBIUM IV.

Quomodo peccatum Originale traducatum in poſteros.

RESpondet S. Aug. de moribus Eccleſiæ hoc antiquo peccato nihil eſſe promptius ad prædicandum & nihil ad intelligendum ſecretius: & lib. 2. de nuptiis & conc. c.27. Pelagio interroganti per quas rimas hoc peccatum in animam illaberetur, Auguſtinus nec ſibi, nec Pelagio ſatisfaciens, ait; quid quæris rimam, ubi habes patentem januam? per unum hominem peccatum intravit in mundum. Quomodo verò intret, ingenuè fatetur ſuam ignorantiam. & in Epiſt. ad Hier. 29. concinnè hunc in modum hanc quæſtionem diſſolvit: cum quidam, inquit, cecidiſſet in puteum, & amicus ejus ſuperveniens, admirans quæreret quomodo ſic cecidiſſet; reſpondit ille cogita, inquit, quomodo me liberes, quomodo verò hic inciderim, ne me roges: volens oſtendere Chriſtianum eſſe potius quærere remedium hujus peccati, quam inveſtigare modum quo contrahatur.

Anima rationalis nõ eſt ex traduce.

Nihilominus pro dubii hujus explicatione quidam dixerunt, animam rationalem eſſe ex traduce ſeu animam filii derivari ab anima patris per deciſionem alicujus particulæ animæ patris; eo modo quo corpus eſt ex traduce; ut hoc modo oſtenderent quomodo peccatum originale traducatur in poſteros. quæ ſententia paſſim rejicitur tanquam erronea.

2. Alii dixerunt, à ſibilo ſerpentis immiſſam eſſe morbidam qualitatem corpoream primis parentibus, à qua per ſemen participatâ, inficitur caro prolis, & ex conjunctione animæ cum dicta carne inficiatur anima, contrahatque peccatum originale. Sed hic ſuboritur difficultas, quomodo illa qualitas corporea poſſit agere in animam ſpiritualem, eam inficiendo.

Anima rationalis inficitur à corporo.

3. Alii dixerunt, animam infici peccato originali à corpore cui illa infunditur; eo modo quo vinum inficitur à vaſe vitiato, non quaſi in corpore ſit aliqua qualitas inficiens animam, vel ei peccatum imprimens cum illud per ſe non ſit capax peccati formalis: ſed quia illa, corpori per ſeminalem rationem ab Adam

Adam deſcendenti, infuſæ, conſtituit hominem ſeminaliter ab Adamo deſcendentem; qui cum in Adamo peccaverit, conſequenter creatur privatus gratiâ originali; adeoque infectus peccato originali.

Itaque ad contrahendum dictum peccatum, neceſſaria eſt actualis generatio; ſiquidem illud nequit participari niſi à natura actu exiſtente, ad quod neceſſaria eſt actualis generatio, quæ fieri debet virtute ſeminis deciſi mediatè vel immediatè ab Adam; eò quod peccatum Adæ tantum transfundatur in illos, quorum caput fuit in eſſe naturali & morali.

Generatio non eſt actio per quã introducitur peccatũ originale.

Hic tamen oportet bene notare, generationem non eſſe actionem per quam producitur peccatum originale in poſteros Adæ, nam cum illud non ſit formaliter aliquid reale vel poſitivum, non producitur mediâ aliquâ actione poſitivâ; ſed cum ſit formaliter quidam defectus moralis, debet procedere à cauſa defectuoſa morali, qualis non eſt generatio humana; ſed peccatum Adæ quatenus capitis; dicente Apoſt. Rom. 5. *per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum, inquam, Adami eſt cauſa efficiens moralis peccati originalis in pueris; cum enim præſuppoſito divino decreto peccatum Adami fuerit peccatum capitis humani generis; ſequitur quod eo ipſo quo quis fit membrum illius capitis per generationem, ſtatim ſine aliqua interveniente cauſalitate contrahatur peccatum originale: ſicuti enim peccatum perſonale actuale ſufficiens eſt ſine nova aliqua cauſalitate ad inficiendum ſubjectum, ita ut in eo relinquat maculam habitualem; ita quoque peccatum Adæ de ſe ſufficiens eſt ad inficiendum membra, quæ cum ipſo conſtituunt quodammodo unum corpus, in quantum videlicet ſinguli homines creantur privati juſtitiâ originali, & conſequenter infecti maculâ originali ob actuale peccatum primi parentis nobis omnibus cum ipſo commune.

Ex dictis patet; quomodò explicanda ſint Concilia Millevitanum, & Tridentinum, dum dicunt, peccatum originale propagatione transfundi; non ſcilicet mediâ generatione tamquam actione productivâ; ſed tamquam conditione concomitanter & neceſſariò requiſitâ; quia nimirum anima per hoc fit membrum Adæ, atque adeo per hoc ſubjectum peccati originalis.

Dices; ſaltem ſequitur quod Adam ſemper peccet quotieſcumque aliquis homo generatur; in quantum nimirum ex vi ſui actus peccatum tali homini communicatur.

Adã pœnitentiam ſuſtulit.

Reſp. neg. ſequelam: quia Adam per pœnitentiam ſuſtulit cauſam derivationis talis peccati; adeoque

 fecit

fecit per hoc ne mali effectus inde ſecuti illi imputarentur: eo modo quo pollutio in ſomno non imputatur illi, qui ante ſufficienter doluit de cauſa illi data. Inſuper eſto Adam non egiſſet pœnitentiam, non diceretur peccare ipsâ actuali traductione peccati originalis in puerum; eò quod illa traductio poſtquam ille peccavit non ſit illi amplius libera; adeoque illam tollere eſt ipſi impoſſibile.

DUBIUM V.

De ſubjecto Peccati Originalis.

Subjectum aliud remotum aliud proximum.

OBſervandum, dubium intelligi poſſe de ſubjecto remoto, vel proximo; quod attinet ad ſubjectum proximum, illud nullo modo eſt in carne tamquam in ſubjecto, ſed in anima; cum enim illud formaliter ſit privatio, ſubjectatur in eo quod eſt capax formæ oppoſitæ; nempè juſtitiæ originalis; ergo &c. Præterea in eo poteſt peccatum originale tantum eſſe tamquam in ſubjecto, quod eſt capax culpæ; quale eſt anima, non verò caro.

Petes, quomodo peccatum originale ſit in Adamo.

Reſp. ſicut effectus in ſua cauſa principali, in ſemine verò ſicut in cauſa inſtrumentali; eò quod natura humana ſit in eo tamquam in cauſa ſua inſtrumentali: unde cauſa traducens naturam humanam corruptam, traducit quoque ſimul ipſum peccatum originale.

Petes; an ergo anima in ſtatu naturæ lapſæ non creetur à Deo bona.

Anima in ſtatu naturæ lapſæ creatur à Deo bona quoad entitatem phyſicâ.

Reſp. affirmativè; quantum ad bonitatem phyſicam: quantum verò ad bonitatem moralem, Deus nec facit illam bonam nec malam: non bonam, quia cùm anima primo inſtanti habeat malitiam, ſimul eſſet bona & mala, quod eſt impoſſibile: non malam, quia Deus nequit eſſe cauſa mali moralis; quod autem illa mala ſit, hoc habet à carne corrupta illam inficiente, ſecundum explicationem ante datam.

Petes; an hoc ipſo non contrahatur peccatum originale quo quis naſcitur filius Adæ.

Non eo ipſo cõtrahitur peccatũ originale præciſé per hoc, quod quis naſcitur filius Adæ.

Reſp. negativè; nam, ut ſtatim dicemus, Beatiſſima Virgo nata eſt filia Adæ; & tamen eo ipſo non contraxit peccatum originale; ſed ideo filii Adæ contrahunt peccatum originale, quia Deus voluntates filiorum Adæ, jure ſupremi dominii, poſuit in voluntate Adami unde niſi eſſemus creati cum tali voluntate, non contraheremus peccatum originale: eapropter prius naturâ eſt, hunc hominem eſſe filium Adæ, quam intelligatur infectus peccato originali.

Petes; an peccatum originale nullo modo dici poſſit eſſe in carne.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Affirmativè: nempe ſecundum pœnam; non verò ſecundum culpam, utpote quæ ſit incapax culpæ: & hoc modo quoque dicitur eſſe in potentia generativâ, concupiſcibili &c.

Omnes filii Adæ contrahunt debitū peccati originalis.

Dico ſecundò; quod attinet ad ſubjectum remotum, ſive quoad illos qui inficiuntur peccato originali; certum eſt ſecundum fidem Catholicam, quod omnes homines deſcendentes ab Adam via generationis ordinariâ contrahant debitum, obligationem, & neceſſitatem contrahendi peccatum originale: prout conſtat ex Scriptura ad Roman. 7. *In quo omnes peccaverunt.* & rurſum Epheſ. 2. *eramus natura filii iræ.*

Dico tertio; fide certum eſt Chriſtum Dominum nec contraxiſſe debitum peccati originalis, nec in eo fuiſſe conceptum; eò quod non ex ſemine viri, adeoque non ab Adamo per ſeminalem propagationem deſcenderit; ſed conceptus ſit de Spiritu Sancto.

Petes; an Beatiſſima Virgo non peccaverit in Adamo.

Reſp. Affirmativè: nam alioqui non contraxiſſet debitum, ſeu obligationem contrahandi peccatum originale, nec à Deo fuiſſet præſervata, nec Chriſti ſanguine redempta; ſiquidem, redimi, ſupponit aliquem ad minus neceſſitati contrahendi peccatum originale obnoxium, prout illa fuit obnoxia in quantum per ſeminalem propagationem deſcendit ab Adamo.

Deipara Virgo de facto non cōtraxit peccatū originale.

Petes, an ipſa de facto contraxerit peccatum originale.

Reſp. negative; ſed ab illo fuit præſervata. Probatur. 1. quia Deus illam potuit præſervare; ergo fecit. 2. Quia conveniebat matrem Dei numquam fuiſſe ſervam diaboli. 3. Quia Tridentina ſydonus expreſsè declarat, non eſſe intentionis ſuæ, in decreto de peccato originali comprehendere BB. Virginem 4. Ex communi fidelium ſenſu approbantium feſtum immaculatæ ejus conceptionis. Et licet hoc non ſit fidei; vetuit tamen Paulus V. Pontifex Maximus, relicto cuique ſuum ſentire, oppoſitum docere, defendere, vel prædicare; idque ſub graviſſimis pœnis, quas Alexander VII nuper renovavit.

Petes; an S. Joannes Baptiſt. ſit conceptus ſine peccato originali.

Reſp. negativè; cum enim habeamus hanc generalem regulam Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt;* non eſt de hoc, vel aliis ſanctis tanta præſumptio eos particulari privilegio exceptos fuiſſe ab hac univerſali regulâ, ſicuti eſt in BB. Virgine: unde ſecluſo privilegio, omnes homines ab Adamo deſcentes, licet fidelium & juſtorum parentum filii, contrahunt generaliter peccatum originale. Quæ aſſertio eſt de fide, contra Calvinum, & Calvi-

Digitized by Google

Calviniſtas hęreticos, qui omnes fidelium parentum filios, etiam ante Baptiſmum, ſanctos eſſe dicunt; adeoque Baptiſmum illis non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem.

Probatur autem hæc aſſertio ex antiquiſſima eccleſiæ conſuetudine quâ parvulis, quantumvis juſtis, & ſanctis parentibus natis, magnâ ſolicitudine procuratur Baptiſmus, ne alioquin æternum peteant: juxta illud Chriſti, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei*. Eapropter Concil. Trid. Seſſ 5. Can 4. dicit anathema negantibus parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos.

Formatus miraculosè ex femore hūano non cōtraheret peccatum originale

Petes; quid ſi quis ex humanâ carne, v, g. ex femore miraculosè formaretur abſque humano ſemine; an ille peccatum originale contraheret.

Reſp. negativè; quia ſoli illi contrahunt peccatum originale, qui deſcendunt ab Adamo per rationem ſeminalem; hoc eſt qui virtute ſeminis mediatè vel immeditatè ab Adam ſunt propagati; talis autem tantum deſcenderet ab Adamo ſecundum corpulentam ſubſtantiam; quod non ſufficit ad contrahendum peccatum originale; quia peccatum Adami propagatur in poſteros per generationem; adeoque in quantum ſunt filii Adæ; eò quod illi ſoli contineantur in eo tamquam principio activo. præterea Con. Trid. Seſſ. 5. C. 3. ait; homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti: adeoque cum ille, qui miraculosè ex carne, ſive viri, ſive fœminæ formaretur, non naſceretur ex ſemine Adæ; ergo non naſceretur injuſtus; & conſequenter non obnoxius peccato originali; eo modo, quo Eva facta eſt ex coſta Adæ in juſtitia originali.

Monſtrum habens caput bovinū ȳ quodcumque aliud pelluinū non cōtrahit peccatū originale; eſto alia mēbra habeat humana.

Petes; an monſtrum, quod haberet caput porcinum, vel bovinum, cætera vero membra humana, contrahat peccatum originale.

Reſp. neg: eò quod caput ſit ſedes voluntatis & intellectus, quod cum ſit porcinum vel bovinum, non habet intellectum vel voluntatem; & conſequenter nec animam rationalem: adeoque non eſt homo & conſequenter non debet baptizari. Quod ſi verò monſtrum aliquod habet caput humanum, reliqua verò membra porcina vel bovina, debebit baptizari; quia præſumitur homo: quod ſi ſit dubium an ſit homo, nec ne, baptizabitur ſub conditione; *Si tu es homo, ego te baptiſo* &c. Quod ſi habeat duo capita, & duo pectora, præſumentur eſſe duo homines; adeoque baptizabuntur in plurali.

Petes; an peccatum originale, quod eſt unum numero in quolibet homine, ſit idem ſpecie in omnibus, & in omnibus æqualiter.

Peccatū origina.

R, Affir: cum enim peccatum originale duo includat, videlicet pri-

le eſt in omnibus idẽ ſpecie. privationem juſtitiæ originalis, & reſpectum hujus privationis ad primum Adæ peccatum, ſintque hæc duo in omnibus æqualia; ſequitur quod in omnibus peccatum originale debeat eſſe æquale.

Dices; quando cauſæ ſunt æquales, tunc & effectus debent eſſe æquales; ſed effectus peccati originalis non ſunt in omnibus æquales: quod probatur: quia alii ſunt aliis procliviores ad diverſa vitia: 2. quia materiale peccati originalis, quod eſt concupiſcentia, non eſt in omnibus æquale. 3. peccatum originale eſt quædem ægritudo animæ, ſed ægritudo corporis ſuſcipit majus & minus; ergo & peccatum originale.

Reſp. ad primum argumentum; æqualitatem cauſæ per ſe, inducere quidem æqualitatem effectuum, ſecus verò æqualitatem cauſæ removentis prohibens, qualis eſt privatio ſeu abſentia juſtitiæ originalis; ſicut enim ſi quis æquali impulſu duas columnas dejiciat, non faciet quod lapides illis ſuperimpoſiti æqualiter deſcendant, nam velocius deſcendet lapis gravior, hocque ſecundum proportionem ſuæ naturæ: ita quoque amotâ juſtitiâ originali, amquam causâ quæ inordinationem prohibet, humanum corpus relinquitur ſuæ naturæ, quod ſecundum diverſas complexiones diverſimodè movetur: cum enim juſtitia originalis omnes vires animæ ſuo fræno contineret, illâ ſublatâ, factum eſt, quod quælibet potentia intenſiùs vel remiſſiùs ſecundum majores vel minores vires feratur in objectum.

Quod ſpectat ad ſecundum argumentum deductum ab ægritudine corporali, eſt maxima diſparitas quoad ægritudinem ſpiritualem, qualis eſt peccatum; quia hæc totam ſanitatem tollit, corporalis verò non; adeoque ſuſcipit majus & minus.

DUBIUM VI.

An parvuli cum ſolo Originali mortui, ſint damnati.

Reſp. & dico primò, parvulos cum peccato originali hinc decedentes æternaliter puniri pœnâ damni conſiſtente in privatione viſionis beatificæ; quod eſt certum de fide: ut patet Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Eſtque definitum in Concilio Carthag. Apud Aug. Epiſt. 90. & in Milevit. can. 2. & Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato originali: ubi ferit anathemate eum qui negat parvulos ex Adamo trahere peccatum originale, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam. Parvuli in originali decedẽtes puniuntur pœna damni.

Dico 2. parvuli in peccato originali mortui, non perfruuntur (prout aliqui ſibi imaginantur) aliquâ beatitudine naturali, in qua videlicet habeant notitiam om- Nõ per fruũtur beatitudine naturali.

nium rerum naturalium, & Deum in talibus rebus naturalibus cognitum laudent & ament: probatur; quia ut aliquis eſſet beatus beatitudine naturali, requiritur ut haberet maximum gaudium, & careret omni triſtitiâ & peccato; quod non habent illi parvuli, quippe qui graviſſimam perferunt pœnam, ſcilicet privationem viſionis beatificæ, quæ gravitate ſuâ ſuperat omnem pœnam ſenſus; cum qua proinde non poteſt conſiſtere magnum gaudium: accedit, quod neque SS. Patres, neque Scriptura S. hujus naturalis beatitudinis umquam faciant mentionem: ſed illam à Pelagianis hæreticis fabricatam, tamquam Scripturis Sacris contrariam rejicit contra illos ſcribens S. Auguſt. ut lib. de Anima & ejus origine, parvulis non baptizatis ait, „nemo promittat inter dam- „nationem regnumque cælorum „quietis vel felicitatis cujuſlibet „quaſi medium locum: hoc enim „eis etiam hæreſis Pelagiana pro- „miſit.„ Et lib. 2. cap. 2. „no- „vellos hæreticos Pelagianos ju- „ſtiſſimè Concilium Catholico- „rum, & ſedis Apoſtolicæ dam- „navit auctoritas, eò quod auſi „fuerint dare parvulis quietis & „ſalutis loca, etiam præter regnum cœlorum.„

Petes; an parvuli in originali hinc decedentes, licet non ſint habituri beatitudinem naturalem, ſaltem poſt diem judicii non ſint remanſuri ſuper faciem hujus terræ, ut tamquam ruſtici hanc cum jucunditate incolent, ſaltem feliciorem & jucundiorem ducentes vitam, quam aliquis homo mortalis jam in hac vita.

Reſp. ſic aliquos ſentire: quæ opinio, cum non longè differat à ſententia Pelagiana, ſitque contraria S. Auguſt. meritò rejicitur à Bellarmino tamquam in fide erronea.

Dico tertiò; parvuli cum originali hinc decedentes ultra pœnam damni, patiuntur quoque pœnam ſenſus: Probatur ex Auguſt. ſerm. 14. de Verbis Apoſtoli, ubi ait, Dominum in die judicii duas tantum facturum partes, dextram, & ſiniſtram: priori dicturum; *Venite benedicti*, & poſteriori; *Ite maledicti in ignem æternum*; & nullus relictus eſt medius locus, ait, ubi ponere queas infantes: his conformiter ſcribit S. Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. 14. „firmiſſi- „mè tene, inquit, & nullatenus „dubites, non ſolum homines ra- „tione utentes, verum etiam par- „vulos, qui ſive in uteris maternis „vivere incipiunt, & ibi moriun- „tur: ſive cum de matris utero „nati: ſine ſacramento baptiſmatis „decedunt, ignis æterni ſupplicio „puniendos. „Idem ſcribit Iſidorus lib. 1. ſentent 22. „pro ſolo ori- „ginali reatu luunt in inferno, re- „center nati infantes, pœnas, ſi re- „novati per lavacrum non fuerint.

Parvuli in originali decedētes patiuntur quoque pœnā ſenſus.

Proba-

Probatur ratione. Quia parvuli in originali decedentes habebunt corpora paſſibilia poſt reſurrectionem; cum que nullus ſit medius locus inter cœlum & infernum, & ipſi conſequenter futuri ſunt in inferno ignis; qui, tamquam ſufficienter illis approximatus, aget in ipſos, tamquam inſtrumentum divinæ juſtitiæ: deinde peccatum originale punitur in hoc ſæculo quamplurimis pœnis ſenſibilibus, & etiam ipsâ morte; ergo magis ſenſibiliter punietur in alia vita, cum tunc ſit tempus vindictæ.

Hanc ſententiam, tamquam SS. Patribus, & præſertim S. Auguſt. conformiorem, amplectitur Illuſt. D. Florentius Conrius Archiepiſcopus Tuamenſis in Hibernia, edito deſuper doctiſſimo libello, Lovanii anno 1624. impreſſo; & cum ipſo omnes penè Doctores Lovanienſes, & Duaceni; qui tractatum illum, non modò approbarunt, ſed & ſententiam ibidem traditam affirmarunt eſſe veram, & antiquam S. Auguſt. ejuſque diſcipulorum doctrinam.

Dices; Apocalyp. 18. dicitur, *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum*; ſed parvuli numquam ſe glorificaverunt, nec in deliciis fuerunt; ergo non punientur pœnâ ſenſus.

Reſp. neg. conſequentiam; & dico comparationem illam non eſſe accipiendam ſecundum æqualitatem rei ad rem, quaſi luctus & tormenta ſint reddenda in eadem intenſione & duratione, in qua fuerunt gaudium & deliciæ; cum certiſſimum ſit pœnas inferni eſſe æternas, delicias verò hic fuiſſe momentaneas: præterea peccata illa, quæ nullam habent annexam delectationem puniuntur igne ſempiterno, ut acedia, invidia, deſperatio &c. eapropter dicta comparatio venit intelligenda ſecundum proportionem peccati ad ſupplicium; ita ſcilicet ut ſignificetur majoribus peccatis, majora tormenta, & minoribus, minora irroganda.

Dices; nec ex Scriptura, nec ex conciliis, nec ex traditione Eccleſiæ certò conſtat, quod ſimiles pueri ab igne torqueantur.

Reſp. Verum quidem eſt hoc non eſſe de fide: quia tamen ſancti Patres hoc perſuadent, & præſertim S. Auguſt. ut patet ex Florentio Conrio ante citato expreſsè hoc tractante, idcircò in hac ſententiarum diverſitate prudens Parochus adhærebit noſtræ; eo fine, ut omni ſtudio caveatur, ne fætus animatus in utero materno exſtinguatur; & ubi in lucem prodierit, ne ſine baptiſmo moriatur: quandoquidem alioquin, ſi ſic infantulum mori contigerit, in æternum ille damnetur, & pœnas gehennæ cogatur ſuſtinere: ubi tamen quandoque acciderit infantem abſque matris culpâ ſine Baptiſmo fuiſſe mortuum, tunc prudens confeſſarius in conſolationem matris dicere

 poterit,

poterit, eſſe quidem fide certum, quod infantulus ille in æternum privetur viſione beatificâ, non tamen eſſe certum, quod ſuſtineat pœnas inferni.

DUBIUM VII.

Quænam naturæ corruptio ex Peccato originali ſit conſecuta.

SUnt in hoc puncto duo errores hęreticorum extreme oppoſiti. 1. Pelagianorum, qui dicebant humanam naturam per peccatum Adæ nullo modo eſſe corruptam, vitiatam, vel debilitatam; eò quod homo, etiam ante peccatum, fuerit morti, concupiſcentiæ, aliiſque defectibus humanæ naturæ ſubjectus.

Alter error eſt hæreticorum noſtri temporis, qui adeo hominis naturam per peccatum docent eſſe corruptam, ut dicant etiam amiſſum eſſe liberum arbitrium. His ſuppoſitis.

Certum eſt de fide naturam humanam per peccatum originale eſſe corruptam.

Reſp. & dico 1. fide certum eſt hominis naturam per peccatum aliquo modo eſſe corruptam. Ita S. Thomas, qui quæſt: 17. ait, quatuor vulnera animæ eſſe inflicta ex peccato primi parentis: ſcilicet vulnus ignorantiæ in intellectu; vulnus malitiæ in voluntate; vulnus infirmitatis in appetitu iraſcibili; vulnus concupiſcentiæ in appetitu concupiſcibili.

Probatur hæc aſſertio 1. ex Scripturâ, Pſalmo 40. *Ego dixi Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.* In quem locum S. Auguſt lib. de Natura & gratia „quid ſanatur, inquit, ſi nihil eſt vulneratum?„ 2. Probatur ex Concilio Arauſicano Can. 1. „ſi quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt, „ſecundum corpus & animam in „deterius dicit hominem mutatum, Pelagii errore deceptus, „adverſatur Scripturæ Sacræ dicenti Ezechielis 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et in Trid. Seſſ. 6. Capite. 1. definitur hominis arbitrium minimè extinctum, tamen viribus attenuatum & inclinatum eſſe.

liberũ arbitriũ per peccatum orig. eſt attenuatum, nõ extinctum.

Petes, in quo præciſè conſiſtat corruptio naturæ.

In quo cõſiſtat corruptio naturæ humanæ facta per peccata originale.

Reſp. in diſſolutione iſtius ordinis & harmoniæ quam juſtitia originalis, tamquam donum ſupernaturale, in homine efficiebat; videlicet ut corpus animæ, ſine morbis & moriendi neceſſitate; ſenſualitas voluntati ſine inordinatione concupiſcentiæ; voluntas Deo, ſine peccato, ſubjaceret. Adeoque per peccatum originale inflictum eſt tamquam vulnus in voluntate, malitia; in intellectu cœcitas: in appetitu inferiori, concupiſcentia: & in potentiis corporeis, infirmitas.

Quot & quę vulnera inflicta animæ per peccatum originale.

Petes; an hæc quatuor vulnera, quibus quatuor potentiæ animæ noſtræ per peccatum ſunt vulneratæ,

ratæ, ſuperaddant aliquid potentiis præter privationem juſtitię originalis.

Reſp. quod illi Authores qui hominem qualis modò ex Adam naſcitur, ab eo qui in puris naturalibus crearetur, non aliter diſtinguunt, quam ſicuti diſtinguitur nudus à ſpoliato, conſequenter dicunt, hæc nihil aliud ſuperaddere: alii verò qui duos illos homines diſtinguunt, veluti nudum, ſpoliatum & vulneratum; dicunt hæc vulnera inſuper aliquid ſuperaddere potentiis noſtris præter privationem juſtitiæ originalis; non quidem qualitatem aliquam morbidam, ſed propenſionem aliquam, ſeu proclivitatem in malum; ita ut per peccatum originale intellectus humanus ſit magis tardus & hebes ad veritatem aſſequendam, facillimus ad errorem 2. Appetitus ſenſitivus in delectationem ſenſuum magis proclivis &c.

Quid vulnus ignorātiæ.

Petes; quid ergo ſit ignorantia, quæ eſt primum vulnus naturæ.

Reſp. eſt privatio ſcientiæ rerum tam ſupernaturalium, quam naturalium, earum quæ ad vitam ſunt neceſſariæ, cum proclivitate ad ſequendos errores, & difficultate ad aſſentiendum veritati.

Quid vulnus malitiæ.

Malitia verò, non eſt aliud quam proclivitas voluntatis ad malum, per quam tanta eſt in voluntate difficultas ad bonum, ut licet naturale ſit homini vivere ſecundùm rationem, tamen ad hoc multiplicibus pœnis cogi debeat.

Quid vulnus concupiſcentiæ.

Concupiſcentia, eſt proclivitas appetitus noſtri ad ſenſibilia contra ordinem rationis.

Quid vulnus infirmitatis.

Infirmitas, eſt animæ noſtræ debilitas ad adverſa toleranda.

Ex his patet, quo ſenſu verum ſit, quod ait venerabilis Beda in cap. 10. Lucæ, quodque tamquam axioma in Theologia eſt receptum, ſcilicet hominem, per peccatum vulneratum eſſe in naturalibus, & ſpoliatum gratuitis.

DUBIUM VIII.

An poſſit in aliquo homine reperiri peccatum originale cum ſolo veniali.

An teneatur homo primo inſtanti uſus rationis ſub peccato mortali cōvertere ſe ad Deū.

Deciſio hujus dubii pendet à famoſa quæſtione in Schola Sancti Thomæ ventilata: an ſcilicet homo, quam primùm ad uſum rationis pervenerit, teneatur ſe, ſuaque omnia ſub mortali peccato referre ad Deum per actum amoris Dei ſuper omnia: ad quam ipſe reſpondet affirm. ita tamen ut tempus, quo homo incipit uti ratione, non ſit accipiendum mathematicè; nec præcisè illud intelligendum, quo organa ſunt diſpoſita ad utendum ratione; ſed ut illud intelligatur, quod moraliter & humano modo appellari poteſt initium vitæ rationalis: ratio S. Thomæ eſt; quia exſtat præceptum Zachariæ

chariæ 1. *Convertemini ad me ...... & ego convertar ad vos*; quod eſt divinum naturale; quod qui violat, cum ſit notabile, peccabit mortaliter.

Nô tenetur homo, quam primû venit ad usû rationis, elicere actuur amoris Dei ſuper omnia.

Verùm hanc doctrinam plurimi tum veteres, inter quos S. Bonav. Durandus, Richardus; & recentiores non pauci impugnant; dicentes nullum exſtare præceptum in primo inſtanti uſus rationis ſe convertendi ad Deùm ſub mortali: quod enim attinet ad allegatam Scripturam Zachariæ 1. illam ad litteram intelligi debere de converſione ad Deum per contritionem & pœnitentiam ſuper peccatis actualibus: deinde illud præceptum, ſi eſſet, eſſet affirmativum; adeoque etſi ſemper obligaret, non tamen pro ſemper: inſuper qui eſt in mortali, non tenetur ſe quam primùm per contritionem convertere ad Deum; ergo nec is qui eſt in originali: propter quæ & ſimilia argumenta, oppoſita ſententia, ſcilicet non exſtare præceptum ſe ſuaque omnia ex amore Dei ſuper omnia ſub mortali referendi ad Deum in initio uſus rationis, eſt valde probabilis.

Obligatur tamen ſe & ſua referre in Deû tamquâ in finê ultimû.

Nos interea mediâ viâ incedentes, & inhærentes doctrinæ Sancti Auguſt. traditæ tract. 2. dub. 10. hujus operis, dicimus, exſtare quidem præceptum divinum naturale ſe ſuaque omnia ad Deum referendi tamquam ad finem ultimum omni tempore; prout latè ibidem deduximus: quod conſequenter obligat quemlibet ubi ad uſum rationis pervenerit, non tamen ſub mortali; adeoque poſſe conſequenter conſiſtere peccatum veniale cum ſolo peccato originali; prout patet in illo, qui ſolum illud præceptum violaret in originali exiſtens.

Etiam primo inſtanti uſus rationis

Non tamê ſub peccato mortali.

Petes; an ſuppoſitâ veritate ſententiæ S. Thomæ, non ſequatur quemlibet Chriſtianum debere dubitare an illud præceptum ſervaverit illo initio, quo ratione cœpit uti; & conſequenter, an adultus factus non teneatur illud confiteri.

Reſp. Eum qui ad annum diſcretionis perveniens, intelligit ſe à ſuis parentibus vel tutoribus, etiam necdum ratione utentem, fuiſſe piè & honeſtè educatum, & aſſuefactum iis, quæ Chriſtiana religio tradit, poſſe præſumere quod dictum præceptum non omiſerit: qui verò ejuſmodi indicia non habet, poteſt in ſententia S. Thomæ meritò dubitare, an non in dicti præcepti omiſſione peccaverit, ac per conſequens debebit illud peccatum ſub dubio confiteri; niſi velit ſequi oppoſitam ſententiam, quæ tale præceptum vel non admittit vel ſaltem non admittit obligationem ſub mortali.

DU-

DUBIUM IX.

De Reatu Pœnæ.

Quid pœna. NOta, quod pœna & peccatum ſint correlativa, ſicut effectus & cauſa. Pœna autem non eſt aliud quam malum aliquod naturæ vel voluntati contrarium ad vindicandum culpam inflictum, & licet pro genere definiti ponatur malum, pœna tamen non eſt malum ſimpliciter, prout eſt peccatum; ſed tantum ſecundum quid: unde Deus poteſt illius eſſe auctor.

Dices; ſubtractio gratiæ eſt pœna; ſed illa nec naturæ, nec voluntati peccatoris eſt contraria; ergo &c.

Reſp. Non requiri ut pœna actu ſit contraria voluntati, ſed ſufficit quod voluntas ſecundum rectam rationem illi debeat eſſe contraria.

Petes; quid ſit reatus pœnæ.

Quid reatus pœnæ. Reſp. Eſt morale quoddam debitum, vel obligatio ad pœnam ſubeundam orta ex culpa comiſſa. unde Chriſtus non habuit reatum pœnæ: quia ille dicit relationem ad peccatum perſonaliter commiſſum.

Petes, an reatus ſit diſtinctus à pœnâ & culpâ.

Reatus diſtinguitur à pœna & culpa. Reſp. affirmativè: quia poteſt ſubſiſtere ſine illis; ſiquidem in purgatorio manet pœnæ reatus ſublatâ culpâ; & in hac vita ſublata culpâ manet reatus pœnæ in purgatorio luendæ.

Petes, quas pœnas homo per unum peccatum actuale incurrat.

Peccator incurrit triplicē pœnā per actum peccaminoſum. Reſp, tres; nempè ſecundum triplicem ordinem quem peccator pervertit. 1. quidem pervertit ordinem rationis, cui correſpondet vermis conſcientiæ. 2. ordinem legis humanæ; cui correſpondet pœna inflicta à judice ſeu ſuperiore. 3. ordinem legis divinæ; cui correſpondet pœna inflicta à Deo, vel infligenda.

Petes; an unum peccatum poſſit eſſe pœna alterius peccati; ſive an ſecundum peccatum poſſit eſſe pœnâ primi.

Peccatū formaliter ſumptū numquam poteſt eſſe pœna peccati. Reſp. peccatum formaliter ſumptum numquam poteſt eſſe pœna alterius peccati; quia pœna infligitur ad vindicandam culpam; ſed peccatum nequit eſſe conveniens medium ad vindicandam culpam priorem; cum enim ſecundum peccatum ſit Deo injurioſum, nullatenus eſt idoneum medium quo reparetur injuria per primum peccatum illata; unde nemo prudens procurabit ſibi inferri ſecundam injuriam ad tollendam primam, accedit quod Deus nequeat peccatum directè intendere, pœna autem ab infligente directè intenditur.

Dices, ad Rom. 1. ait Apoſt. quod Deus gentes ob priora peccata tradiderit in reprobum ſenſum, in immunditiam &c. Unde S. Aug. l. 1. Confeſ. c. 12. „ juſſiſti Domine, „ ait, & ſic eſt, ut pœna ſibimet ſit „ omnis inordinatus animus. „

Reſp.

Secus materialiter ſũptum & ratione effectuum

Reſp. inde ſolum ſequi unum peccatum poſſe aliquo ſenſu eſſe pœnam alicujus peccati, quamvis non ſub ratione peccati; ſed ſolum vel ſub ratione cauſæ, vel effectus, vel ratione ſubſtantiæ actus peccaminoſi: & quidem peccatum poteſt eſſe pœna peccati ſub ratione cauſæ, in quantum eſt removens prohibens, ſcilicet ipſum divinæ gratiæ auxilium, quod Deus quandoque ſubſtrahit in pœnam peccatorum præcedentium; & quo ſublato, homo labitur in peccatum. 2. Peccatum poteſt eſſe pœna peccati ratione ſubſtantię actus peccaminoſi, quatenus ille laborioſus & moleſtus eſt; quod contingit tam in actu interno, ut cum quis irâ tabeſcit; quam in exteriori, prout contingit, dum quis magnis moleſtiis & injuriis aëris ſe exponit, ut illicitâ aliquâ voluptate perfruatur: prout ait Sapiens cap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* 3. Peccatum eſt pœna peccati ratione effectus quem poſt ſe relinquit, v.g. triſtitiæ, melancholiæ, &c. quæ ex peccato oriuntur.

Peccatũ mortale inducit reatum pænæ ęternæ.

Petes; an aliquod peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.

Reſp. Affirm. quod eſt de fide contra Origenem: quem tamen aliqui excuſant quaſi error ille à ſuis æmulis libris ſuis ſit inſertus. Probatur verò ex Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Dices; ex hac Scriptura quidem ſequi ignem eſſe æternum; non tamen homines in æternum arſuros.

Reſp. idcirco additur, *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Definitur inſuper hæc veritas in Concil. Lat. ſub Innocentio III. cap. *firmiter* & in Trid. Seſſ. 6. cap. 15.

Petes, an hæc non poſſint intelligi de pœna dæmonum, quod hæc ſit futura æterna; non verò malorum Chriſtianorum.

Reſp. negativè ſed hæc debere intelligi de omnibus in mortali decedentibus. Pro quo nota, unicuique peccato mortali correſpondere duplicem pœnam, nempè damni & ſenſus: prima conſiſtit in privatione viſionis beatificæ; ſecunda in ſupplicio ignis æterni: ratio utriuſque pœnæ eſt, quia in quocumque peccato mortali reperiuntur hæc duo; nempè averſio à Deo, cui correſpondet pœna damni; & converſio ad creaturas, cui correſpondet pœna ſenſus: & juſté quidem, ut is qui convertit ſe inordinatè ad creaturas, ab illis patiatur; & qui ſe ſuâ voluntate avertit à ſummo bono, numquam fruatur ejus aſpectu. — Cuilibet peccato reſpondet duplex pœna, nempe damni & ſẽſus

Nullũ peccatũ punitur ſupra demeritum.

Petes, an non ſit ſupra demeritum, & ſupra condignum punire pœnâ æternâ aliquod peccatum quod durat tantum quandoque uno momento.

Reſp. 1. & exclamo cum Apoſt. Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles*

Digitized by Google

Unde fiat quod peccatũ æterno ſupplicio puniri poſſit.

ſligabiles viæ ejus! 2. Hoc provenire partim ex abſoluta Dei voluntate, qui, cum in homines habeat ſupremum dominium, potuit peccatum mortale ſub pœna æterna prohibere; ſicuti quoque actum momentaneum bonum poteſt præmio æterno remunerare: partim etiam ex natura peccati quod de ſe æternum eſt; nam qui ſemel mortaliter peccavit, non poteſt ſuis viribus amplius reſurgere, eſto in æternum viveret: & conſequenter peccatum eſt illius naturæ, quod viribus humanis numquam poſſit tolli, & eatenus æternum: his adde in nullo judicio requiri ut pæna proportionetur culpæ ſecundum durationem; alioquin enim homicidium vel furtum, quod in momento quandoque committitur, deberet quoque momentaneâ tantum pœnâ puniri; quod falſum eſt: hoc tamen verum eſt, quod pœna debeat proportionari gravitati & demerito culpæ, quæ non ſolùm ex duratione, verùm etiam ex gravitate materiæ, & inſuper ex dignitate perſonæ quæ offenditur, & aliis circumſtantiis debet deſumi.

Pœna ut ſit juſta non debet cõmenſurari culpæ quoad durationem.

Dices; *Miſerationes Dei ſuper omnia opera ejus* Pſ. 144. ſed ſi culpa peccatoris æternaliter puniatur, juſtitia Dei erit major quam miſericordia; & conſequenter hæc Scriptura erit falſa.

Reſp. dictam Scripturam diverſimodè poſſe intelligi. prim. Quoad hanc præſentem vitam, in qua juſtè Deus potuiſſet omnes homines excludere à regno cælorum ob peccatum Adæ, voluit tamen multorum miſereri, tam in hac vita, quam in altera, in quantum in inferno non infligit tantam pœnam, quantam peccata merentur. 2. Poteſt dicta ſcriptura intelligi abſolutè; ita ut miſericordia illius luceſcat in omnibus operibus ejus, in quantum omnia opera, quæ facit, proveniunt ex pura ejus miſericordia.

Petes; an peccato mortali correſpondeat pœna infinita.

Reſp. Prout ſupra diximus, duo in peccato mortali reperiuntur; videlicet averſio à bono infinito, & converſio ad creaturam; averſioni correſpondet privatio viſionis beatificæ; quæ licet intrinſecè ſit finita, quippe quæ eſt privatio formæ finitæ, tamen extrinſecè & objectivè eſt infinita. Converſioni ad bonum commutabile correſpondet pœna ſenſus, nempe cruciatus ignis; qui non poteſt eſſe infinitè intenſus, eò quod ignis nequeat producere qualitatem infinitè intenſam.

Dices; qui lædit hominem, tantò graviorem pœnam meretur quantò dignior eſt is qui læditur; ſed Deus, qui per peccatum læditur, eſt infinitus; ergo peccatum meretur infinitam pœnam.

Reſp. illud mereri pœnam infinitam ſecundùm quid; nempe ſecundùm durationem; non verò ſecundùm intenſionem; eò quod Pœna peccati quomodo ſit infinita

averſio, per quam offenditur Deus, ſimiliter conveiſio ad bonum commutabile, ſint intrinſecè finitæ.

Dices, converſio, quæ reperitur in mortali, non eſt ſemper ad bonum commutabile, ſed quandoque ad bonum infinitum, veluti ſi quis Deum odio habeat, vel blaſphemet.

Reſp. negat. Aſſumptum: quia etiam in illis, & quibuſcumque aliis caſibus homo convertitur ad bonum commutabile, nempe ſe ipſum; vel ad aliud bonum, quod Deo ſuo præfert.

Petes; an omnis pœna ſit propter culpam.

Omnis pœna ſimpliciter dicta eſt propter culpã.

Reſp. Affirm. loquendo de pœna propriè & ſimpliciter dicta: hinc Ezech. 15. dicitur *anima quæ peccaverit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris.* Et ratio eſt, quia per pœnam reparatur inæqualitas per peccatum admiſſa; quatenus nimirum aliquis contra voluntatem ſuam patitur aliquid, qui peccando voluntatem ſuam propriam eſt ſecutus. Quod ſi tamen pœna latius ſumatur, quatenus dividitur in ſatisfactoriam, medicinalem, & ſimpliciter dictam: ſic non omnis pœna eſt propter culpam: ſatisfactoria enim, quam quis voluntariè ſubit, non neceſſariò reſpicit culpam illius, qui illam ſubit: quod evidenter patet in Chriſto, qui paſſus eſt; & ita quoque inter fideles unus pro alio perſolvere poteſt pœnales ſatisfactiones: præterea pœna medicinalis propriè non habet rationem pœnæ; quia ut ſic non habet rationem mali, ſed boni utilis, tamquam medii ad conſequendum bonum majus: quo modo detrimenta rerum naturalium, item morbi & afflictiones corporis ſæpè habent rationem medicinæ, quatenus à Deo immittuntur ob ſanitatem animæ. Idem ſit judicium de multis miſeriis & calamitatibus hujus mundi, quæ hominibus juſtis & pœnitentibus non ſemper immittuntur in punitionem peccatorum præcedentium, ſed quandoque ad cautelam in futurum vel approbationem patientiæ aut exercitium alicujus virtutis: ut patet in Apoſt. *ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Ita ut meritò hæc propoſitio à Pio V. ſit damnata; *Omnes juſtorum afflictiones ſunt peccatorum ultiones.* Hinc cum Joan. 9. Apoſt. à Chriſto inquiſiviſſent de cæco à nativitate, ob cujus peccatum cæcus ille ſic natus eſſet: Reſpondit Chriſtus *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Ita quoque SS. Martyres plurima tormenta paſſi ſunt ut fides Chriſti, & virtus ſacramentorum mundo inoteſceret; nonnumquam permittit quoque Deus juſtos & bonos affligi ob terrorem malorum ut cogitent, ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet; hoc tamen notandum, omnes has piorum afflictiones

Non ſic tamen pœna medicinalis.

Omnes piorum afflictiones ſunt effectus peccati originalis.

nes eſſe effectus peccati originalis, tamquam cauſæ removentis prohibens.

Petes; an quis quandoque non puniatur pro peccato alterius.

Poteſt quis puniri pœnâ ſatisfactoriâ pro peccatis alterius.

Reſp. Affirm. ſcilicet pœnâ ſatisfactoriâ, ut ſupra: quod etiam contingit de pœna prout habet rationem medicinæ; ſic quandoque pater juſtè punitur in filio, rex in ſubdito; in quantum ſcilicet res ſunt peccantium; ita ut ipſi propriè puniantur in deſtructione rerum ſuarum: quod ſi tamen filius, vel ſubditus ſit particeps culpæ, tunc illa punitio erit pœna ſimpliciter dicta reſpectu utriuſque; ſecus verò ſi non ſit particeps culpæ tunc enim pœna illa ſerviet filio, vel ſubdito adinſtar medicinæ; patri verò, & regi adinſtar pœnæ propriè dictæ.

Petes; an pœnæ ſpirituales, quales ſunt ablatio gratiæ ſanctificantis, item gratiæ actualis, vel alterius virtutis, poſſint eſſe medicinales.

Pœnæ ſpirituales, quales ſunt ablatio gratiæ ſanctificantis aut gratiæ actuails, nō ſunt medicinales.

Reſp. negativè; quia pœnæ medicinales ordinantur à Deo ad aliquid melius; pœnæ autem ſpirituales non ordinantur ad aliquid melius; eò quod bonum animæ, cujus ablatio eſt pœna ſpiritualis, non ordinetur ad aliquod quod ſit homini melius. Dicente Salvatore Matth. 16. *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Petes; an ergo bona ſpiritualia nequeant filio vel ſubdito auferri in pœnam patris vel regis.

Reſp. negativè: quia nemo debet puniri pro peccato alterius in illa re, in qua non ſpectat ad alterum; ſicuti filius ſecundum animam nihil eſt patris, neque ſubditus regis.

Dices, permittit nonnumquam Deus regna integra, provinciaſque venire in poteſtatem hæreticorum, infidelium, & turcarum; unde contingit eos non tantum ſpoliari uſu Sacramentorum, divinorum officiorum, Eccleſiarum, monaſteriorum, qui ſunt participes illorum peccatorum propter quæ Deus illa permittit, ſed etiam innocentes.

Reſp. hæc eſſe vera; non tamen obeſſe antedictis: ſiquidem illa intelliguntur de bonis internis animæ, quibus anima nequit ſpoliari pro peccatis alterius: ſecùs verò de bonis ſpiritualibus externis; prout benè probat argumentum, quo tamen caſu innocens qui his privatur, non verè punitur, ſed ſolum negantur illi auxilia illa, quæ ei non debentur, utpote merè gratuita.

Petes; an ſaltem ſimilium bonorum ſpiritualium privatio ſit pœna medicinalis reſpectu innocentium, qui non ſunt participes peccatorum, propter quæ Deus illam permittit.

Reſp. per ſe loquendo non eſſe medicinalem; cum ſecundum ſe neque ad virtutis progreſſum ſeu profe-

profectum, neque ad peccatorum fugam conducant: poſſe tamen per accidens fieri medicinales, in quantum occaſione privationis ſimilium bonorum ſpiritualium externorum ſuſcitatur in illis major fervor & appetitus illa habendi & quærendi.

Hic Lector.

OCulis mentis tuæ circumſpice grave jugum impoſitum ſuper filios Adæ à die exitûs de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Et quomodo vitiatæ radicis macula ita propaginis traduce per generationem in ſarmenta diffuſa ſit; ut nec infans unius diei à culpa primæ prævaricationis ſit liber. Recenſe, ſi potes catalogum malorum omnium ex hac vitiata radice proficiſcentium. Quid enim aliud indicat horrenda illa profunditas ignorantiæ, quæ omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum ac noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines? Quid aliud indicant tot concupiſcentiæ & tot immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere: in quas propendet corrupta natura.

Attamen age gratias Deo Patri per filium ejus in ſpiritu S. qui propter multam charitatem, quâ dilexit te, miſertus eſt tui: & cum eſſes mortuus peccato, convivificavit te Chriſto, ut eſſes in ipſo nova creatura, novumq; figmentum. Depone ergo veterem hominem cum actibus ſuis & adeptâ participatione generationis Chriſti per Baptiſmatis Sacramentum omnibus carnis renuntia conſtanter operibus. Agnoſce, obſecro, dignitatem tuam, & divinæ factus conſors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum, reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum tranſlatus es in Dei lumen ac regnum, & Spiritus S. factus es templum. Noli proinde tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubjicere ſervituti; quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti, qui in miſericordia te redemit.

TRACT.

TRACTATUS XVII.

De Legibus.

OBSERVARE hic oportet, Theologos ſub alia ratione tractare de Legibus, quā juriſperitos: ſiquidem hi tractant de illis, quatenus ſunt media ad communem pacem ſervandam & reipublicæ gubernationem adminiſtrandam; illi verò de illis agunt, quatenus ſunt quædam regulæ & menſuræ humanarum actionum, à quibus illarum bonitas vel malitia dependet; & conſequenter tractant de illis quatenus ſunt natæ hominem dirigere ad finem ultimum. Sub qua ratione de illis agemus: & ut in hoc tractatu ſervemus ordinem. 1. tractabimus de lege in communi. 2. De lege æterna. 3. De lege naturali. 4. De lege poſitiva divina. 5. De humana. 6. De conſuetudine. 7. De privilegiis.

QUÆSTIO I.

De Legibus in generali.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Lex in genere.

LEgis nomen à ligando rectè derivatur, quia obligat ſeu ligat ad agendum. Definitur communiter, ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo qui habet poteſtatem obligandi: hæcque definitio eſt legis prout eſt in ipſo legiſlatore. Pro quo notandum, legem tribus modis poſſe ſpectari: primò ſecundum ſe quo modo ſumpta non eſt aliud quam regula dirigens & obligans nos in actionibus noſtris; nam illa oſtendit quid faciendum, & quid omittendum, & ſimul ad hoc obligat: regula verò illa non eſt aliud, quam objectum complexum intellectus practici dictantis hoc vel illud faciendum vel omittendum. Secundò ſumitur lex prout eſt in ipſo legiſlatore; quo modo ſumpta competit ipſi definitio ſupra allegata. Tertiò ſumitur lex prout eſt in ipo ſubdito, quo modo ſumpta non eſt aliud quam judicium quo ſubditus judicat hanc vel illam regulam à ſuperiore præſcriptam, ſibi eſſe ſervandam. Lex tribus modis poteſt ſpectari.

Petes; cujus potentiæ actus ſit lex.

Reſp. intellectus; quod patet ex genere definiti definitionis ante datæ; & quidem ſic eſt actus intellectus, ut lex generatim ſumpta non includat eſſentialiter actum voluntatis; eò quòd tota ratio legis Eſt actus intellectus.

Non includit per ſe actum volũtatis.

gis conſiſtat in eo, quod ſit regula dirigens & obligans: quas functiones poteſt habere ſine actu voluntatis: quod inde patet, quia imprimis judicium practicum de re facienda vel omittenda non dependet eſſentialiter à voluntate; quod ſatis evidens eſt, quia eſt actus intellectus. Quod verò hoc dictamen poſſit inducere obligationem ſine actu voluntatis ipſius legiſlatoris, patet in lege naturali, quæ præſcribit ea facienda tempore & loco, quorum exercitium per ſe, & ex natura rei eſt neceſſarium ut homo cohæreat fini ſuo. Item præſcribit omittenda quæ talem habent repugnantiam cum recta ratione, ut per ſe creaturam rationalem dedeceant: quinimo, ut poſtmodum dicemus, ipſa lex naturæ non eſt aliud, quam ipſamet convenientia vel diſconvenientia rerum cum recta ratione, ſumendo legem prout eſt in ipſis rebus; eſtque objectum judicii divini præſcribentis talem regulam eſſe ſervandam. Unde, ut lex obliget hominem, non neceſſariò præſupponit in ipſo legiſlatore aliquem actum voluntatis, ſed ſatis eſt quod ipſum objectum conveniat, vel diſconveniat naturæ rationali; ſiquidem eo ipſo quo Deus judicat mentiri, vel fornicari, eſſe malum; & hoc ipſum indicat menti noſtræ, eo ipſo oritur in nobis obligatio illa non faciendi: & ejuſmodi judicium eſt lex naturæ prout eſt in Deo tamquam legiſlatore.

Dices; ejuſmodi dictamen implicitè continere voluntatem quâ Deus vult homines obligari.

Reſp. hoc gratis dici; cum enim dictamen propriè noſtræ conſcientiæ quo judicamus aliquid eſſe per ſe malum, ſufficiens ſit ut obligationem inducat ad illud non faciendum abſque aliquo actu voluntatis, cur non ſufficiet dictameǹ divinæ mentis ad ſimilem obligationem inducendam.

Dices; lex debet movere ad agendum; ſed movere eſt actus voluntatis.

Reſp. non eſſe de ratione legis, phyſicè & efficaciter movere eos qui legi ſubjiciuntur, ſed moraliter; prout faciunt qui ſuadent & hortantur: quod poteſt lex facere, eſto non includat actum voluntatis.

Dices; Scriptura Sacra frequenter exprimit legem nomine voluntatis: ſic Pſalmo 142. ait, *Doce me facere voluntatem tuam.*

Reſp. Scripturæ frequenter etiam exprimunt legem nomine intellectus: quare dico, loco Scripturæ citato, non agi de lege Dei naturali, ſed poſitivâ divinâ; à qua voluntatis actum non excludimus: unde dico nullam legem poſitivam poſſe eſſe abſque omni voluntatis actu; eò quod nudum judicium ſuperioris de re faciendâ vel omittendâ non habeat ſufficiens fundamentum obligandi ex rebus circa quas verſatur; eò quod illæ non

Nulla tamen lex poſitiva poteſt eſſe ſine actu volũtatis.

non judicentur vel tamquam ſimpliciter repugnantes fini ultimo, vel tamquam ſimpliciter neceſſariæ, ut creatura fini ſuo ultimo adhæreat; ſed judicantur tantummodò tamquam utiles. Quare neceſſe eſt ut voluntas legiſlatoris accedat, quâ velit ſubditos obligatos ad tales res adhibendas, vel omittendas.

Ex dicta definitione patet ad legem in communi 4. conditiones requiri: quarum. 1. eſt; ut feratur à legiſlatore ſuperiore. 2. Ut feratur ad bonum commune. 3. Ut ſit juſta. 4. Ut promulgetur. de quibus ſingulis, majoris claritatis causâ, ſingulatim agemus.

DUBIUM. II.

Quis poſſit condere Legem.

Homo privatus non poteſt eſſe cōditor legis.

RESP. nullus homo privatus habet poteſtatem condendi legem, ſed ſolus ſuperior legitimus, ratio eſt, quia lex ordinatur ad bonum commune; ergo is ſolus poteſt eam ferre, qui habet curam boni communis. Secundò lex debet dirigere & obligare ſubditos; nemo verò habet poteſtatem obligandi alios, niſi habeat juriſdictionem in alios; qualis eſt ſolus legitimus ſuperior. 3. Quia poteſtas condendi legem debet habere poteſtatem coactivam conjunctam ad legis obſervationem, puniendo ſcilicet contumaces & tranſgreſſores; idque ut efficaciter poſſit inducere ſubditos ad legis obſervationem; ſed nemo privatus habet poteſtatem coactivam in alium; quia par in parem non habet imperium.

Dices; Pater poteſt filiis ferre legem, ſicuti & magiſter diſcipulis, quamvis non habeant publicam poteſtatem & juriſdictionem in illos.

Alia eſt poteſtas œconomica, & alia politica.

Reſp. neg. Aſſumptum: pro quo nota, duplicem eſſe poteſtatem, unam œconomicam, & aliam politicam: inter quas hæc eſt differentia, quod prior, nempe œconomica, reſpiciat perſonas privatas, vel ſaltem communitatem imperfectam; poſterior verò reſpiciat communitatem perfectam; utpote quæ tendat ad gubernationem dictæ communitatis vel Reipublicæ. Poteſtas œconomica multis titulis acquiritur; & primò quidem per pactum, qualis eſt poteſtas domini in ſervum, item ſuperioris in ſubditum, qui per votum obedientiæ promiſit illi ſubeſſe, item viri in uxorem, cujus caput dicitur vir, per ordinem ad domus gubernationem, quandoque hæc poteſtas acquiritur carnali propagatione, qualis eſt patris in filium. Hac diſtinctione præſuppoſitâ.

Unde aliquis habeat ſuper alios poteſtatē œconomicam.

Dico patrem quidem poſſe præcepta imponere filiis, & ſuperiorem ſubditis per poteſtatē œconomicam: non verò per poteſtatem politicam ſeu juriſdictionis, quam non habet: neque verò ad condendam

poteſtas œconomica nōſufficit ut quis ferat legē

dam legem propriè dictam ſufficit poteſtas œconomica, ſed requiritur politica.

Poteſtas politica alicquibus contingit à Deo.

Petes; undenam oriatur illa poteſtas politica.

R. illam aliquando immediatè provenire à Deo, qui cum ſit omnium ſupremus dominus, poteſt hanc poteſtatem transferre in alios jure ſupremi dominii; prout antiquitus tranſtulit in Davidem, & Moyſem ad regendum populum Iſraëliticum: & in nova lege eam immediatè tansfert in Pontificem: quippe qui eam, nec à Cardinalibus, nec ab Eccleſia habet; ſed immediatè à Deo.

Aliquibus à corpore cõmunitatis.

Aliquibus verò contingit ab ipſa communitate; cum enim omnis perfecta communitas, tamquam corpus quoddam liberum, jus habeat regendi ſeipſam, poteſt communi conſenſu jus illud regendi transferre in unam aliquam perſonam, ejuſque poſteros; & hoc poſteriori modo reges reſpectivè in ſuis regnis poſſunt ferre leges, ſicuti & omnes principes ſupremi; prout & omnes civitates quæ in ſe retinent poteſtatem ſupremæ reipublicæ, idque pro terris reſpectivè ſibi ſubjectis; alioquin *Extra territorium jus dicenti non paretur impunè*.

Petes; an Epiſcopi reſpectivè in ſuis Diœceſibus poſſint ferre leges Eccleſiaſticas.

Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt ferre leges

Reſp. Affir: quia habent juriſdictionem & poteſtatem coactivam: unde habent poteſtatem faciendi ea, quæ ad ordinariam Eccleſiæ ſuæ gubernationem & commune animarum ſibi ſubjectarum regimen ſpectant; exceptis tamen quibuſdam caſibus gravioribus, qui ſunt reſervati Pontifici in ſignum ſupremæ poteſtatis.

Petes; an Epiſcopi poteſtatem condendi legem accipiant immediatè à Deo; ſicuti Pontifex Romanus.

Reſp. ſecundum aliquos negat. nam ſi illam immediatè à Deo haberent, non poſſet Pontifex illorum poteſtatem tollere, reſtringere, vel minuere: ſicuti Epiſcopus non poteſt poteſtatem alicui à Papa conceſſam tollere vel minuere. Præterea dicunt illam eſſe differentiam inter duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta Diſcipulos, in quorum locum ſuccedunt Epiſcopi, quod Apoſtoli immediatè à Chriſto poteſtatem ſuam acceperint; juxta illud Joan. 21. *Sicuti miſit me Pater, & ego mitto vos*; ſeptuaginta Diſcipuli verò mediantibus Apoſtolis poteſtatem ſuam acceperint: unde nullo Scripturæ loco demonſtrari poteſt illis immediatè à Chriſto collatam fuiſſe poteſtatem legiſlativam. Docent tamen SS. Patres Epiſcopos non 70. diſcipulis, ſed Apoſtolis jure divino ſuccedere. Unde Clemens Ep. 1. ad Jacob. fratrem Domini, aſſerit ſe à Divo Petro accepiſſe Apoſtolis ſucceſſiſſe Epiſcopos, 70. verò diſcipulis, præsbyteros. Idem docet S. Gregorius

Digitized by Google

gorius hom. 26. in Evang. Hier. in Epiſt. ad Evagr. Auguſt. ſerm. 24. de verbis Dom. Petrus Dami. lib. 5. epiſt. 9. & denique Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 4.

Præceptum latius patet quam lex.

Ex dictis collige; præceptum latius patere quam legem, adeoque ſe reſpectu legis habere ut magis commune; & licet hæc duo poſſint eſſe ejuſdem bonitatis moralis, quandoquidem poſſint eſſe ejuſdem virtutis actus, differunt tamen ſemper connotato; quia lex importat præceptum commune, & dicit reſpectum ad communitatem, ad cujus directionem ordinatur, non ſic autem omne præceptum: eſt autem communitas perfecta, multitudo hominum inter ſe fœdere aliquo conjunctorum in qua is qui præeſt, habet juriſdictionem politicam in alios.

Dices; Apoſtolus ad Rom. 2. ait quemlibet poſſe condere & ſtatuere legem: dicit enim *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: ejuſmodi legem habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*

Reſp. gentes dici ſibi eſſe lex, non quod ſinguli ponant ſibi vel multitudini legem; ſed quia, ſine poſitiva lege exterius ſibi tradita, agnoſcunt legem naturalem naturaliter inſculptam cordibus ſuis; quæ quidem lex non eſt ab ipſis tamquam auctoribus, ſed à Deo qui illam cum natura rationali mentibus ipſorum ſimul impreſſit.

DUBIUM III.

An lex debeat Ordinari ad bonum commune tamquam ad finem.

Lex debet ferri in bonū cōmune.

Dico primò; lex ad hoc ut ſit juſta debet ſervire bono communi, non verò privato ipſius legiſlatoris. Probatur 1. quia lex eſt regula quædam communis dirigens totam communitatem vel majorem ejus partem; quæ proinde eam debet dirigere ad bonum commune. 2 Finis debet eſſe proportionatus actui ejuſque principio; ſed lex eſt communis regula actionum moralium procedens ex publica poteſtate; ergo quoque finis ejus debet eſſe communis. 3. Niſi lex reſpiciat commune bonum, hoc ipſo erit inordinata & injuſta; eò quod contra rectam rationem ſit, commune bonum referre ad privatum. 4. Quia qui legem ferunt, vel à Deo, vel à communitate ſunt deputati ut commune bonum reipublicæ ſervent; ergo ad illum finem debent uti ſua poteſtate. Ex quo ſequitur legem eo ipſo eſſe injuſtam & invalidam quę ſpectat ad bonum privatum; eoſque non reges, ſed tyrannos eſſe qui ſtudent propriis commodis in ferendis legibus.

Lex illa eſt injuſta quæ particulare tantum bonum ſpectat.

Dices; ſunt plurimæ leges validæ quæ tamen non commune bonum, ſed privatum videntur reſpicere: quales ſunt quæ latæ ſunt in

favorem particularium perſonarum, pupillorum, minorenniũm &c. præterea eſt lex naturalis de propria vita tuenda, lex de eleëmoſyna indigenti tribuenda, item lex de correptione fraterna; quæ omnes leges videntur reſpicere bonum particulare.

Lex poteſt dupliciter ſpectare bonũ cómune.

Reſp. ad omnia, bonum commune poſſe dupliciter ſpectari; Primò quod eſt abſolutè tale, eò quod non ſubſit dominio alicujus particularis, ſed per ſe primò ſubeſt dominio communitatis, quale eſt ærarium publicum: aliud eſt bonum commune quaſi ſecundarium, quod quidem ſubeſt dominio alicujus particularis, redundat tamen in ipſum commune bonum; quatenus nimirum expedit bono communi, quod cuilibet ejus parti bene ſit: & tale eſt bonum pupillorum, & minorenn ium; & ita quoque ſpectat ad bonum commune ut quilibet vitam ſuam tueatur; prout & divites obligantur eleëmoſynas dare pauperibus ne fame pereant; & inſuper ut delinquens pro tempore & loco puniatur. Ex quibus patet ſolutio antedictorum.

Dices; 1. Reg. c.8. dicit Deus, daturum Regem populo Iſraëlitico multas leges ſpectantes bonum privatum ipſius Regis.

Reſp. Scripturam ibidem loqui de jure uſurpato ipſius regis, non autem de jure vero.

Petes; an bonum commune debeat eſſe finis operis; an verò finis operantis ipſius legiſlatoris.

Bonum cõmune debet eſſe finis legis non tamen neceſſario fini legiſlatoris.

Reſp. ad ſubſtantiam legis ſufficere quod ſit finis operis: & hinc fit quod res illa de qua lex fertur debeat eſſe utilis & conveniens ad bonum commune: unde etſi legiſlator ex privato odio, vel alio malo fine legem ferat, ſubſiſtet; dummodo in commune bonum cedat.

Petes; an ceſſante fine legis, ceſſet lex.

Ceſſante fine totali ceſſet obligatio legis

Reſp. Affir. ſi ille ceſſet abſolutè: quia res per quas cauſas inſtituitur, per eaſdem diſſolvitur; ſed obligatio legis per talem cauſam finalem eſt introducta; ergo illâ ſublatâ diſſolvitur. Præterea lex non obligat ultra intentionem legiſlatoris, qui non præſumitur velle obligare causâ finali legis ceſſante in totum. 3. lex illa eo ipſo eſt inutilis communitati. 4. Lex talis eſt injuſta, quia ſine cauſa privat homines ſua libertate.

Petes; an ceſſante fine legis in totum reſpectu alicujus particularis ceſſet obligatio legis reſpectu ipſius.

Ceſſante fine legis in particulari nõ ceſſat lex.

Reſp. negativè; quia lex non reſpicit ſimpliciter unam perſonam, ſed communitatem; ergo illa perſeverat in ſuo vigore, eſto ceſſet ejus finis reſpectu unius; unde quamdiu bonum commune non ceſſat, tamdiu manet obligatio legis.

Hinc infer, quod etſi in perſona docta & pia ceſſet periculum perverſionis, adeoque in particulari ceſſet finis legis prohibentis libros

Digitized by Google

libros prohibitos: & in perſona bene mortificata ceſſet finis jejunii propterea tamen illos non eximi reſpectivè à lege prohibente libros prohibitos, aut jejunii.

Dices: quando finis adæquatus legis ceſſat reſpectu omnium tunc quoque lex ceſſat reſpectu omnium, ergo quando ceſſat adæquatus finis legis reſpectu unius, ceſſabit quoque lex reſpectu illius: probatur conſequentia quia lex in particulari ita ſe habet ad finem legis in particulari, ſicuti lex in univerſali ſe habet ad finem legis in univerſali; ſed ceſſante fine legis in univerſali, ceſſat lex in univerſali; ergo quoque ceſſante fine legis in particulari, ceſſabit lex in particulari.

Reſp. neg. aſſumpt. quia præſupponit manifeſtè falſum: quia ut ſupra dictum eſt, lex non reſpicit ſimpliciter unam perſonam, ſed communitatem; unde quamdiu finis legis non ceſſat abſolutè, illa remanet in ſuo vigore, & conſequenter obligat.

Dices; lex juſtitiæ obligat ad reddendum depoſitum gladium domino petenti; quod ſi tamen illum petat ad interficiendum Petrum, non teneor illi reddere; & hoc ideo, quia ceſſat finis legis in particulari.

Reſp. finem legis hic ceſſare contrariè, hoc eſt, quod materia legis facta ſit mala, & contraria alteri præcepto magis obliganti: unde quando diximus, quod ceſſante fine legis in particulari, propterea non ceſſet lex, id venit intelligendum, quando finis legis ceſſat negativè.

Dices; non obligor corrigere proximum quando monitio mea non eſt profutura, & hoc ideo quia ceſſat in particulari finis legis correptionis fraternæ.

Reſp. non propter hanc rationem, ſed cum illud præceptum tantum ſit affirmativum, obligat ſolum ſub determinatis quibuſdum circumſtantiis, quarum una eſt ſpes emendationis; quâ proinde non ſubſiſtente, non obligat lex.

DUBIUM IV.

An Promulgatio ſit de ratione Legis

Prænotandum quod promulgatio propriè ſumpta, ſit ſolemnis quædam denuntiatio, quâ legiſlator per ſe, vel alium ſubditis ſuis legem ſuam proponit: quia tamen non omnes leges eodem modo promulgantur; nam aliter promulgatur lex naturæ, aliter divina, & aliter humana, de ſingulis ſingulatim ſuis locis agemus. Quid promul gatio.

Reſp. ergo, & dico legem dupliciter poſſe conſiderari; nempè potentiâ, & actu: priori modo conſideratur, quatenus eſt regula nata dirigere & obligare; ſecundo verò, quatenus de facto dirigit & obligat. Spectando legem priori modo, lex alia potētia alia actu.

Promulgatio non eſt de eſſentia legis. mo, non eſt ad ejus eſſentiam requiſita promulgatio; ſiquidem eo ipſo talis eſt, quo legiſlator illam concepit, & in mente decrevit: & ita prius eſt legem eſſe, quam promulgari. Si verò lex ſpectetur ſecundo modo, prout eſt regula actu dirigens & obligans, ſic eſt ad ejus rationem neceſſaria promulgatio; quia lex nequit in actu exercito dirigere ſubditos niſi ſit cognita, non poteſt autem eſſe cognita, niſi ſit promulgata: præterea lex, ut ſic, debet habere rationem regulæ, ſeu menſuræ; menſura autem actu menſurare non poteſt niſi applicetur; applicatio autem legis fit per promulgationem: hinc axioma juris, *Leges inſtituuntur, dum promulgantur*: quæ tamen omnia non ita veniunt intelligenda, quaſi promulgatio ſit pars eſſentialis intrinſeca conſtitutiva legis; ſed quia ipſa ordinatio & decretum legiſlatoris non habet rationem completam legis in actu niſi promulgetur, unde ante promulgationem eſt quidem lex materialiter, ſeu eſt illa ordinatio, quæ dicitur lex; ſed non eſt lex formaliter, niſi accedat promulgatio.

Eſt tamē neceſſaria ut lex actu obliget ſubditos.

Dices; eſto lex nequeat actu dirigere ſubditos niſi ſit cognita & promulgata, illa tamen poteſt obligare, eſto non ſit cognita; ergo ſaltem ad obligandum non eſt neceſſaria promulgatio. Antecedens probatur, quia multæ leges divinæ incognitæ ſunt infidelibus, quæ tamen illos obligant, quales ſunt lex Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c.

Reſp. ad legis obligationem non requiri ut illa ad ſingulorum notitiam venerit; ſiquidem verum eſt quod lex ignorantes poſſit obligare; ſed ſufficit illam eſſe promulgatam: ratio eſt, quia obligatio, ex qua ſubditus legem tenetur ſervare, eſt debitum quoddam morale, ſimile aliis ſervitutibus & debitis moralibus, quæ poſſunt in nobis oriri per ſolam actionem, vel voluntatem alterius, nobis etiam ignorantibus: & ita lex irritans matrimonium clandeſtinum, ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, obligat quoque & irritat matrimonia illorum, qui illam ignorant: præterea, obligatio legis non pendet à ſcientia ſubditi: ſed à voluntate legiſlatoris ſufficienter promulgata. Nō tamen requiritur ut obliget, ut ad ſingulorū notitiā deveniat.

Dices; lex actu non dirigit ignorantes; ergo nec illos obligat.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt; quia lex non poteſt actu dirigere niſi applicetur; applicatur verò mediante cognitione: obligatio verò, ut ſupra probâvimus, etiam cauſatur in ignorantibus: unde, eſto vis dirigendi nequeat ſeparari à vi obligandi, actualis tamen obligatio ſeparari poteſt ab actuali directione; prout manifeſtè patet in eo, qui exemptus ob juſtam cauſam ab obligatione legis, nihilominus ſe illi conformat. Eſto nō dirigat, obligat tamen ignorātes.

Dices;

Dices; ſi lex obliget ignorantes; ergo illi obligantur ad impoſſibile.

Reſp. negando conſequentiam: nam ſi ignorantia ſit invincibilis, excuſabuntur à peccato, & conſequenter non obligabuntur ad impoſſibile; quia obligatio quæ eſt in ipſis tantum exerit vires pro tempore ſcientiæ: ut patet in ſubdito qui ignorans legem, poſtea intelligit à perſona fide digna illam eſſe promulgatam; qui non obligatur ratione notitiæ acceptæ ab homine particulari, ſed vi promulgationis antea factæ; ita tamen ut obligatio à tempore ſcientiæ demum exerat vires ſuas.

DUBIUM V.

Quæ ſit materia ſeu objectum, circa quod lex verſatur.

RESp. ſunt actiones humanæ; ſiquidem lex præcipit actiones humanas bonas, & prohibet malas.

Petes; an ergo actus qualiumcumque virtutum poſſint eſſe materia legis.

Actus quarúcumq; virtutū poſſunt eſſe materia legis.

Reſp. affirmativè: quia poſſunt eſſe utiles ad commune bonum; & eatenus poſſunt præcipi; non quidem collectivè, ſeu omnes ſimul; quia difficillimum eſt, & ne dicam impoſſibile, omnes actus ſimul obſervare: ſiquidem non omnes poſſunt intrare religionem, vel vovere caſtitatem; quæ tamen ſunt actus virtutum: unde cum lex humana debeat eſſe de re moraliter poſſibili, illi autem collectivè ſumpti ſint moraliter impoſſibiles, conſequenter non poſſunt, ut ſic, eſſe materia legis.

Petes; an lex non poſſit prohibere ſimul omnes actus peccaminoſos.

Defacto datur lex prohibens omnē peccatum.

Reſp. affirmativè: & talis defacto eſt lex naturalis obligans nos ad omnia peccata vitanda; præterea votum vitandi omnia peccata venialia eſt validum, ſi ergo poſſit dari talis lex particularis, quare non poterit dari univerſalis; nec objici poteſt, quod ſimilis lex non foret accomoda infirmitati humanæ; quia hoc eſt naturæ humanæ accomodum, quod eſt conforme rectæ rationi, quæ poſtulat ut vitentur omnia peccata.

Petes; an actus interni poſſint eſſe materia legis.

Actus interni ſe ſolo ſumpti nō ſunt materia legis humanæ ſecus naturalis & divinæ.

Reſp. affirmativè: & quidem quoad legem naturalem non eſt dubium: ſiquidem illa prohibet omnes actus internos malos; prout neque dubitandum de lege poſitiva divina; cum exſtet manifeſtum præceptum; *non concupiſces*: Quæſtio eſt de ſola lege humana: pro qua notandum; actus internos poſſe conſiderari dupliciter. 1. ſecundùm ſe. 2. verò prout ſpectant ad complementum actus humani externi. Priori modo ſumpti, non poſſunt præcipi vel prohiberi lege humanâ, quia eccleſia nequit ferre leges de eo, de

Digitized by Google

quo nequit ferre judicium, & pœnas ſumere; hoc autem non poteſt de actibus mere internis. Secundo verò modo ſpectati, prout nempè ſpectant ad complementum actus externi, poſſunt ab eccleſia præcipi, vel prohiberi. Ratio eſt, quia ad rectam eccleſiæ gubernationem pertinet, ut actus interni, quatenus conſtituunt cum actu externo actum humanum, ab eccleſia præcipi, vel prohiberi poſſint: nam ſicuti ad rectam gubernationem præcipiuntur actus humani externi, ita quoque præcipi debent neceſſariò interni, utpote ſine quibus actus externus non poſſit ſubſiſtere in ſuo eſſe morali: Unde quamvis actus internus ſe ſolo non ſubjiciatur directè poteſtati eccleſiæ, ſubjicitur tamen indirectè, quatenus nimirum connectitur actui externo, & cum illo conſtituit actum humanum, ex quo ſequitur, quod eccleſia, præcipiendo recitationem divini officii, vel annuam confeſſionem, ſimul quoque præcipiat internam attentionem, & dolorem de peccatis, quippe quæ ad ſubſtantiam utriuſque actus præcepti ſunt neceſſaria.

Quomodo actus internus cadat ſub obligatione legis humanæ.

DUBIUM VI.

Quis obligetur Legibus.

RESP. homo ſubditus, capax uſus rationis: quod enim ſubjectum legis debeat eſſe homo ſubditus, patet quia cum poteſtas legiſlativa ſit poteſtas jurisdictionis, illa exerceri non poteſt in eos qui non ſunt ſubditi: quod debeat eſſe capax uſus rationis, patet, quia ſubjectum legis debet eſſe tale, ut tranſgreſſio legis illi pro culpâ imputetur, quale non eſt is, qui eſt incapax uſus rationis.

Petes; an ergo pueri non obligentur legibus Eccleſiaſticis.

Reſp. ante uſum rationis nequaquam: unde licitè veſcuntur carnibus & ovis in quadrageſima, ſepoſito ſcandalo; eò quod lex obliget ſolos rationis capaces: quod ſi verò illi pervenerint ad uſum rationis, ligantur legibus Eccleſiaſticis; v.g. abſtinentiâ à carnibus in die jejunii, auditione miſſæ, &c. Ratio eſt, quia & tunc obligantur lege naturali & divinâ; conſequenter & eccleſiaſticâ: niſi tamen ſpecialiter ab aliquibus eximantur: quod addo, quia à lege jejunii, item Euchariſtiæ ſumendæ ſunt exempti donec ad maturiorem ætatem pervenerint: inſuper probabile eſt, pueros nullas incurrere pœnas eccleſiaſticas ſi legem aliquam ante decennium tranſgrediantur; excipitur tamen irregularitas, quam ſtatim contrahunt ab uſu rationis; ut patet ex Clementina, cap. *furioſus*, de homicida.

Pueri habentes uſũ rationis obligantur lege naturæ, & divinâ, item eccleſiaſticâ, ſed non omni.

Petes; quandonam pueri cenſeantur perveniſſe ad uſum rationis in ordine ad obligationem præceptorum eccleſiæ.

Reſp.

Celſentur pueri completo ſeptennio habere uſum rationis in ordine ad obligationē præcepti eccleſiæ.

Reſp. poſt completum ſeptennium; juxta præſumptionem juris, tam civilis, quam canonici.

Petes; quid ſi dubitetur à confeſſario an puer polleat ſufficienti uſu rationis, aut tunc obligetur legibus Eccleſiaſticis.

Reſp. ſi dictus puer compleverit ſeptennium, præſumitur in dubio habere requiſitum uſum rationis; cum autem judicium fori interni debeat correſpondere judicio fori externi, niſi hoc nitatur falsâ præſumptione, conſequenter de pueris in dubio eſt judicandum in foro interno, prout de illis judicatur in foro externo.

Puer ante ſeptennium utens ratione, non obligatur lege humana.

Petes; quid ſi puer ante ſeptennium utatur ratione; an teneatur lege eccleſiæ de audiendo ſacro.

Reſp. negativè; eò quod eccleſia ante completum ſeptennium non præſumat illum pollere ſufficienti uſu rationis; adeoque illum nolit obligare ad obſervationem præcepti ſui: qui tamen obligabitur præcepto juris divini, & naturæ.

Peccat hæreticus cōmedens carnes in die jejunii; non veró judæus.

Petes; an peccet judæus comedens carnes in die jejunii, ſepoſito ſcandalo, ſimiliter & hæreticus.

Reſp. peccare hæreticum non judæum; quia unus eſt ſubditus eccleſiæ, & alter non.

Petes; an ergo licitum foret judæo adminiſtrare carnes.

Reſp. affirmativè ſepoſito ſcandalo: nam cum ille non ſit ſubditus eccleſiæ, non ligatur legibus eccleſiæ. Nullatenus tamen licitum foret in die jejunii miniſtrare carnes homini ebrio, quippe qui obligetur lege eccleſiaſticâ jejunii; utpote ſubditus eccleſiæ, capaxque uſus rationis, quamvis per accidens tempore ebrietatis non utatur ratione: poſſent tamen carnes in die jejunii miniſtrari homini amenti, quippe qui ſit incapax præcepti propter defectum proximæ capacitatis uſus rationis.

Petes; an peregrini obligentur legibus locorum in quibus reperiuntur.

Peregrini, per ſe loquēdo, non obligātur legibus particularibus locorum per quę tranſeunt.

Reſp. negativè, per ſe loquendo; quia ad obligandum requiritur in legiſlatore juriſdictio, & ſubjectio in eo qui obligatur: per brevem autem commorationem in aliquo loco non acquiritur juriſdictio.

Dico, per ſe loquendo, quia per accidens, ratione ſcandali vel periculi obligantur frequenter peregrini dictis legibus particularium locorum: & hoc titulo à ſuperioribus dictorum locorum, tamquam prævaricatores puniuntur, facti ſubditi ratione delicti, ſcilicet ſcandali in dicto loco comiſſi.

2. Obligantur peregrini particularibus legibus locorum, in quibus pro tempore morantur, quæ concernunt contractus; quippè qui ad ſuum valorem requirunt ut celebrentur juxta conditiones receptas in loco in quo celebrantur: prout quoque obligantur

gtanur ad vectigalia, quæ dicto loco perſolvi conſueverunt; eò quod onus gabellarum & vectigalium ſit acceſſorium contractui, qui celebrari debet juxta ſolemnitates in dicto loco receptas.

3. Obligantur peregrini particularibus legibus locorum, quando violatio legis cederet in damnum & injuriam ipſius loci in quo reperiuntur: quia non eſt æquum, ut extraneus aliquis commoretur in loco alieno cum damno habitantium in dicto loco; eapropter ſi prohibeatur in dicto loco frumentum evehi, tenebitur quoque extraneus iſtâ lege.

Petes; quid ſi peregrinus aliquis accedat ad aliquem locum cum intentione conſtituendi ibidem domicilium, an obligetur particularibus legibus dicti loci.

Reſp. affirmativè; quia eo ipſo deſinit eſſe peregrinus, & incipit eſſe incola dicti loci.

Petes; quænam in peregrino requirantur ut contrahat in aliquo loco domicilium.

Requiſita ut quis in aliquo loco cõtrahat domicilium.

Reſp. duo; nempè animus perpetuò ibi manendi, & actualis habitatio: prout quoq; duo oppoſita requiruntur ad amittendum domicilium; nempè animus derelinquendi, & actualis derelictio domicilii: quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

Petes: quid ſi ſit dubium an aliquis abſolutè contraxerit domicilium in aliquo loco, unde id poſſit cognoſci.

Reſp. ex habitatione decem annorum in dicto loco: ex quo jura præſumunt eum ibidem contraxiſſe abſolutum domicilium.

Dubiũ de contracto domicilio in aliquo loco tollitur habitatione decennali in eodẽ.

Petes: quid ſi peregrinus accedat ad aliquem locum cum animo ibidem habitandi majori parte anni.

Reſp. Quamvis talis habitatio non ſufficiat ad contrahendum ibidem abſolutum domicilium, ſufficit tamen ad contrahendum domicilium Parochiale, idque ex conſuetudine pro lege recepta: unde talis obligabitur omnibus legibus dictæ parochiæ poteritque validè ibidem recipere omnia Sacramenta, etiam Matrimonii, excepto tamen Sacramento Ordinis, quod talis accipere debet vel ab Epiſcopo originis, vel beneficii.

Ad contrahendũ domiciliũ parochiale ſufficit quod quis accedat ad aliquem locum cum animo ibidem habitandi majori anni parte.

Petes; an vagi teneantur particularibus legibus locorum, per quę vagantur.

Reſ. Affirm: quia cum illi nuſquam habeant domicilium vel habitationem, eſſent exempti ab omnibus legibus Epiſcoporum: quod nec conveniret ipſorum ſaluti, nec rectæ gubernationi eccleſiæ: qui proinde cenſentur ſubditi loci in quo morantur, etiam in ordine ad contrahendum ibidem matrimonium; quamvis tamen Paſtor nequeat aſſiſtere illorum matrimonio ſine prævio conſenſu ipſius Ordinarii.

vagi obligãtur legibus locorũ in quibus ſũt.

Petes: an peregrini abſentes à loco ſui domicilii teneantur particularibus legibus ſui domicilii.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. negativè: eò quod leges non cadant abſolutè ſuper perſonas ſubditas, ſed ſuper illas, ut exiſtentes in illo loco, ubi leges ſunt receptæ; ligant enim ſubditum ratione exiſtentiæ in dicto loco: unde ſtatuta Epiſcopi non ligant extra territorium ipſius: juxta axioma communiter receptum, *Extra territorium jus dicenti non paretur impune* cap. 2. de Conſtit. juris. Unde collige, quando eſt feſtum in uno pago, & non in alio vicino, ruſticum prioris pagi, ubi divertit ad alium pagum ubi non eſt feſtum, poſſe ibidem operari.

Petes: an talis ruſticus, antequam proficiſcatur, tenebitur audire ſacrum in pago ubi eſt feſtum.

Reſp. ſic plures ſentire; eò quod præſcius impedimenti ſuperventuri, quod impediret adimpletionem præcepti, teneatur prævenire: v. g. ſi tempore paſchali poſterioribus feſtis diebus à communione ſis impediendus, teneberis communicare diebus prioribus.

Reſp. nihilominus oppoſitum non carere ſuâ probabilitate, nempè talem ruſticum non obligari audire ſacrum in pago ubi eſt præceptum, ſi nempè durante adhuc commoditate præcepti adimplendi, ſe conferat extra ſuum pagum; nam quamdiu adhuc ſupereſt illa commoditas præcepti adimplendi, non peccat contra præceptum; dum verò eſt extra limites pagi, deſinit obligari: neque tenebitur prævenire ante diſceſſum, quia hoc tantum verum eſt in illo caſu, quo, manente vi præcepti, impediendi ſumus; uti dum quis manens in loco, ubi viget præceptum audiendæ v. g. miſſæ, prævidet ſe horis poſterioribus impeditum iri. Ratio eſt, quia quando præcipitur ut intra hoc vel illud tempus aliquid exerceas, intelligitur tacita conditio, ſi nempè toto illo tempore manſeris ſubditus præcepto.

QUÆSTIO II.
De Diviſione Legis.

DUBIUM PRIMUM.
Quomodo lex in genere dividatur.

Lex generatim ſumpta dividitur in divinam, & humanam; quia nimirum ſunt tantum duo legiſlatores; nempè Deus, & homo. Lex divina ſubdividitur in æternam, naturalem, & poſitivam. Diviſio legis.

Lex divina naturalis eſt illa, quâ præcipitur aliquid, quod præcipitur lege naturæ; ut ſunt ea quæ præceptis Decalogi continentur.

Lex divina poſitiva eſt illa, quâ præcipitur aliquid, quod lege naturæ non eſt præceptum; qualis eſt lex ſumendæ Euchariſtiæ, faciendæ confeſſionis pro eo qui eſt in mortali poſt Baptiſmum, &c.

Digitized by Google

Lex poſitiva divina rurſum ſubdividitur in veterem, & novam; nempe illam quam Deus dedit Moyſi in monte Sinaï, & per Moyſem populo Iſraëlitico; & in illam quam tulit Chriſtus novi Teſtam. author. Et ſicuti lex vetus complectebatur triplicis generis præcepta, nempè moralia, cæremonialia, & judicialia: ſic quoque nova complectitur tria præcepta, nempè fidei, ſacramentorum, & morum.

Lex humana dividitur in Eccleſiaſticam & civilem. De quibus omnibus ſigillatim agemus in ſequentibus.

DUBIUM II.

Quid Lex æterna.

Lex æterna tripliciter ſpectatur.

LEx æterna tripliciter poteſt ſpectari; 1. in ſe, 2. in legiſlatore, 3. in ſubdito.

In ſe ſpectata non eſt aliud quam regula practica æternæ & neceſſariæ veritatis ad quam naturaliter obligamur, quales ſunt hæ Deus eſt colendus, parentes ſunt honorandi, unicuique jus ſuum eſt tribuendum. Et hoc ſenſu dantur plura objecta, ſeu res quæ per legem æternam præcipiuntur, vel prohibentur.

Lex æterna ſpectata prout eſt in Deo tamquam legiſlatore, eſt actus divinæ mentis quo judicat regulas practicas neceſſariæ & æternæ veritatis eſſe ſervandas.

Petes; an lex æterna prout eſt in Deo, ſit eadem cum idæa, & divina providentia.

Prout in Deo non eſt eadem formaliter cū idæa.

Reſp. illa tria eſſe realiter eadem; formaliter verò diverſa: quia idæa eſt conceptus rerum faciendarum in Deo, nec includit voluntatem obligandi: providentia verò reſpicit omnes res ſingulares in individuo; nec etiam includit voluntatem obligandi, eſt enim notitia Dei practica, quâ cunctas res per certa media ab æterno ordinat in finem, & in tempore ad illum dirigit; cum enim Deus non tantum ſit rerum omnium creator, ſed etiam gubernator, debuit in ipſo eſſe non ſolum conceptus rerum faciendarum, quæ eſt idæa, ſed & rerum gubernandarum, quæ eſt lex: nam ſicuti ratio rerum creandarum non eſt aliud quam conceptus divinę mentis quo Deus concipit quomodo res ſit facienda, ſic ratio rerum gubernandarum, quæ eſt lex æterna, non eſt aliud quam conceptus divinæ mentis, quo Deus judicat quomodò quælibet creatura debeat ſuas functiones ſubire, adjunctâ ſimul voluntate eam obligandi, vel imponendi obligationem ad hanc ſuam regulam ſervandam.

Lex æterna, prout eſt in hominibus, appel-

Lex æterna, prout eſt in nobis tamquam ſubditis, mutat nomen ſuum, vocaturque lex naturalis, non verò æterna; eò quod non ſit in nobis ab æterno, ſed per lumen rationis nobis promulgetur: nec eſt

latur lex naturalis. eſt aliud, quam judicium quo judicamus regulas practicas neceſſariæ & æternæ veritatis à nobis eſſe ſervandas.

Petes; an illa lex naturalis, prout in ſe eſt, derivetur à lege æterna.

Reſp. neg. quia, ut ſic, eſt una & eadem cum lege æterna, nempe practicâ regulâ æternæ veritatis: bene tamen dicitur, quod lex naturalis, prout in nobis eſt, derivetur à lege æterna, prout in Deo eſt; quia, ut ſic, illa non eſt aliud quam dictamen rectæ rationis, quo judicamus hanc vel illam practicam regulam æternæ veritatis eſſe ſervandam: v. g. jus ſuum cuique eſſe tribuendum, &c. illud verò dictamen derivatur, à dictamine divinæ rationis, quo Deus judicavit illas regulas practicas eſſe ſervandas; in quo dictamine conſiſtit ratio legis æternæ prout eſt in Deo: eapropter, ſicuti mens noſtra eſt quædam imago divinæ mentis, ita judicium mentis noſtræ, ut rectum ſit, debet eſſe quaſi quædam imago judicii divini, adeoque illi eſſe conforme, & hoc modo ab eo derivari.

Petes; an leges poſitivæ divinæ, item humanæ deriventur quoque à lege æterna, ſintque illius effectus.

Leges poſitivæ tam divinæ quam humanæ ſunt effectus legis æternæ. Reſp. Affirm. & probatur 1. de lege poſitiva divina prout in nobis eſt. Quia, ut ſic, non eſt aliud, quam dictamen quo judicamus regulas à Deo in S. Scriptura præſcriptas, vel aliunde revelatas eſſe ſervandas, ut v. g. Euchariſtiam eſſe ſumendam: hoc autem dictamen eſt conforme judicio divino, quo judicat illam regulam à creatura rationali ſervandam eſſe, cum voluntate obligandi: quod dictamen prout in Deo eſt, ſpectat ad legem æternam. 2. Probatur de lege humana, quia judicium, quo judicamus hanc vel illam legem Eccleſiæ eſſe ſervandam, debet eſſe conforme judicio divino idem quoque judicanti, quod non eſt aliud quam lex æterna.

Petes; quomodo leges humanæ deriventur à lege æterna, cum illæ ſæpe ſint ſibi ipſis contrariæ.

Reſp. illas numquam ſibi ipſis eſſe contrarias, conſideratis eiſdem circumſtantiis: unde quando mutantur circumſtantiæ, mutantur & leges; illam verò mutationem circumſtantiarum præſcribit quoque lex æterna: nec refert quod lex humana multa permittat, quæ lex æterna punit, quia hoc ipſum quoque derivatur à lege æterna, quod lex humana quædam permittat, quę æterna vetat: ſiquidem illa dictat quandoque permittenda minora mala ad evitanda majora.

Petes; an ſolæ creaturæ rationales ſubjiciantur legi æternæ.

Sola creatura rationalis Reſp. legem æternam propriè non habere rationem legis, niſi reſpectu creaturæ rationalis, quia illa ſola habet libertatem; ac proinde

propriè ligatur lege æternâ.

inde ſola poteſt obligari ſub peccato; nihilominus tamen quodam ſenſu omnes creaturæ irrationales ſubjiciuntur legi æternæ, in quantum nimirum ſecundùm legem Dei æternam diriguntur & gubernantur; ſiquidem ſubjici legi æternæ non eſt aliud, quam ab ea dirigi & gubernari; Deus enim, ſicuti cuncta creavit, ita cuncta gubernat, concipiendo modum, in quo unaquæque creatura actiones ſuas debet exercere, & in finem ſuum dirigere: unde Sap. 8. dicitur; *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Dices; ſunt plurimi tranſgreſſores legis æternæ, ergo illi non ſunt ſubjecti legi æternæ, quia ſecundum illam non diriguntur.

Trangreſſores legis æternæ etiam ligantur lege æterna.

Reſp. etiam illos ſecundum illam dirigi & gubernari, quia per illam puniuntur: unde S. Auguſt. comparat hominem ſe volentem ſubtrahere à lege Dei cum eo, qui vult fugere à facie cæli; nam quantum ab una parte videtur recedere, in tantum ad aliam accedit: ſic impii in quantum fugiunt legem Dei dirigentem, in tantum incidunt in punientem.

Dices; quicumque peccat facit contra legem Dei; quippe cum peccatum non ſit aliud, quam dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.

Reſp. peccatorem quidem facere contra voluntatem ſigni, conſiſtentem in præcepto vel prohibitione; non tamen facere contra voluntatem Dei beneplaciti, ſeu contra efficacem ejus ordinationem: de qua dicitur ad Roman. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* cui dicimus omnes creaturas eſſe ſubjectas, nec ullum peccatorem ſeſe ab ea poſſe ſubducere: unde quoque in iis omnia fiunt quæ Deus ordinavit; ordinavit autem permittere peccata fieri in iis, & ita fit: ordinavit parcere peccatori ad tempus, & ita fit; &c. unde peccator derelinquens Deum directorem, incidit in Deum punitorem.

Dices; miracula quæ fiunt, ſunt contra ordinem à Deo præſcriptum; ergo non omnia ſubſunt ordini à Deo præſcripto.

Reſp. Illa quidem fieri contra ordinarium naturæ curſum à Deo præſcriptum; qui ſibi tamen quandoque reſervavit agere ſupra curſum naturæ; quòd dum facit, non facit contra legem Dei æternam, ſed ſecundùm illam.

Dices; agentia neceſſaria non indigent directione alicujus legis, cum aliter ſe habere non poſſint.

Reſp. quod illa quæ ſunt neceſſaria reſpectu cauſæ ſecundæ, ſint libera reſpectu cauſæ primæ, quippe quæ poteſt quamlibet creaturã producere, vel non producere.

Dices: Deus non poteſt efficere ut homo non ſit rationalis; ergo hæc veritas, homo eſt rationalis, non ſubeſt legi Dei æternæ.

Reſp. negando conſequentiam: nam

nam quod Deus nequeat efficere ut homo non ſit rationalis, hoc provenit à lege æterna, quæ hominem ordinavit rationalem, quam Deus nequit immutare, vel efficere ut res aliqua aliter ſe habeat, quam lex æterna ordinavit: ſi quis tamen veritatem hujus propoſitionis, homo eſt rationalis, velit conſiderare prout eſt in mente divina, in qua ſunt etiam omnes creaturæ poſſibiles antequam fiant, dicere poterit, ut ſic, non eſſe quid cadens ſub gubernationem legis æternæ.

Petes; quomodo contingentia ſubjiciantur legi æternæ, cum hæc ſit immutabilis.

Reſp. quod ſicuti cæli, angeli, item anima rationalis dicuntur incorruptibiles reſpectivè ad cauſam ſecundam, à qua corrumpi non poſſunt, tamen reſpectu Dei ſunt corruptibiles: quippe cum dependeant à libera ipſius conſervatione: ita quoque entia contingentia reſpectu cauſæ ſecundæ dicuntur talia, non tamen reſpectu Dei, qui immutabiliter res illas inſtabiles regit, cujus ordinem egredi non poſſunt.

Petes: an omnes actiones morales hominis propriè cadant ſub legem æternam.

Reſp. affirmativè: quod verum eſt, non tantum quoad actiones præceptas vel prohibitas; ſed etiam de iis quæ ſunt conſilii & ſupererogationis: quia, eſto exercitium talium actionum non ſit in præcepto, modus tamen quo fiunt eſt in præcepto; v. g. locus, tempus, finis, &c.

Hic tamen benè notandum; quod ratio divina, in quantum gubernat irrationabilia, metaphoricè tantum vocetur lex; idque ideo, quia lex propriè dicta dirigitur ad illos qui illam poſſunt apprehendere, & ſecundum illam operari: quod non poſſunt facere agentia irrationabilia.

Lex æterna in quãtum reſpicit irrationabilia metaphoricè tantum vocatur lex.

Petes: an volitiones divinæ ſubjiciantur legi æternæ.

Reſp. illas eſſe in duplici ſpecie: nam quædam ſunt ad intra & immanentes, ut amor, &c. Et hæ non menſurantur lege æternâ: quædam verò ſunt ad extra, qualis eſt volitio creandi mundum &c. Et hæ menſurantur lege æternâ: ideo enim Deus voluit mundum creare, quia ſic judicavit per ſuam ſapientiam fieri oportere: & quamvis in divinis attributis unum non ſit cauſa alterius, tamen unum eſt ratio alterius: & ſic Deus eſt æternus, quia eſt immutabilis: ſic quoque, eſto divina Sapientia non ſit cauſa divinæ voluntatis, eſt tamen ipſius ratio.

Actiones Dei ad intra nõ mēſurantur lege æterna, ſecus illæ quæ ad extra.

QUÆSTIO III.
De Lege Naturali.
DUBIUM PRIMUM.

Lex naturalis tripliciter cõſideratur.

RESP. & dico 1. illam quoque poſſe conſiderari tribus modis; nempè in ſe, in legiſlatore, & in ſubdito, ſeu homine. In ſe conſiderata non eſt aliud, quam regula practica æternæ veritatis, ad quam obſervandam ex ipſo inſtinctu naturæ obligamur: quæ à parte rei non eſt aliud, quam ipſa convenientia, vel diſconvenientia alicujus rei cum recta ratione: unde diſconvenientia, quam habet mendacium, vel fornicatio cum recta ratione, eſt ipſa lex naturalis objectivè ſumpta, quâ prohibetur mendacium, vel fornicatio: convenientia verò quam habet conſervatio famæ proximi cum rectâ ratione, eſt lex naturalis objectivè ſumpta quâ præcipitur fama proximi eſſe ſervanda. Lex naturalis prout eſt in legiſlatore, non eſt aliud quam judicium quo Deus judicat talem regulam æternæ veritatis eſſe ſervandam: prout verò eſt in nobis tamquam in ſubditis, non eſt aliud quam judicium rectæ rationis, quo per lumen nobis ab æterna lege impreſſum, cognoſcimus quid ſit faciendum, vel omittendum.

Petes; an lex naturalis, prout in nobis eſt, ſit tantum aliquis actus; an verò etiam habitus.

Lex naturalis ineſt nobis per modũ habitus.

Reſp. eſſe habitum: quia quædam legi naturali tribuuntur, quæ ei convenire propriè non poſſunt, niſi prout habitualiter manet in intellectu: prout dum dicitur eſſe ipſum lumen naturale noſtræ rationis: juxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* 2. Dum dicitur naturaliter inſita humanæ menti. 3. Dum dicitur per peccatum non poſſe auferri, nec ullâ vetuſtate ex animo obliterari: quæ, & qualia de ea paſſim dicunt SS. Patres. 4. Quia quamvis homo de facto nihil cogitet, aut velit, tamen apprehenditur in eo remanere lex naturæ ſcripta in cordibus noſtris: ſicuti enim lex humana non ſolum ſignificat actualem ejus cognitionem in ſubjecto, ſed & permanens ſignum in aliqua ſcriptura, ita quoque lex naturalis.

Petes; quomodo ſe habeat lex naturalis ad ſynderesim.

Diſtinguitur à ſynderesi.

Reſp. ſumendo illam pro dictamine practico, ſeſe habere ſicuti ſe habet concluſio ad primam præmiſſam; eſt enim ſynderesis habitualis cognitio primorum principiorum moralium; lex verò naturalis eſt ipſum actuale judicium: quod eatenus differt à conſcientia, quod hæc ſit dictamen practicum in particulari, & veluti applicatio legis ad aliquod opus particulare. 2. Quod lex tantum verſetur circa agenda

Digitized by Google

agenda, conſcientia verò etiam circa facta præterita. Quod ſi tamen lex naturalis impropriè ſumatur, pro ipſo lumine naturali, non videtur eatenus diſtincta à ſynderefi.

Ex dictis ſolvi poterit hæc quæſtio, an lex naturæ ſit quoque in pueris, amentibus, & ebriis.

Reſp. etiam in illis eſſe habitualiter, ſed non actualiter.

Petes; quandonam lex naturalis incipiat hominem obligare.

Incipit hominē obligare quā primū attingit uſum rationis.

Reſp. tunc, dum attingit uſum rationis, & non ante: ratio eſt, quia lex tantum tunc incipit obligare dum promulgatur; hæc autem promulgatur per uſum rationis: quamvis enim homo à tempore quo habet animam rationalem, habeat principium ratiocinandi, in ſe tamen actualiter ratiocinari, ſeu formare judicium practicum non poteſt ante uſum rationis: quâ autem ætate homo uſum rationis habere incipiat, præcisè quoad omnes determinari non poteſt: quamvis, ut ſupra diximus, jura præſumant id contingere poſt ſeptennium.

DUBIUM II.

Quæ nam ſit Materia Legis naturæ.

Reſp. materia propria legis naturalis ſunt ea quæ intrinſecè bona ſunt & appetenda, circa quæ verſatur lex naturalis ea præcipiendo; & illa quæ per ſe mala ſunt, circa quæ lex naturæ verſatur, illa prohibendo.

Petes, an omnes actus virtutum non poſſint dici materia legis naturalis?

Reſp. affirmativè.

Dices: dantur actus virtutum quæ tantum ſunt conſilii, ut paupertatis, caſtitatis perpetuæ, obedientiæ &c.

Actus virtutis qui tantū ſunt conſilii aliquo ſenſu ſunt materia legis naturæ.

Reſp. & illos quoque eſſe materiam juris naturæ; non quidem ſecundum ſe, quaſi illi lege naturæ præcipiantur, ſed quia modus quo fieri debent eſt ex præcepto legis naturæ; eſto enim actus conſilii non debeat abſolutè fieri, eo ipſo tamen quo fit, debet fieri ſecundum dictamen rectæ rationis.

Petes; an in omni materia virtutum moralium ſint quædam præcepta affirmativa, vel negativa juris naturæ.

Reſp. affirmativè: ita videlicet ut licet non omnes omnium virtutum moralium actus præcipiantur, aliqui tamen cujuſque virtutis actus præcipiuntur.

Petes; an eo ipſo quo lex naturalis præciperet actus omnium virtutum, lex humana eſſet ſuperflua.

Reſp. negativè; quia lex humana ſuo præcepto & motivo facit quod actus aliquis, qui de ſe non eſt actus virtutis, fiat actus virtutis.

Petes; an actus virtutum ſupernaturalium, ut fidei, ſpei, & charitatis non præcipiantur lege naturæ.

Reſp.

Digitized by Google

Actus ſuper naturales fidei ſpei, & charitatis nõ cadũt ſub legem naturæ ſtrictè dictæ.

Reſp. negat. per ſe loquendo, & proximè, ſi lex naturæ ſumatur ſtrictè prout ſe extendit ad ſola illa quæ lumine naturali cognoſci poſſunt; eò quod per ſolum lumen naturæ illi non poſſint cognoſci.

Dixi, proximè; quia mediatè, & remotè etiam cadunt ſub legem naturæ: nam eo ipſo quo lex divina vel humana ſimiles actus præcipit, eo ipſo lex naturalis præcipit tales actus eſſe faciendos; ideo enim quævis lex poſitiva obligat, quia lex naturalis præcipit illi eſſe obtemperandum; ſicuti enim lex naturalis præcipit facere quod eſt promiſſum, ita quoque præcipit facere quod à ſuperioribus eſt mandatum: eapropter nemo peccando avertitur à fine ſupernaturali, quin ſimul avertatur à naturali; quia nimirum violando præcepta ſupernaturalia, violat quoque præceptum legis naturæ, quod præcipit legem illam ſupernaturalem debere ſervari.

Dices; leges divinæ, & humanæ quoque obligant per ſe, & ex propria virtute.

Reſp. concedendo Aſſumpt. ex quo tantum ſequitur obligationes legis divinæ & humanæ non eſſe effectus proximos legis naturæ; eò quod lex naturæ non ſit proxima regula actionum humanarum.

Petes; an ex antedictis non ſequatur quod omnia præcepta ſint de jure naturæ.

Reſp. nequaquam: pro quo notandum, quod lex naturalis ſtatuat hoc generale præceptum, malum eſt fugiendum: bonum eſt faciendum; bonum verò hic eſt medium per quod homo aſſequitur ſuum finem ultimum: ad hujus verò finis conſecutionem quædam bona ſunt planè neceſſaria, quorum neceſſitas eſt omnibus evidenter nota; qualia ſunt, non furandum, non adulterandum, &c. alia verò ſunt bona, quæ quidem ad finis conſecutionem conducunt, ſed non ſunt abſolutè neceſſaria; & circa illa verſatur lex humana; circa priora verò lex naturalis.

Lex naturalis verſatur proxime tantum circa ea, quæ neceſſariam habent connexionem cum fine.

Petes; quiſnam ſit legiſlator juris naturæ.

Reſp. Deus qui legem illam promulgat eo ipſo quo ſignat ſuper nos lumen vultus ſui; quod facit eo ipſo quo animam rationalem infundit corpori.

Legiſlator legis naturæ eſt Deus.

Petes; an lex naturalis contineat plura præcepta; an unum tantum.

Reſp. Continere plures ſub ſe regulas practicas, quas naturali inſtinctu judicamus eſſe ſervandas; quæ tamen omnes derivantur ab hac una, bonum eſt faciendum: malum eſt fugiendum.

Lex naturalis cõtinet plura præcepta.

Petes; an ergo lex naturalis ſit una apud omnes gentes.

Reſp. Affirm. nimirum quoad prima principia legis naturæ; item quoad concluſiones quæ ex illis evidenter deducuntur; ſiquidem ſemper,

Eſt una apud omnes gentes quoad

prima principia, & quoad concluſiones ex illis evidenter deductas. ſemper, & ubique homines, etiam barbari, agnoſcunt malum eſſe fugiendum, bonum eſſe faciendum, nulli faciendam injuriam, convenienter ſecundum naturam rationalem eſſe vivendum, &c. ratio eſt; quia lumen naturale intellectus evidenter ejuſmodi principia ingerit & oſtendit: quod verò attinet ad naturalia præcepta, quæ ex primis illis principiis non evidenter deducuntur, ſed valde remotè, non eſt neceſſe ut lex naturæ ſit eadem apud omnes gentes: prout ſupra in materia de ignorantia fuſe declaravimus. Cujus ratio eſt, quod rectum judicium in rebus agendis circa particulares actiones multum ſæpe poſſit impediri, ſive per paſſiones obnubilantes, vel malas conſuetudines rationem obſcurantes.

Petes; an ergo lex naturæ obliget in conſcientia.

Reſp. Affirm. quod eſt fidei, ut patet ad Roman. 2. ubi loquitur Apoſtolus de iis qui legem ſcriptam non acceperant, ſed habebant tantum legem naturæ dicens, *qui cum ſine lege*, id eſt ſcriptâ, *peccaverunt*, *ſine lege peribunt*, in quantum nimirum legem naturalem violarunt.

Dices; lex naturalis eſt dictamen rectæ rationis; ratio autem naturalis non illuſtrata lumine fidei non cognoſcit pœnam æternam; ideoque non videtur poſſe obligare ſub reatu pœnæ æternæ.

Reſp. negando conſequentiam: nec enim eſt neceſſe ut ratio naturalis cognoſcat quantitatem pœnæ, ad hoc ut ſub reatu talis pœnę obliget; quia ad incurrendam aliquam pœnam non eſt neceſſe ut ſubditus, qui legem tranſgreditur, cognoſcat quanta pœna ſit illi debita, ſed ſatis eſt, quod faciat aliquid tali pœnâ dignum, & ſciat quod id, quod agit, ſit malum.

Petes; an quævis etiam cujuſcumque legis poſitivæ obligatio ſit effectus legis naturalis.

Reſp. negativè, loquendo de effectu proximo: quod enim quibuſdam diebus ſit illicitum veſci carnibus, &c. non provenit immediatè à lege naturæ; quia illa ſecundum ſe ſumpta nec hoc prohibet, nec præcipit; ſed aliæ leges divinæ, eccleſiaſticæ, vel civiles hoc faciunt: loquendo verò de effectu remoto, dicimus omnem obligationem cujuſcumque etiam legis poſitivæ eſſe effectum legis naturalis, quia omnes leges poſitivæ ideo obligant, quia lex naturalis jubet illis eſſe obtemperandum. Omnis obligatio legis poſitivę aliquo modo eſt effectus legis naturalis.

DUBIUM III.

An Lex Naturalis poſſit mutari.

PRænotandum; legem aliquam dupliciter poſſe dici mutari; propriè, & impropriè: tunc autem mutatur impropriè, quando aliquid ei additur quod ante non fuerat:

rat: tunc verò propriè, quando deſinit obligare quæ ante obligabat. Quibus prænotatis.

Lex naturalis eſt immutabilis.

Dico primò; legem naturalem impropriè poſſe mutari per additionem; ſiquidem plura præcepta tam divina, quam humana legi naturali ſunt ſuperaddita. Nec refert quod ante diximus, quod lex naturalis certo modo præcipiat actus omnium virtutum, adeoque ſuperfluum videatur illi aliquas leges ſuperaddere, quia præter actus virtutum ſunt alia quæ utiliter præcipi poſſunt. Ac primò quidem ſæpe tantum præcipitur determinatio legis naturę ad quædam particularia: cum enim præcepta naturalia ſæpe ſint generalia, adjectę ſunt leges particulares, quę certis temporibus & perſonis accommodantur: ita præceptum juris naturę eſt, Deum eſſe colendum, modus verò illum colendi relinquitur indeterminatus: hinc in lege veteri ille determinabatur per ſacrificia Moyſaïca: in lege verò nova per ſacrificium Miſſę, &c. 2. Addi poſſunt legi naturali aliqua præcepta non tantum per modum determinationis, ſed & novi præcepti, eo quod ſit valde utile vel neceſſarium ad finem ultimum conſequendum: prout patet in multis legibus divinis ſupernaturalibus, eccleſiaſticis, item & ſæcularibus.

Dico 2. legem naturalem propriè loquendo eſſe immutabilem: ita ut obligatio illius nequeat tolli vel ab intrinſeco (quod contingit quando lex per ſe ipſam deficit; ut quando ex utili redditur inutilis, vel tempus ejus exſpiravit) vel ab extrinſeco, puta per abrogationem, vel diſpenſationem ipſius legiſlatoris.

Probatur 1. quia lex naturalis non eſt aliud, quam dictamen rectę rationis circa principia morum per ſe nota, aut circa concluſiones quę ex illis neceſſariâ connexione conſequuntur: atque illa principia mutari non poſſint, ſicuti nec iſtæ concluſiones: nam quod ſequitur ex principiis neceſſariis & immutabilibus, hoc ipſum quoque eſt neceſſarium & immutabile. 2. Obligatio legis naturę oritur ex ipſa rerum natura; hæc verò eſt immutabilis; ergo & illa. 3. Lex naturalis præſcribit facienda tempore & loco ea, quorum executio eſt per ſe & ex natura rei neceſſaria ut homo conjungatur fini ſuo ultimo: item præſcribit omittenda quę talem habent repugnantiam cum recta ratione, ut per ſe creaturam rationalem dedeceant: nec ideo debent præcepta affirmativa dici mutari, quia pro uno tempore obligant, & pro alio non; talis enim eſt iſtorum præceptorum natura. 4. Quia jus naturę non eſt aliud, quam ipſum rectę rationis dictamen; quod, cum fundetur in natura rationali, ſicuti illa eſt immutabilis, ita quoque ipſum jus naturę.

Obligatio ejus nō poteſt tolli.

Dices;

Digitized by Google

Dices; non occides, eſt præceptum legis naturę: ſed hoc eſt immutatum, dum præcepit Deus Abraham ut occideret filium ſuum unigenitum.

Objectio 1.

2. Lex præcipit ne furtum committamus, vel fornicationem; ſed hæc eſt immutata, dum Deus præcepit filiis Iſraël ut auferrent mutuata Ægyptiorum vaſa: & dum præcepit Oſee ut acciperet uxorem fornicariam.

Objectio 2.

3. Lex naturalis præcipit aliena reſtitui: ſed hæc immutatur, dum per legem humanam ſancitur, ut qui certo tempore legibus definito rem alienam bonâ fide poſſidet, titulo præſcriptionis, non obligetur illam reſtituere.

Objectio 3.

Objectio 4. 4. Matrimonium clandeſtinum jure naturę erat validum; quod tamen eſt mutatum per Concilium Tridentinum, decernens illud eſſe nullum & invalidum.

Objectio 5. 5. Jure naturę omnes ſunt liberi; & tamen jure gentium ſervitus eſt introducta.

Ex quibus & ſimilibus patet, quod multa fuerint juris naturę, quę modo eſſe deſierunt; ac proinde lex naturalis ſit immutata.

Reſp. hæc argumenta minimè convincere; nec ullatenus probare quod lex naturalis in ſe ſit mutabilis; ſed quod materia legis naturæ quandoque immutetur ob aliquam circumſtantiam occurrentem, & ita ſubſtrahatur ab obligatione legis naturæ: prout patebit ex ſolutionibus argumentorum.

Quare dico ad 1. quod in facto Abrahę lex naturę non ſit mutata; nam illa tantum prohibet ne quis occidat auctoritate privatâ, Abraham verò ex auctoritate Dei, qui habet imperium vitę & necis, filium ſuum volebat interficere, & conſequenter per ſublationem circumſtantiæ auctoritatis privatę, deſiit illa occiſio eſſe materia hujus legis naturalis, non occides.

Ad 2. dico neque in facto Iſraëlitarum rapientium vaſa Ægyptiorum, nec in facto Oſee, legem naturę eſſe immutatam: ſiquidem lex naturalis prohibet tantum auferri rem alienam invito domino, Iſraëlitę verò acceperunt res Ægyptiorum Deo volente, qui eſt dominus univerſorum; & conſequenter per ſublatam circumſtantiam inviti domini, ablatio illa deſiit eſſe materia hujus legis non furaberis adeoque legis naturalis. Idem dic de facto Oſee: quia lex naturalis prohibet tantum accedere ad non ſuam, Deus autem fornicariam mandato ſuo fecit uxorem propriam Oſee, adeoque per ſublatam circumſtantiam non ſuæ, deſiit fornicaria illa eſſe objectum fornicationis; & per conſequens materia hujus legis naturalis, non mœchaberis.

Ad 3. dico; in præſcriptionibus legem naturalem minimè immutari; quia lex naturalis tantum

præcipit ſua cuique reſtitui quamdiu manent ſua: jam verò lex poſitiva ob juſtas cauſas transfert dominia rerum, & ex ſuo facit non ſuum, & per conſequens per ſublatam circumſtantiam rei ſuæ, deſinit dicta reſtitutio eſſe materia legis naturalis.

Ad 4. dico: dupliciter aliquid dici de jure naturæ, nempe præceptivè & permiſſivè. Præceptivum eſt illud, quod jus naturæ abſolutè præcipit vel prohibet. Permiſſivum eſt illud, quod lex naturalis nec præcipit, nec prohibet, ſed tantum permittit. De jure naturæ præceptivo verum eſt quod ſit immutabile, ſecus verò de jure naturæ permiſſivo, ad quod ſpectat valor matrimonii clandeſtini; quia videlicet lex naturæ illi non contradicit nec prohibet: unde & omnes contractus mutuo conſenſu initi, eſto jure permiſſivo ſint validi, tamen jus poſitivum ob juſtas cauſas, v. g. ob aliquem defectum ſolemnitatis requiſitæ, poteſt illos invalidare.

Ad 5. Dico: omnes homines jure naturæ eſſe liberos, nullâ nimirum præſuppoſitâ culpâ, vel injuriâ, quâ interveniente, poteſt tolli libertas, & introduci ſervitus: ratio eſt; quia jus naturæ permittit ut quis juſto bello ſe defendat, & cum moderamine inculpatæ tutelæ hoſtem interficiat; ac proinde ſi ſit licitum jure naturæ hoſtem interficere, multò magis licebit eum in ſervitutem redigere. Quæ omnia exempla proinde non oſtendunt factam eſſe mutationem in jure naturæ, ſed ſolum alicujus circumſtantiæ, quâ ſublatâ, ſponte ceſſabit obligatio legis naturæ.

DUBIUM IV.

An cadat diſpenſatio in legem naturæ.

PRæmittendum; diſpenſare non eſſe aliud, quam tollere ab aliquo in particulari obligationem legis, illâ reſpectu aliorum manente in ſuo vigore. Quid diſpenſatio.

Reſp. ergo, & dico 1. non poteſt Deus diſpenſare in lege naturæ: ratio eſt, quia diſpenſare non eſt aliud, quam concedere alicui ut agat contra legem, lege vigente & obligante, ſeu in illis circumſtantiis in quibus lex obligat; ſed Deus nequit alicui concedere ut agat contra legem naturæ permanentibus eiſdem circumſtantiis quibus illa obligat. Quod probatur: quia quidquid fit contra legem naturæ, quatenus talem, eſt intrinſecè malum; quod proinde nullo caſu poteſt fieri licitum. Et hoc ulterius probatur quia lex naturalis non eſt aliud quam naturale dictamen rectæ rationis; quidquid autem eſt difforme rectæ rationi eſt peccatum: præterea præcepta legis naturę alia ſunt affirmativa, alia negativa: affirmativa ſunt, quę ſemper pręcipiunt actum, non tamen pro

Deus non diſpenſat in lege naturæ.

Quidquid eſt contra legem naturæ eſt intrinſecè malum.

Digitized by Google

pro ſemper; ut hoc Deus eſt colendus: negativa ſunt, quę actum prohibent ſemper, & pro ſemper; tale præceptum eſt, non fornicaberis. Inter præcepta verò negativa aliqua pro ſemper obligant poſitis etiam quibuſcumque circumſtantiis: qualia ſunt, quę prohibent mendacium, perjurium, &c. Alia ſunt, quę tantum prohibent poſitis aliquibus circumſtantiis, quibus mutatis, deſinunt obligare; tale eſt præceptum, non occides: nam obligatio hujus, tantum eſt ſub his circumſtantiis, ut nempe non liceat privatâ auctoritate, & extra caſum neceſſariæ defenſionis occidere.

Dices: Summus Pontifex quotidie diſpenſat in voto, juramento, in matrimonio rato non conſummato; quę omnia jure naturę obligant; ergo diſpenſat in lege naturę.

Reſp. neg. conſequentiam: quia diſpenſare in lege naturę, eſt remittere alicui obligationem legis naturæ, materiâ ejus manente immutatâ; quod Summus Pontifex non facit, nec facere poteſt: unde quando diſpenſat in voto, mutatur materia voti, quia remittitur debitum ortum ex humano conſenſu. Quod ut melius capiatur.

Aliqua præcepta legis naturæ præſup- Prænotandum: duplicia eſſe præcepta legis naturę: nempe aliqua quę originem ſuam habent ab humana voluntate; quorum proinde obligatio præſupponit humanum conſenſum: qualia ſunt quæ verſantur circa pacta, conventiones, contractus, item circa vota, & juramenta: quę proinde pro partiali materia habent conſenſum humanum, quo per legitimam poteſtatem ſublato, deſinit materia illa eſſe juris naturæ: omnis enim obligatio, orta ex pacto, vel contractu habet annexam hanc tacitam conditionem, niſi is, in cujus favorem factum eſt, obligationem remittat, quod ipſe utique facere poteſt, valet enim favori ſuo renuntiare; qui, ubi obligationem condonat, ſtatim omne debitum ex ea ortum evaneſcit, eſto quoque promiſſio foret juramento firmata; ſicuti autem is in cujus favorem fit promiſſio, illam poteſt condonare cedendo juri ſuo; ita quoque ejus ſuperior, cui ille vel pleno jure ſubeſt, ſicuti religioſus ſuo prælato: vel ſaltem cui materia promiſſa ſubeſt, ita ut poſſit prohibere de illa diſponere, prout filius-familias in aliquibus ſubeſt patri. ponunt humanũ conſenſum.

In quibus Põtifex diſpenſat. Ex his collige; quomodo à Pontifice tollatur obligatio juramenti vel voti; ſicuti enim Chriſtus Dominus, tamquam omnium ſuperior, poteſt omnem talem obligationem condonare; ita quoque ejus vicarius, cui dixit, *quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*; dum nimirum ſubeſt juſta cauſa, quâ condonatâ, ceſſat obligatio juris naturæ.

Alia verò ſunt præcepta juris naturæ,

Secus in illis quę obligãt indepẽdenter à conſenſu humano.

turæ, quæ immediatè obligant in ſuis materiis independenter ab omni conſenſu humano; cujuſmodi ſunt, Deus eſt colendus, parentes ſunt honorandi; &c. & quamvis in utraque ſpecie præceptorum ſit eadem immutabilitas ſecundum ſe, non eſt tamen eadem ex parte materiæ; quia, ut diximus, materia præceptorum primæ ſpeciei eſt mutabilis, in quantum pendet à conſenſu humano: unde propriè nec in illis diſpenſatur, ſed ceſſant potius illa præcepta, ſublatâ materiâ per accedentem circumſtantiam condonationis: nam lex naturæ, quâ obligamur præſtare quod promiſimus, præſupponit promiſſionem Deo factam non eſſe relaxatam, & ſub hac circumſtantia obligat ad præſtandum quod promiſimus; neque ſub hac circumſtantia in illis cadit aliqua diſpenſatio, ſed accedit ex parte Pontificis tamquam Chriſti vicarii condonatio obligationis ortæ ex promiſſione: & tunc ſponte ceſſat obligatio legis naturæ de præſtando promiſſo: nec hoc mirum videri debet, cum idem fiat in promiſſione homini facta: ſic enim Petrus lege naturæ tenetur præſtare quod promiſit Paulo, quando Paulus non remittit; quo remittente ſponte ceſſat omnis obligatio juris naturæ.

Dices: jus naturæ jubet matrimonium ratum & non conſummatum eſſe inſolubile, in quo tamen diſpenſat Pontifex.

Reſp. lex naturæ non ſic jubet; quaſi ejus ſolubilitas ſit intrinſecè mala; ſed tantum prohibet ne diſſolvatur propriâ auctoritate, vel mutuo contrahentium conſenſu; eò quod talis diſſolutio obſit naturæ in ſua ſpecie conſervandæ, ſi nempe hoc vinculum in gratiam propagandæ naturæ contractum, ad nutum contrahentium poſſit diſſolvi: nequaquam autem obeſt conſervationi naturæ quod illud publicâ auctoritate diſſolvatur: ſi enim natura ab una parte aliquid patiatur, hoc illi ab alia parte compenſatur, dum talis diſſolutio redundat in bonum commune.

Dices: Deus cum Patriarchis diſpenſavit in polygamia.

Deus non diſpenſavit in polygamia.

Reſp. negando aſſumptum; ſed tantum abſtulit aliquam circumſtantiam, quâ ſublatâ, ceſſavit obligatio legis naturę; ſiquidem lex naturalis prohibens uni viro pluralitatem uxorum in eo conſiſtit, ut nulli viro, quamdiu eſt inhabilis liceat habere plures uxores; Deus verò ex perſona inhabili facit habilem, dum tamquam ſupremus dominus concedit uſum corporis, qui per contractum matrimonialem datur tantum uni feminæ; concedit, inquam, ut detur pluribus: unde ſublatâ circumſtantiâ inhabilitatis per mutationem materiæ ceſſat lex naturæ.

Dices, lex naturæ prohibet viro dimittere uxorem & aliam ducere, in qua lege Deus diſpenſavit

conce-

concedendo Judæis libellum repudii.

Reſp. negando aſſumptum pro poſteriori parte: & dico tantum eſſe aliquam mutationem circumſtantiæ per quam ceſſavit lex naturalis, nec enim conceſſit Deus judæis ducere aliam uxorem manente primo vinculo, ſed vel matrimonium illud ipſe diſſolvit; quo diſſoluto, non eſt illicitum ducere ſecundam uxorem, utpote quod quotidie fit per mortem diſſoluto matrimonio: vel poteſtatem dedit marito uxorem dimittendi quamvis remanente vinculo matrimonii, & aliam ducendi; quia tunc licita erat poligamia; vel denique ſecundum alios Deus permiſit illis repudium non tamquam licitum ſed tamquam minus malum propter duritiem cordis ipſorum.

Hinc generaliter dico, quod in quibuſcumque exemplis quæ adferri poſſunt, in quibus Deus videtur diſpenſaſſe in lege naturæ, factam eſſe tantummodo mutationem alicujus circumſtantiæ in ipſa materiâ, quâ poſita, lex naturæ ſuâ ſponte ceſſavit; eò quod res illa quæ antea erat materia legis naturæ per mutationem circumſtantiæ deſinat eſſe talis.

Petes; an omnis materia legis naturæ per mutationem alicujus circumſtantiæ poſſit deſinere eſſe talis.

Reſp. negativè: quia ſunt aliqua præcepta legis naturæ quæ obligant poſitis quibuſcumque circumſtantiis; quorum proinde obligatio numquam ceſſat; qualia ſunt quibus prohibetur mendacium, perjurium &c.

DUBIUM V.

An Epykia habeat locum in lege naturæ.

RESp. negativè, ſaltem ſi lex naturæ ſumatur propriè cum omnibus ſuis circumſtantiis in quibus habet rationem legis: ratio eſt, quia epykia eſt virtus correctiva legis in caſu aliquo particulari, in quo lex ob ſuam generalem expreſſionem deficit à recto; ſed lex naturalis non admittit aliquam correctionem, cum conſiſtat in ipſa recta ratione, quæ à practicè vero nequit deficere; quia eo ipſo non eſſet recta. Quid epykia. Nō cadit in legem naturæ.

Dices: lex, non occides; item, redde depoſitum, patiuntur epykiam; quia interpretamur illas non obligare in caſu, quo eſſet contra juſtitiam, vel charitatem, reddere depoſitum: ſimiliter in caſu quo occiſio fieret auctoritate publica, vel ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, & tamen ſunt leges naturales.

Reſp. dictam interpretationem non eſſe epykiam, ſed nudam & ſimplicem interpretationem, qualem etiam concedimus in lege naturæ: cum enim omnia legis naturæ In quā tamen cadit nuda interpretatio.

ræ præcepta non ſint æquè nota, vel æquè facilia intellectu, hinc quandoque opus eſt interpretatione ut ſenſus legis capiatur: ſic in antedicta lege naturæ, non occides, opus eſt explicatione ad ſciendum quę occiſio intelligatur; quia non quælibet, ſed tantum, ut diximus, quæ fit privatâ auctoritate, & extra caſum juſtæ defenſionis: ſic quoque eſt præceptum naturę, reddere Deo vota ſua, cum hac interpretatione ſecundum intentionem voventis; adeoque votum non obligat in caſu à vovente non expreſſo: ſic quoque hæc lex, redde depoſitum, patitur hanc interpretationem, nempè ſine injuria tertii, ejuſmodi verò interpretatio non tantum fit à Deo, ſed etiam ab hominibus, qui ſine affectu & paſſione diligentius inquiſierunt quid ratio naturalis præſcribat.

Dices: præceptum negativum furti pertinet ad legem naturę: ſed in illo habet locum epykia; quia interpretamur illud non obligare, caſu quo quis in extrema neceſſitate auferat aliquid à domino invito.

Reſp. neg. ſubſumptum: quia quandocumque fit aliqua mutatio in objecto, vel circumſtantiis, propter quas actus deſinit eſſe malus, adeoque deſinit eſſe jure naturæ prohibitus, prout quoque vidimus in ſuperioribus exemplis, tunc generaliter non habet locum epykia eò quod non verſetur circa materiam lege naturę comprehenſam; ſed ſit ſimplex interpretatio, ſeu declaratio materiæ legis.

Dices: eâdem ratione quâ negatur epykia cadere in legem naturę, negari quoque poterit eam cadere in legem poſitivam: quod probatur; quia actus circa quem verſatur epykia, vel ſecundum omnes circumſtantias eſt plane ſimilis illi qui lege continetur, vel ſecundum aliquam circumſtantiam eſt diſſimilis: quod ſi ſit plane ſimilis, nemo ſano intellectu præditus poterit judicare illum minus lege comprehendi, quam alterum: quod ſi verò ſit diſſimilis, jam ceſſabit obligatio legis ob materiæ mutationem: ſicuti dictum eſt de lege naturæ.

Reſp. negando antecedens: & ratio diverſitatis, cur epykia minus habeat locum in lege naturę, quam humana, eſt, quod lex naturę negativa cadat tantum in materiam talibus veſtitam circumſtantiis, cum quibus habet inſeparabiliter conjunctam malitiam præveniendo etiam omnem prohibentis voluntatem: lex verò humana non cadat neceſſariò in talem, ſed potius in materiam de ſe indifferentem; de qua proinde fieri poteſt, quod cum omnibus ſuis circumſtantiis cum quibus eſt prohibita, per ſolam mutationem extrinſecam legiſlatoris poſſit fieri non eſſe prohibita: ac proinde quod ſit plane ſimilis alicui alteri prohibitæ: ita

ut,

ut, ſpectando legem in ſuo vigore, videatur contineri ſub lege; & tamen propter extrinſecam aliquam circumſtantiã ſupervenientem poſſit prudenter judicari non cecidiſſe ſub intentionem legiſlatoris; idque per epykiam.

QUÆSTIO IV.
De Lege Dei Poſitiva.

Quid lex poſitiva.

NOmine legis poſitivæ intelligitur illa, cujus obligatio oritur ex ſola voluntate legiſlatoris; ad diſtinctionem legis naturæ, cujus obligatio oritur ex ipsâ rerum natura antecedenter ad omnem legiſlatoris voluntatem, ut ſupra diximus.

Ex dictis colligitur, quid ſit lex Dei poſitiva; nempe quæ fertur à Deo, per quam præcipitur aliquid in ordine ad ſalutem, quod tamen non eſt præceptum legis naturæ: quale eſt præceptum Baptiſmi, Euchariſtiæ, &c.

Petes: an hæc lex poſitiva fuerit neceſſaria.

Ultra legem naturæ fuit illa neceſſaria.

Reſp. Affirm. eò quod lex naturalis ſe ſolâ non poſſit hominem dirigere ad finem ſupernaturalem, ad quem creati ſumus. 2. quia lex naturæ multa ſolum præcipit in communi, non ſpectando formam, locum, tempus, &c. quæ omnia determinantur per legem poſitivam.

Petes, an ad hoc non ſufficeret lex poſitiva humana.

Reſp. negativè; quia lex humana non poteſt hominem dirigere quoad actus merè internos, cum eos non poſſit cognoſcere, nec judicare: tum etiam quia lex humana non poteſt omnia peccata prohibere, & punire, ſicut poteſt lex divina.

Petes, quomodò dividatur lex Dei poſitiva.

Diviſio legis poſitivæ.

Reſp. eam dividi in Veterem, & Novam. In Moyſaïcam, & Evangelicam: de quibus poſtea.

DUBIUM PRIMUM.
Quid ſit lex vetus.

Quid lex vetus.

HÆc rectè definitur, lex à Deo lata miniſterio angelorum, & per Moyſem populo Iſraëlitico tradita. Quod enim Deus ſit auctor legis veteris, patet ex verbis Chriſti Matth. 15. dum ait, *irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*: quo loco legem Moyſaïcam appellat mandatum Dei. Ita quoque loquitur Apoſt. ad Hebr. 1. *multifariè multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*

Probatur præterea ratione; quia ejuſdem eſt intendere finem, & diſponere media ad finem conſequendum; ſed lex Evangelica eſt finis legis Moyſaïcæ, juxta illud ad Rom. 10. *finis legis eſt Chriſtus*; ergo idem Deus, qui eſt auctor legis Evangelicæ, eſt auctor legis Moyſaïcæ.

Digitized by Google

Illa fuit bona. Attamẽ inſufficiens ad obtinẽdam æternã beatitudinem.

Petes, an lex vetus fuerit bona

Reſp. Affir: patet ad Rom. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*: & idcirco Chriſtus eam ſæpius commendavit; ut Math. 8. ubi ait; *Oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* Item cap. 23. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite.* Probatur ratione, quia lex vetus fuit æqua regula humanorum actuum præcipiens bona & prohibens mala; adeoque per omnia conformis rectæ rationi.

Dices: Apoſtolus ad Rom. 4. ait, *Lex iram operatur.* Et ad Rom. 5. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Et ad Hæb. 8. ait expreſſè, *Si prius teſtamentum culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Et ad Hæb. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adducit lex.* Et ad Hæb. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*: Ergo lex vetus non eſt bona.

Reſp. negando conſequentiam: & dico has & ſimiles ſcripturas tantum monſtrare legem veterem non habuiſſe perfectam rationem bonitatis; quia ſcilicet per ſe non erat ſufficiens ad æternam beatitudinem homini comparandam: quoniam nec ejus Sacrificia, nec Sacramenta poterant conferre gratiam ex opere operato, quæ eſt medium neceſſarium ad ſalutem: hinc S. Auguſt. lib. de Spiritu & littera capite 19. „Lex data eſt ut „gratia quæreretur; gratia data eſt „ut lex adimpleretur. Quod autem dicat Apoſtolus ad Hebr. 8. vetus teſtamentum non vacaſſe culpâ: non ſic intelligendum eſt, quaſi continuerit vitium vel peccatum, ſed quia deërat ipſi aliquid ad perfectionem; ſiquidem ſufficienter oſtendebat quid eſſet agendum; & omittendum, ſed non dabat gratiam ad adimplendum.

Petes: quomodo ergo homines in lege veteri fuerint juſtificati.

Reſp. ex fide in Chriſtum, & gratiâ quæ per Chriſtum, hoc eſt ex meritis Chriſti, illis dabatur.

Secundò dico, lex vetus non tantum fuit bona, ſed & utilis populo cui data fuit; ſiquidem ad hoc primò valebat, ut cognoſcerent ſe peccatores: hinc Apoſtolus ad Rom. cap. 3. ait; *per legem cognitio peccati,* & capit 7. *peccatum non cognovi niſi per legem.* 2. Ad hoc valebat, ut intelligentes ſe peccatores, cognoſcerent, ſe opus habere ſalvatore. 3. Ad hoc valebat, ut populus ille ſervilis metu pœnarum contineretur in officio. 4. Denique ut per legem, tamquam per umbram, devenirent in cognitionem legis Evangelicæ.

Dices: S. Petrus Actor. 15. ait, legem veterem eſſe jugum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus; ergo illa non fuit utilis, neque bona.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. negando conſequentiam; quia S. Petrus verbis illis tantum voluit ſignificare legem illam fuiſſe valde difficilem obſervatu; eò quod juberet quidem, ſed gratiam non conferret quâ præcepta adimplerentur: inſuper quoque ob multitudinem præceptorum ceremonialium & judicialium. Quod enim non fuerit revera impoſſibilis obſervatu, patet; quia Luc. 1. legitur quomodo parentes S. Joan. Baptiſtæ inceſſerint in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela: idem quoque dicitur de Simeone ſene, Anna prophetiſſa, & aliis Sanctis veteris teſtamenti.

Petes: an lex vetus obligaverit ſolos judæos.

obligavit ſolos judæos.

Reſp. Affirm. quia illis ſolis eſt promulgata & data: unde licet gentiles tunc obligarentur lege naturali non tamen fuerunt obligati lege veteri, niſi quando voluerunt circumcidi

Dices: ergo conditio gentilium fuit melior quam judæorum; quia judæi non poterant ſalvari niſi ſervando legem Moyſaicam & naturalem, illi verò poterant ſalvari ſervando ſolam legem naturalem.

Reſp. negando conſequentiam; quia alioquin quoque ſequeretur, quod ſtatus ſecularis ſit melior clericali vel religioſo, eò quod hi obligentur ad plura, quam ſæculares. Unde dico, quod ſimpliciter loquendo iſte ſtatus cenſeatur melior qui hominem magis ex ſe conjungit & conſecrat Deo, qualis eſt ſtatus clericalis vel religioſus, etiamſi plura ſecum conferat præcepta obſervanda: & ita quoque ſtatus judæorum fuit melior quam gentilium, quia judæi Deo erant conjunctiores per legem, Sacrificia, & Sacerdotium.

Petes, an lex vetus ſit una, an plures

Reſp. eſſe unam unitate finis; quia nimirum omnia ejus præcepta ad unum finem ordinantur, qui eſt charitas de corde puro & conſcientia bona: inſuper quia omnia ordinabantur ad hunc finem particularem, nempe adumbrare chriſtianæ fidei myſteria.

fuerunt triplicia præcepta legis veteris moralia, cere monialia, judicialia.

Triplicis verò ſpeciei fuerunt præcepta legis Moyſaicæ; nempe moralia, cæremonialia, & judicialia: ut patet Deut. 6. *hæc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter ut docemus vos.* Ratio concluſionis eſt, quia lex divina debet hominem dirigere ut bene ſe gerat erga Deum & proximum: quod fit dupliciter: 1. per præcepta moralia, ſeu naturalia, quæ generatim docent Deum colendum, proximo non inferendam injuriam, &c 2. per præcepta cæremonialia, & judicialia; quorum prima ſpeciatim determinant quibus actibus & cæremoniis Deus ſit colendus: ſecunda verò quibus modis juſtitia inter homines ſit ſervanda: ex quibus patet quod præcepta cæremonialia, tantum fuerint merè determinatio-

Chriſtus obſervavit legem veterē. Quod verò vivente Chriſto lex vetus non fuerit abrogata, inde patet quia illam Chriſtus diligenter obſervavit quamdiu vixit, & ab aliis ſervari voluit: hinc die octavâ eſt circumciſus, celebravit cum diſcipulis ſuis paſcha, miſit leproſum ad ſacerdotes ut offerret munus ſuum juxta legem Moyſis; &c.

Petes, an ſicuti lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad ſuam obligationem, ita quoque ceſſaverit quoad utilitatem & efficaciam.

Lex vetus amiſit efficaciam ſuam & ſignificationem in morte Chriſti. Reſp. ceremonias legales v. g. Sacrificia & Sacramenta, dupliciter poſſe ſpectari: 1. quatenus erant Sacramenta veteris legis: in qua ſignificatione amiſerunt vim & efficaciam ſuam in morte Chriſti, eò quod tunc ſacerdotium fuerit extinctum, dum cruentum Sacrificium novæ legis in arâ crucis fuit oblatum. 2. illa ſpectari poſſunt tamquam opera religionis & virtutis; quomodo non amiſerunt vim ſuam ex opere operantis: unde ſi quis poſt mortem Chriſti ante promulgatum Evangelium feciſſet ceremonias legales, invincibiliter ignorans eas eſſe abrogatas, percepiſſet ex illis fructum ex opere operantis quem ſolitus erat percipere ex bonis ſuis operibus.

Dices; hinc ſequi, quod toto tempore quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſtem, quo lex nova fuit promulgata, nulla fuerit lex obligans: nam ut ſupponitur, lex vetus erat mortua in morte Chriſti, & Evangelica nondum fuerat promulgata.

Reſp. negandò conſequentiam; quia & tunc ſupererat lex naturæ, quæ obligabat.

Petes; an lex vetus poſt mortem Chriſti non tantum fuerit mortua, ſed & ſtatim inceperit eſſe mortifera, ita ut illam ſervantes peccarent mortaliter.

Lex vetus poſt Chriſti mortē fuit mortua; ſed nō ſtatim mortifera. Reſp. hic non eſſe quæſtionem de præceptis moralibus, vel etiam judicialibus; quia conſtat moralia etiam hodie à Chriſtianis quantumvis alio titulo debere ſervari: judicialia verò nonnumquam licitè obſervari poſſe, & quandoque etiam debere, modò abſit intentio ſignificandi Chriſtum venturum. Eſt igitur tota difficultas de præceptis cæremonialibus, an illa ſtatim cœperint eſſe mortifera. Super quâ quæſtione olim magna fuit contentio inter S. Hieronymum & Auguſtinum, ut patet ex epiſtola 11. Auguſtini. Ut autem in hac controverſiâ certa ab incertis ſeparemus.

Quod intelligi debet præcipuè de cæremoniis legis veteris. Obſervandum 1. ſemper fuiſſe peccatum mortale obſervare præcepta cæremonialia poſt Chriſti paſſionem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum.

2. Certum eſſe ſeclusâ antedictâ pravâ intentione, & remoto ſcandalo, licuiſſe poſt Chriſti paſſionem, & adhuc modò licere adhibere cæremonias legis veteris mate-

materialiter, hoc eſt nullo modo ad cultum divinum; ſed ob alios fines extraneos v. g. licere ſe circumcidere ob ſanitatem; quomodo S. Hieronymus excuſat S. Paulum circumcidentem Timotheum.

3. Certum eſſe poſt ſufficientem Evangelii prædicationem eſſe mortale adhibere ceremonias veteris legis ſub ratione cultus legis Moyſaicæ, idque ob falſam ſignificationem Chriſti venturi, Nec de his ulla fuit quæſtio inter Hieronymum & Auguſtinum, quibus ſuppoſitis reſtat controverſia.

An poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, ante factam Euangelii prædicationem, licitum fuerit obſervare ceremonialia veteris legis ſub ratione cultus Moyſaici; non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum, ſed tantum ad proteſtandam divinam excellentiam, noſtramque ſubjectionem. Super quo puncto fuit controverſia inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum: illo ſimpliciter affirmante fuiſſe mortiferum; Auguſtino verò affirmante legem Moyſaicam exinde fuiſſe mortuam ſed nullatenus mortiferam uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelii: quæ Augnſtini ſententia modò ab omnibus tenetur: & probatur variis Scripturæ locis, quibus conſtat ipſos Apoſtolos ante ſufficienter promulgatum Euangelium paſſim legalia obſervaſſe. Sic enim Paulus circumcidit Timotheum actum 16. & Paulus ſecundum judæorum ritus ſe purificavit actum 21. & certè conveniebat, ne judæi ritibus ita ſtatim ſpoliarentur, ut ſic ſynagoga ſepeliretur cum honore.

Dices; cæremoniæ illæ ſignificabant Chriſtum venturum, adeoque tunc erant ſigna falſa.

Reſp. ceremonias illas tunc fuiſſe aſſumptas non in hac, ſed in alia ſignificatione ſupradicta, nempè ad proteſtandum ſupremum Dei dominium, & noſtram ſubjectionem; res ſiquidem tam bene poſſunt admittere varias ſignificationes, quam verba.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 5. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Reſp. Apoſtolum ibidem intelligendum eſſe, ſi fiat circumciſio cum ſignificatione Chriſti venturi.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 2. ait, Petrum fuiſſe reprehenſibilem propter obſervationem legalium.

Reſp. Petrum non fuiſſe reprehenſibilem in eo, quod legalia obſervaret preciſe, ſed quod minus cautè & circumſpectè illa obſervaſſet cum aliquo ſcandalo gentilium, qui exinde putabant legalium obſervationem eſſe neceſſariam.

DU-

Chriſtus obſervavit legem veterē.

Quod verò vivente Chriſto lex vetus non fuerit abrogata, inde patet quia illam Chriſtus diligenter obſervavit quamdiu vixit, & ab aliis ſervari voluit: hinc die octavâ eſt circumciſus, celebravit cum diſcipulis ſuis paſcha, miſit leproſum ad ſacerdotes ut offerret munus ſuum juxta legem Moyſis; &c.

Petes, an ſicuti lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad ſuam obligationem, ita quoque ceſſaverit quoad utilitatem & efficaciam.

Lex vetus amiſit efficaciam ſuam & ſignificationem in morte Chriſti.

Reſp. ceremonias legales v. g. Sacrificia & Sacramenta, dupliciter poſſe ſpectari: 1. quatenus erant Sacramenta veteris legis: in qua ſignificatione amiſerunt vim & efficaciam ſuam in morte Chriſti, eò quod tunc ſacerdotium fuerit extinctum, dum cruentum Sacrificium novæ legis in arâ crucis fuit oblatum. 2. illa ſpectari poſſunt tamquam opera religionis & virtutis; quomodo non amiſerunt vim ſuam ex opere operantis: unde ſi quis poſt mortem Chriſti ante promulgatum Evangelium feciſſet ceremonias legales, invincibiliter ignorans eas eſſe abrogatas, percepiſſet ex illis fructum ex opere operantis quem ſolitus erat percipere ex bonis ſuis operibus.

Dices; hinc ſequi, quod toto tempore quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſtem, quo lex nova fuit promulgata, nulla fuerit lex obligans: nam ut ſupponitur lex vetus erat mortua in morte Chriſti, & Evangelica nondum fuerat promulgata.

Reſp. negandò conſequentiam; quia & tunc ſupererat lex naturæ, quæ obligabat.

Petes; an lex vetus poſt mortem Chriſti non tantum fuerit mortua, ſed & ſtatim inceperit eſſe mortifera, ita ut illam ſervantes peccarent mortaliter.

Lex vetus poſt Chriſti mortē fuit mortua, ſed nō ſtatim mortifera.

Reſp. hic non eſſe quæſtionem de præceptis moralibus, vel etiam judicialibus; quia conſtat moralia etiam hodie à Chriſtianis quantumvis alio titulo debere ſervari: judicialia verò nonnumquam licitè obſervari poſſe, & quandoque etiam debere, modò abſit intentio ſignificandi Chriſtum venturum. Eſt igitur tota difficultas de præceptis cæremonialibus, an illa ſtatim cœperint eſſe mortifera. Super quâ quæſtione olim magna fuit contentio inter S. Hieronymum & Auguſtinum, ut patet ex epiſtola 11. Auguſtini. Ut autem in hac controverſiâ certa ab incertis ſeparemus.

Quod intelligi debet præcipuè de cæremoniis legis veteris.

Obſervandum 1. ſemper fuiſſe peccatum mortale obſervare præcepta cæremonialia poſt Chriſti paſſionem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum.

2. Certum eſſe ſeclusâ antedictâ pravâ intentione, & remoto ſcandalo, licuiſſe poſt Chriſti paſſionem, & adhuc modò licere adhibere cæremonias legis veteris mate-

Digitized by Google

materialiter, hoc eſt nullo modo ad cultum divinum; ſed ob alios fines extraneos v. g. licere ſe circumcidere ob ſanitatem; quomodo S. Hieronymus excuſat S. Paulum circumcidentem Timotheum.

3. Certum eſſe poſt ſufficientem Evangelii prædicationem eſſe mortale adhibere ceremonias veteris legis ſub ratione cultus legis Moyſaïcæ, idque ob falſam ſignificationem Chriſti venturi, Nec de his ulla fuit quæſtio inter Hieronymum & Auguſtinum, quibus ſuppoſitis reſtat controverſia.

An poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, ante factam Euangelii prædicationem, licitum fuerit obſervare ceremonialia veteris legis ſub ratione cultus Moyſaici; non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum, ſed tantum ad proteſtandam divinam excellentiam, noſtramque ſubjectionem. Super quo puncto fuit controverſia inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum: illo ſimpliciter affirmante fuiſſe mortiferum; Auguſtino verò affirmante legem Moyſaicam exinde fuiſſe mortuam ſed nullatenus mortiferam uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelii: quæ Augnſtini ſententia modò ab omnibus tenetur: & probatur variis Scripturæ locis, quibus conſtat ipſos Apoſtolos ante ſufficienter promulgatum Euangelium paſſim legalia obſervaſſe. Sic enim Paulus circumcidit Timotheum actum 16. & Paulus ſecundum judæorum ritus ſe purificavit actum 21. & certè conveniebat, ne judæi ritibus ita ſtatim ſpoliarentur, ut ſic ſynagoga ſepeliretur cum honore.

Dices; cæremoniæ illæ ſignificabant Chriſtum venturum, adeoque tunc erant ſigna falſa.

Reſp. ceremonias illas tunc fuiſſe aſſumptas non in hac, ſed in alia ſignificatione ſupradicta, nempè ad proteſtandum ſupremum Dei dominium, & noſtram ſubjectionem; res ſiquidem tam bene poſſunt admittere varias ſignificationes, quam verba.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 5. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Reſp. Apoſtolum ibidem intelligendum eſſe, ſi fiat circumciſio cum ſignificatione Chriſti venturi.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 2. ait, Petrum fuiſſe reprehenſibilem propter obſervationem legalium.

Reſp. Petrum non fuiſſe reprehenſibilem in eo, quod legalia obſervaret preciſe, ſed quod minus cautè & circumſpectè illa obſervaſſet cum aliquo ſcandalo gentilium, qui exinde putabant legalium obſervationem eſſe neceſſariam.

DU-

Digitized by Google

Chriſtus obſervavit legem veterē.

Quod verò vivente Chriſto lex vetus non fuerit abrogata, inde patet quia illam Chriſtus diligenter obſervavit quamdiu vixit, & ab aliis ſervari voluit: hinc die octavâ eſt circumciſus, celèbravit cum diſcipulis ſuis paſcha, miſit leproſum ad ſacerdotes ut offerret munus ſuum juxta legem Moyſis; &c.

Petes, an ſicuti lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad ſuam obligationem, ita quoque ceſſaverit quoad utilitatem & efficaciam.

Lex vetus amiſit efficaciam ſuam & ſignificationem in morte Chriſti.

Reſp. ceremonias legales v. g. Sacrificia & Sacramenta, dupliciter poſſe ſpectari: 1. quatenus erant Sacramenta veteris legis: in qua ſignificatione amiſerunt vim & efficaciam ſuam in morte Chriſti, eò quod tunc ſacerdotium fuerit extinctum, dum cruentum Sacrificium novæ legis in arâ crucis fuit oblatum. 2. illa ſpectari poſſunt tamquam opera religionis & virtutis; quomodo non amiſerunt vim ſuam ex opere operantis: unde ſi quis poſt mortem Chriſti ante promulgatum Evangelium feciſſet ceremonias legales, invincibiliter ignorans eas eſſe abrogatas, percepiſſet ex illis fructum ex opere operantis quem ſolitus erat percipere ex bonis ſuis operibus.

Dices; hinc ſequi, quod toto tempore quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſtem, quo lex nova fuit promulgata, nulla fuerit lex obligans: nam ut ſupponitur lex vetus erat mortua in morte Chriſti, & Evangelica nondum fuerat promulgata.

Reſp. negandò conſequentiam; quia & tunc ſupererat lex naturæ, quæ obligabat.

Petes; an lex vetus poſt mortem Chriſti non tantum fuerit mortua, ſed & ſtatim inceperit eſſe mortifera, ita ut illam ſervantes peccarent mortaliter.

Lex vetus poſt Chriſti mortē fuit mortua; ſed nō ſtatim mortifera.

Reſp. hic non eſſe quæſtionem de præceptis moralibus, vel etiam judicialibus; quia conſtat moralia etiam hodie à Chriſtianis quantumvis alio titulo debere ſervari: judicialia verò nonnumquam licitè obſervari poſſe, & quandoque etiam debere, modò abſit intentio ſignificandi Chriſtum venturum. Eſt igitur tota difficultas de præceptis cæremonialibus, an illa ſtatim cœperint eſſe mortifera. Super quâ quæſtione olim magna fuit contentio inter S. Hieronymum & Auguſtinum, ut patet ex epiſtola 11. Auguſtini. Ut autem in hac controverſiâ certa ab incertis ſeparemus.

Quod intelligi debet præcipuè de cæremoniis legis veteris.

Obſervandum 1. ſemper fuiſſe peccatum mortale obſervare præcepta cæremonialia poſt Chriſti paſſionem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum.

2. Certum eſſe ſeclusâ antedictâ pravâ intentione, & remoto ſcandalo, licuiſſe poſt Chriſti paſſionem, & adhuc modò licere adhibere cæremonias legis veteris mate-

materialiter, hoc eſt nullo modo ad cultum divinum; ſed ob alios fines extraneos v. g. licere ſe circumcidere ob ſanitatem; quomodo S. Hieronymus excuſat S. Paulum circumcidentem Timotheum.

3. Certum eſſe poſt ſufficientem Evangelii prædicationem eſſe mortale adhibere ceremonias veteris legis ſub ratione cultus legis Moyſaïcæ, idque ob falſam ſignificationem Chriſti venturi, Nec de his ulla fuit quæſtio inter Hieronymum & Auguſtinum, quibus ſuppoſitis reſtat controverſia.

An poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, ante factam Euangelii prædicationem, licitum fuerit obſervare ceremonialia veteris legis ſub ratione cultus Moyſaici; non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum, ſed tantum ad proteſtandam divinam excellentiam, noſtramque ſubjectionem. Super quo puncto fuit controverſia inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum: illo ſimpliciter affirmante fuiſſe mortiferum; Auguſtino verò affirmante legem Moyſaicam exinde fuiſſe mortuam ſed nullatenus mortiferam uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelii: quæ Auguſtini ſententia modò ab omnibus tenetur: & probatur variis Scripturæ locis, quibus conſtat ipſos Apoſtolos ante ſufficienter promulgatum Euangelium paſſim legalia obſervaſſe. Sic enim Paulus circumcidit Timotheum actum 16. & Paulus ſecundum judæorum ritus ſe purificavit actum 21. & certè conveniebat, ne judæi ritibus ita ſtatim ſpoliarentur, ut ſic ſynagoga ſepeliretur cum honore.

Dices; cæremoniæ illæ ſignificabant Chriſtum venturum, adeoque tunc erant ſigna falſa.

Reſp. ceremonias illas tunc fuiſſe aſſumptas non in hac, ſed in alia ſignificatione ſupradicta, nempè ad proteſtandum ſupremum Dei dominium, & noſtram ſubjectionem; res ſiquidem tam bene poſſunt admittere varias ſignificationes, quam verba.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 5. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Reſp. Apoſtolum ibidem intelligendum eſſe, ſi fiat circumciſio cum ſignificatione Chriſti venturi.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 2. ait, Petrum fuiſſe reprehenſibilem propter obſervationem legalium.

Reſp. Petrum non fuiſſe reprehenſibilem in eo, quod legalia obſervaret preciſe, ſed quod minus cautè & circumſpectè illa obſervaſſet cum aliquo ſcandalo gentilium, qui exinde putabant legalium obſervationem eſſe neceſſariam.

DU-

Chriſtus obſervavit legem veterē.

Quod verò vivente Chriſto lex vetus non fuerit abrogata, inde patet quia illam Chriſtus diligenter obſervavit quamdiu vixit, & ab aliis ſervari voluit: hinc die octavâ eſt circumciſus, celebravit cum diſcipulis ſuis paſcha, miſit leproſum ad ſacerdotes ut offerret munus ſuum juxta legem Moyſis; &c.

Petes, an ſicuti lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad ſuam obligationem, ita quoque ceſſaverit quoad utilitatem & efficaciam.

Lex vetus amiſit efficaciam ſuam & ſignificationem in morte Chriſti.

Reſp. ceremonias legales v. g. Sacrificia & Sacramenta, dupliciter poſſe ſpectari: 1. quatenus erant Sacramenta veteris legis: in qua ſignificatione amiſerunt vim & efficaciam ſuam in morte Chriſti, eò quod tunc ſacerdotium fuerit extinctum, dum cruentum Sacrificium novæ legis in arâ crucis fuit oblatum. 2. illa ſpectari poſſunt tamquam opera religionis & virtutis; quomodo non amiſerunt vim ſuam ex opere operantis: unde ſi quis poſt mortem Chriſti ante promulgatum Evangelium feciſſet ceremonias legales, invincibiliter ignorans eas eſſe abrogatas, percepiſſet ex illis fructum ex opere operantis quem ſolitus erat percipere ex bonis ſuis operibus.

Dices; hinc ſequi, quod toto tempore quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſtem, quo lex nova fuit promulgata, nulla fuerit lex obligans: nam ut ſupponitur lex vetus erat mortua in morte Chriſti, & Evangelica nondum fuerat promulgata.

Reſp. negandò conſequentiam; quia & tunc ſupererat lex naturæ, quæ obligabat.

Petes; an lex vetus poſt mortem Chriſti non tantum fuerit mortua, ſed & ſtatim inceperit eſſe mortifera, ita ut illam ſervantes peccarent mortaliter.

Lex vetus poſt Chriſti mortē fuit mortua; ſed nō ſtatim mortifera.

Reſp. hic non eſſe quæſtionem de præceptis moralibus, vel etiam judicialibus; quia conſtat moralia etiam hodie à Chriſtianis quantumvis alio titulo debere ſervari: judicialia verò nonnumquam licitè obſervari poſſe, & quandoque etiam debere, modò abſit intentio ſignificandi Chriſtum venturum. Eſt igitur tota difficultas de præceptis cæremonialibus, an illa ſtatim cœperint eſſe mortifera. Super quâ quæſtione olim magna fuit contentio inter S. Hieronymum & Auguſtinum, ut patet ex epiſtola 11. Auguſtini. Ut autem in hac controverſiâ certa ab incertis ſeparemus.

Quod intelligi debet præcipuè de cæremoniis legis veteris.

Obſervandum 1. ſemper fuiſſe peccatum mortale obſervare præcepta cæremonialia poſt Chriſti paſſionem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum.

2. Certum eſſe ſeclusâ antedictâ pravâ intentione, & remoto ſcandalo, licuiſſe poſt Chriſti paſſionem, & adhuc modò licere adhibere cæremonias legis veteris mate-

Digitized by Google

materialiter, hoc eſt nullo modo ad cultum divinum; ſed ob alios fines extraneos v. g. licere ſe circumcidere ob ſanitatem; quomodo S. Hieronymus excuſat S. Paulum circumcidentem Timotheum.

3. Certum eſſe poſt ſufficientem Evangelii prædicationem eſſe mortale adhibere ceremonias veteris legis ſub ratione cultus legis Moyſaïcæ, idque ob falſam ſignificationem Chriſti venturi, Nec de his ulla fuit quæſtio inter Hieronymum & Auguſtinum, quibus ſuppoſitis reſtat controverſia.

An poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, ante factam Euangelii prædicationem, licitum fuerit obſervare ceremonialia veteris legis ſub ratione cultus Moyſaici; non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum, ſed tantum ad proteſtandam divinam excellentiam, noſtramque ſubjectionem. Super quo puncto fuit controverſia inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum: illo ſimpliciter affirmante fuiſſe mortiferum; Auguſtino verò affirmante legem Moyſaicam exinde fuiſſe mortuam ſed nullatenus mortiferam uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelii: quæ Augnſtini ſententia modò ab omnibus tenetur: & probatur variis Scripturæ locis, quibus conſtat ipſos Apoſtolos ante ſufficienter promulgatum Euangelium paſſim legalia obſervaſſe. Sic enim Paulus circumcidit Timotheum actum 16. & Paulus ſecundum judæorum ritus ſe purificavit actum 21. & certè conveniebat, ne judæi ritibus ita ſtatim ſpoliarentur, ut ſic ſynagoga ſepeliretur cum honore.

Dices; cæremoniæ illæ ſignificabant Chriſtum venturum, adeoque tunc erant ſigna falſa.

Reſp. ceremonias illas tunc fuiſſe aſſumptas non in hac, ſed in alia ſignificatione ſupradicta, nempè ad proteſtandum ſupremum Dei dominium, & noſtram ſubjectionem; res ſiquidem tam bene poſſunt admittere varias ſignificationes, quam verba.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 5. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Reſp. Apoſtolum ibidem intelligendum eſſe, ſi fiat circumciſio cum ſignificatione Chriſti venturi.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 2. ait, Petrum fuiſſe reprehenſibilem propter obſervationem legalium.

Reſp. Petrum non fuiſſe reprehenſibilem in eo, quod legalia obſervaret preciſe, ſed quod minus cautè & circumſpectè illa obſervaſſet cum aliquo ſcandalo gentilium, qui exinde putabant legalium obſervationem eſſe neceſſariam.

Digitized by Google

Illa fuit bona. Attamẽ inſuffi-ciens ad obtinẽ-dam æ-ternã beatitu-dinem.

Petes, an lex vetus fuerit bona

Reſp. Affir: patet ad Rom. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*: & idcirco Chriſtus eam ſæpius commendavit; ut Math. 8. ubi ait; *Oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* Item cap. 23. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite.* Probatur ratione, quia lex vetus fuit æqua regula humanorum actuum præcipiens bona & prohibens mala; adeoque per omnia conformis rectæ rationi.

Dices: Apoſtolus ad Rom. 4. ait, *Lex iram operatur.* Et ad Rom. 5. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Et ad Hæb. 8. ait expreſsè, *Si prius teſtamentum culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Et ad Hæb. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adducit lex.* Et ad Hæb. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*: Ergo lex vetus non eſt bona.

Reſp. negando conſequentiam: & dico has & ſimiles ſcripturas tantum monſtrare legem veterem non habuiſſe perfectam rationem bonitatis; quia ſcilicet per ſe non erat ſufficiens ad æternam beatitudinem homini comparandam: quoniam nec ejus Sacrificia, nec Sacramenta poterant conferre gratiam ex opere operato, quæ eſt medium neceſſarium ad ſalutem: hinc S. Auguſt. lib. de Spiritu & littera capite 19. ,, Lex data eſt ut ,, gratia quæreretur; gratia data eſt ,, ut lex adimpleretur. Quod autem dicat Apoſtolus ad Hebr. 8. vetus teſtamentum non vacaſſe culpâ: non ſic intelligendum eſt, quaſi continuerit vitium vel peccatum, ſed quia deërat ipſi aliquid ad perfectionem; ſiquidem ſufficienter oſtendebat quid eſſet agendum; & omittendum, ſed non dabat gratiam ad adimplendum.

Petes: quomodo ergo homines in lege veteri fuerint juſtificati.

Reſp. ex fide in Chriſtum, & gratiâ quæ per Chriſtum, hoc eſt ex meritis Chriſti, illis dabatur.

Secundò dico, lex vetus non tantum fuit bona, ſed & utilis populo cui data fuit; ſiquidem ad hoc primò valebat, ut cognoſcerent ſe peccatores: hinc Apoſtolus ad Rom. cap. 3. ait; *per legem cognitio peccati.* & capit 7. *peccatum non cognovi niſi per legem.* 2. Ad hoc valebat, ut intelligentes ſe peccatores, cognoſcerent, ſe opus habere ſalvatore. 3. Ad hoc valebat, ut populus ille ſervilis metu pœnarum contineretur in officio. 4. Denique ut per legem, tamquam per umbram, devenirent in cognitionem legis Evangelicæ.

Dices: S. Petrus Actor. 15. ait, legem veterem eſſe jugum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus; ergo illa non fuit utilis, neque bona,

Reſp.

Reſp. negando conſequentiam; quia S. Petrus verbis illis tantum voluit ſignificare legem illam fuiſſe valde difficilem obſervatu; eò quod juberet quidem, ſed gratiam non conferret quâ præcepta adimplerentur: inſuper quoque ob multitudinem præceptorum ceremonialium & judicialium. Quod enim non fuerit revera impoſſibilis obſervatu, patet; quia Luc. 1. legitur quomodo parentes S. Joan. Baptiſtæ inceſſerint in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela: idem quoque dicitur de Simeone ſene, Anna propheti ſſa, & aliis Sanctis veteris teſtamenti.

Petes: an lex vetus obligaverit ſolos judæos.

obligavit ſolos judæos. Reſp. Affirm. quia illis ſolis eſt promulgata & data: unde licet gentiles tunc obligarentur lege naturali non tamen fuerunt obligati lege veteri, niſi quando voluerunt circumcidi

Dices: ergo conditio gentilium fuit melior quam judæorum; quia judæi non poterant ſalvari niſi ſervando legem Moyſaicam & naturalem, illi verò poterant ſalvari ſervando ſolam legem naturalem.

Reſp. negando conſequentiam; quia alioquin quoque ſequeretur, quod ſtatus ſecularis ſit melior clericali vel religioſo, eò quod hi obligentur ad plura, quam ſæculares. Unde dico, quod ſimpliciter loquendo iſte ſtatus cenſeatur melior qui hominem magis ex ſe conjungit & conſecrat Deo, qualis eſt ſtatus clericalis vel religioſus, etiamſi plura ſecum conferat præcepta obſervanda: & ita quoque ſtatus judæorum fuit melior quam gentilium, quia judæi Deo erant conjunctiores per legem, Sacrificia, & Sacerdotium.

Petes, an lex vetus ſit una, an plures

Reſp. eſſe unam unitate finis; quia nimirum omnia ejus præcepta ad unum finem ordinantur, qui eſt charitas de corde puro & conſcientia bona: inſuper quia omnia ordinabantur ad hunc finem particularem, nempe adumbrare chriſtianæ fidei myſteria.

Triplicis verò ſpeciei fuerunt præcepta legis Moyſaicæ; nempe moralia, cæremonialia, & judicialia: ut patet Deut. 6. *hæc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter ut docemus vos.* Ratio concluſionis eſt, quia lex divina debet hominem dirigere ut bene ſe gerat erga Deum & proximum: quod fit dupliciter: 1. per præcepta moralia, ſeu naturalia, quæ generatim docent Deum colendum, proximo non inferendam injuriam, &c 2. per præcepta cæremonialia, & judicialia; quorum prima ſpeciatim determinant quibus actibus & cæremoniis Deus ſit colendus: ſecunda verò quibus modis juſtitia inter homines ſit ſervanda: ex quibus patet quod præcepta cæremonialia, tantum fuerint meræ determinatio- fuerunt triplicia præcepta legis veteris moralia, ceremonialia, judicialia.

nes legis moralis ſeu naturalis quo ad cultum divinum, & juſtitiam inter proximum ſervandam. 2. patet, præcepta moralia eſſe præcepta juris naturæ; quia nimirum ratio naturalis dictat Deum eſſe colendum: quibus autem modis ſit colendus dictat lex poſitiva. 3. ſequitur præcepta moralia omni tempore eſſe obſervanda; ceremonialia verò & judicialia pro illo tantùm tempore, quo legiſlator voluit; idque ab iis quos ipſe ad hoc obligavit.

Petes; an in lege veteri non fuerint aliqua præcepta de actibus ſupernaturalibus.

Lex vetus præcepit actus ſupernaturales fidei ſpei, & charitatis.

Reſp. Affirm. quia Deut. 6. habetur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. hoc autem fuiſſe præceptum legis veteris probat Chriſti reſponſio Matth. 22. dum rogatus, quod ſit mandatum magnum in lege, ſtatim reſpondit; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Accedit quod in lege veteri fuerint multi viri ſancti & pii, qui non potuerunt juſtificari ſine actibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis.

Dices: ergo lex vetus juſtificabat: quod eſt contra Apoſtolum dicentem, quod lex vetus nihil ad perfectum adducebat.

Sed nõ dedit vires ad illos eliciendos

Reſpon. negandò conſequentiam: quia licet lex præciperet actus fidei, ſpei, & charitatis; non tamen dabat vires & gratiam ad faciendos actus præceptos; ſed illa dabatur ex meritis Chriſti.

Dices: ergo præcepta legis veteris non reducuntur univerſim & adæquatè ad tres ſpecies, nempè moralia, judicialia, & ceremonialia.

Reſp. negando conſequentiam: ſiquidem præcepta de actibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis reducuntur ad præcepta moralia; neque enim verùm eſt omnia præcepta moralia eſſe de lege naturæ, excludendo quamlibet legem ſupernaturalem; quia illa dicuntur præcepta moralia ſeu naturalia, quæ ratio noſtra naturali vel ſupernaturali lumine illuſtrata dictat ſervanda, ſeclusâ quâvis inſtitutione poſitiva: qualia ſunt præcepta decalogi; quorum tria prima reſpiciunt cultum divinum, reliqua juſtitiam cum proximo ſervandam: & licet in Decalogo habeatur præceptum de ſervando Sabbatho, quod eſt cæremoniale quoad determinationem diei, eſt tamen morale ſeu naturale quoad ſubſtantiam; quia recta ratio dictat Deo deberi aliquem famulatum, cum ipſe ſit Dominus univerſorum.

Petes, quot ſint præcepta ceremonialia.

Quatuor genera præceptorum cæremonialium.

Reſp. eorum quæ præſcribunt certas ceremonias pertinentes ad cultum divinum, ſunt tot genera quot ſunt genera eorum quæ ad cultum divinum pertinent; nempè quatuor: 1. Sacrificia. 2. Sacramenta.

menta. 3. Sacra, id eſt quæ verſantur circa inſtrumenta cultus divini. 4. Obſervantiæ legales; qualis eſt, abſtinentia ab adipe & ſanguine.

Petes: quæ ſint præcepta judicialia.

Quid ſint pręcepta judicialia.

Reſp. quæ præſcribunt certam formam ſervandæ juſtitiæ inter homines: quæ ſunt quadruplicis ſpeciei, juxta quadruplex genus hominum, inter quos debet ſervari juſtitia. Quædam enim præſcribunt certum ordinem juſtitiæ inter ſuperiorem & ſubditum. 2. Quædam inter ipſos ſubditos. 3. Quædam inter ſubditos & extraneos 4 Quædam inter domeſticos ejuſdem familiæ.

Erant quadruplicis generis.

Petes; quodnam ſit diſcrimen inter præcepta ceremonialia, & judicialia.

Diſcrimen inter pręcepta cæremonialia, & judicialia.

Reſp. hoc primarium; quod ceremonialia ſint principaliter inſtituta ad figurandum Chriſtum, non verò judicialia: unde cæremonialia præcepta modò non tantum ſunt mortua, ſed & mortifera: unde ſi modò adhiberentur, eſſent ſigna prognoſtica falſa Chriſti venturi; cum ipſe ſit præſens.

Petes; quandonam lex vetus ſit abrogata.

Lex vetus non fuit abrogata vivête Chriſto, ſed in ejus mortẽ.

Reſp. in morte Chriſti; ita ut tunc ceſſaverit omnis ejus obligatio: ratio eſt, quia tunc velum templi ſciſſum eſt, quo ſignificabatur quod lex vetus erat rupta. quia *tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt ut legis tranſlatio fiat*, ut ait Apoſtol. ad Hebr. 7. tunc Chriſtus ſemetipſum offerens in cruce, abrogavit vetus ſacrificium, ejuſque memoriam nobis reliquit, inſtituens SS. Sacramentum pridie quam pateretur; ergo tunc ceſſavit lex vetus. Quod probatur ulterius, quia novum teſtamentum in morte Chriſti fuit confirmatum; ergo vetus tunc deſiit vim habere, ratio eſt, quia dum teſtator moritur, ſuâque morte confirmat ultimum teſtamentum eſſe conditum, omnia alia teſtamenta antè per ipſum facta vim ſuam amittunt: hinc infer, falſum eſſe quod lex vetus fuerit abrogata per Joannem Baptiſtam; eò quod Lucæ 16. dicatur *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*; quia ſolus ille abrogat legem veterem qui novam inſtituit; atqui illius inſtitutor eſt Chriſtus; ergo &c. Præterea lex vetus erat umbra novi teſtamenti; umbra autem non evaneſcit niſi luce adveniente, juxta illud Joan. 1. *Non erat ille lux: ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*: Quod verò attinet ad ſenſum antedictæ Scripturæ, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, hic eſt, ultimum prophetarum prænuntiantiũm Chriſtum eſſe venturum, fuiſſe Joannem: prætereà quod lex & Prophetæ perduraverint uſque ad Joannem in ſuo vigore; ex quo verò Joannes cœpit Chriſtum digito monſtrare, legem veterem cœpiſſe ægrotare, & ad interitum tendere.

Chriſtus obſervavit legem veterē.

Quod verò vivente Chriſto lex vetus non fuerit abrogata, inde patet quia illam Chriſtus diligenter obſervavit quamdiu vixit, & ab aliis ſervari voluit: hinc die octavâ eſt circumciſus, celebravit cum diſcipulis ſuis paſcha, miſit leproſum ad ſacerdotes ut offerret munus ſuum juxta legem Moyſis; &c.

Petes, an ſicuti lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad ſuam obligationem, ita quoque ceſſaverit quoad utilitatem & efficaciam.

Lex vetus amiſit efficaciam ſuam & ſignificationem in morte Chriſti.

Reſp. ceremonias legales v. g. Sacrificia & Sacramenta, dupliciter poſſe ſpectari: 1. quatenus erant Sacramenta veteris legis: in qua ſignificatione amiſerunt vim & efficaciam ſuam in morte Chriſti, eò quod tunc ſacerdotium fuerit exſtinctum, dum cruentum Sacrificium novæ legis in arâ crucis fuit oblatum. 2. illa ſpectari poſſunt tamquam opera religionis & virtutis; quomodo non amiſerunt vim ſuam ex opere operantis: unde ſi quis poſt mortem Chriſti ante promulgatum Evangelium feciſſet ceremonias legales, invincibiliter ignorans eas eſſe abrogatas, percepiſſet ex illis fructum ex opere operantis quem ſolitus erat percipere ex bonis ſuis operibus.

Dices; hinc ſequi, quod toto tempore quod interceſſit à morte Chriſti uſque ad Pentecoſtem, quo lex nova fuit promulgata, nulla fuerit lex obligans: nam ut ſupponitur lex vetus erat mortua in morte Chriſti, & Evangelica nondum fuerat promulgata.

Reſp. negandò conſequentiam; quia & tunc ſupererat lex naturæ, quæ obligabat.

Petes; an lex vetus poſt mortem Chriſti non tantum fuerit mortua, ſed & ſtatim inceperit eſſe mortifera, ita ut illam ſervantes peccarent mortaliter.

Lex vetus poſt Chriſti mortē fuit mortua; ſed nō ſtatim mortifera.

Reſp. hic non eſſe quæſtionem de præceptis moralibus, vel etiam judicialibus; quia conſtat moralia etiam hodie à Chriſtianis quantumvis alio titulo debere ſervari: judicialia verò nonnumquam licitè obſervari poſſe, & quandoque etiam debere, modò abſit intentio ſignificandi Chriſtum venturum. Eſt igitur tota difficultas de præceptis cæremonialibus, an illa ſtatim cœperint eſſe mortifera. Super quâ quæſtione olim magna fuit contentio inter S. Hieronymum & Auguſtinum, ut patet ex epiſtola 11. Auguſtini. Ut autem in hac controverſiâ certa ab incertis ſeparemus.

Quod intelligi debet præcipuè de cæremoniis legis veteris.

Obſervandum 1. ſemper fuiſſe peccatum mortale obſervare præcepta cæremonialia poſt Chriſti paſſionem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum.

2. Certum eſſe ſeclusâ antedictâ pravâ intentione, & remoto ſcandalo, licuiſſe poſt Chriſti paſſionem, & adhuc modò licere adhibere cæremonias legis veteris mate-

materialiter, hoc eſt nullo modo ad cultum divinum; ſed ob alios fines extraneos v. g. licere ſe circumcidere ob ſanitatem; quomodo S. Hieronymus excuſat S. Paulum circumcidentem Timotheum.

3. Certum eſſe poſt ſufficientem Evangelii prædicationem eſſe mortale adhibere ceremonias veteris legis ſub ratione cultus legis Moyſaicæ, idque ob falſam ſignificationem Chriſti venturi, Nec de his ulla fuit quæſtio inter Hieronymum & Auguſtinum, quibus ſuppoſitis reſtat controverſia.

An poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, ante factam Euangelii prædicationem, licitum fuerit obſervare ceremonialia veteris legis ſub ratione cultus Moyſaici; non quidem cum intentione ſignificandi Chriſtum venturum, ſed tantum ad proteſtandam divinam excellentiam, noſtramque ſubjectionem. Super quo puncto fuit controverſia inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum: illo ſimpliciter affirmante fuiſſe mortiferum; Auguſtino verò affirmante legem Moyſaicam exinde fuiſſe mortuam ſed nullatenus mortiferam uſque ad tempus ſufficienter promulgati Evangelii: quæ Augnſtini ſententia modò ab omnibus tenetur: & probatur variis Scripturæ locis, quibus conſtat ipſos Apoſtolos ante ſufficienter promulgatum Euangelium paſſim legalia obſervaſſe. Sic enim Paulus circumcidit Timotheum actum 16. & Paulus ſecundum judæorum ritus ſe purificavit actum 21. & certè conveniebat, ne judæi ritibus ita ſtatim ſpoliarentur, ut ſic ſynagoga ſepeliretur cum honore.

Dices; cæremoniæ illæ ſignificabant Chriſtum venturum, adeoque tunc erant ſigna falſa.

Reſp. ceremonias illas tunc fuiſſe aſſumptas non in hac, ſed in alia ſignificatione ſupradicta, nempè ad proteſtandum ſupremum Dei dominium, & noſtram ſubjectionem; res ſiquidem tam bene poſſunt admittere varias ſignificationes, quam verba.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 5. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Reſp. Apoſtolum ibidem intelligendum eſſe, ſi fiat circumciſio cum ſignificatione Chriſti venturi.

Dices: Apoſtolus ad Gal. 2. ait, Petrum fuiſſe reprehenſibilem propter obſervationem legalium.

Reſp. Petrum non fuiſſe reprehenſibilem in eo, quod legalia obſervaret preciſe, ſed quod minus cautè & circumſpectè illa obſervaſſet cum aliquo ſcandalo gentilium, qui exinde putabant legalium obſervationem eſſe neceſſariam.

DU-

DUBIUM II.

Quid lex nova, ſeu Evangelica.

Quid lex Evangelica.

LEx Evangelica eſt illa, quam Chriſtus Evangelium annuntians dedit: quæ etiam vocatur lex novi teſtamenti, quia ſimul cum novo teſtamento nobis eſt legata & tradita: dicitur, *Nova*, quia noviter data eſt poſt legem Moſaicam, cui ſuccedit; & quia per illa quæ continet, nempe Fidem, Spem, & Charitatem, homines interius renovantur: unde patet per legem novam, non debere intelligi unum aliquod mandatum noviter datum vel aliquam tantum congeriem novorum præceptorum; ſed totam doctrinam & ordinationem quam Chriſtus per ſeipſum tradidit & ſtatuit; ſiquidem in nova lege etiam comprehenduntur conſilia evangelica, prout & gratia quâ præcepta & conſilia adimplentur.

Cur dicatur lex nova.

Petes: An lex nova ſit ſcripta, & voce promulgata.

Lex nova quoad ſuũ principale nõ eſt ſcripta.

Reſp. Quoad ſuum principale quod in illa continetur non eſſe ſcriptam, ſed inditam cordibus noſtris; ratio eſt, quia principale, quod in lege nova eſt, eſt gratia Spiritus S. per quam fit ut peccata nobis diſpliceant, & ut præceptis divinis obtemperemus, quæ non ſcribitur in tabulis vel chartis, ſed hominum cordibus inditur; non quidem ab origine, ſed per ſingularem Dei benevolentiam, dum inſpirat Fidem, Spem, Charitatem, Pœnitentiam, aliaque ejuſmodi dona, quibus aliquis conſtituitur filius novi teſtamenti. Quoad ſecundarium verò quod in lege nova continetur, nempe leges & præcepta, ea ſunt partim ſcripta, partim verbo tradita; hæcque ad principale, quod eſt gratia Spiritus S. & ad ejus uſum ſunt diſpoſitiva.

Quoad ſecundaria verò partim eſt ſcripta partim ſine ſcripto tradita.

Dices: etiam in lege veteri Möyſes, Iſaias, Elias, aliique viri ſancti acceperunt gratiam per quam eſſent obedientes divinis mandatis, ergo gratia non magis dici debet eſſe principale in lege nova, quam in veteri.

Reſp. negando conſequentiam; quia etſi tempore legis veteris aliquibus data fuerit gratia, illa tamen non pertinebat ad legem veterem, ſed novam; quia erat gratia Chriſti redemptoris ab ejus meritis dependens; Chriſtus verò, nec ejus merita fuerunt pars legis veteris, ſed novæ dumtaxat, cujus ipſe erat legiſlator; & cujus meritis juſtitiam acceperunt quotquot à lapſu Adami juſti facti ſunt: unde S. Thom. 1. 2. qu. 107. Artic. 1. ait „illi qui in antiquo teſtamento „Deo fuerunt accepti per fidem, „ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant, quatenus „non juſtificabantur, niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor novi „teſtamenti.

Quotquot à lapſu Adę juſtitiam acceperunt; obtinuerũt illam dependẽter à meritis Chriſti.

Petes: an ergo lex nova hominem juſtificet.

Reſp.

Lex nova habet vim juſtificandi.

Reſp. Affirm. ſpectando ejus principale, ſecus verò ſi ſpectetur ejus ſecundarium; quia præcepta Chriſti, quibus inſtruimur quid credere, quid agere debeamus, ſolùm dictant quod concupiſcentias & cupiditates, ad quas in hac vita proni ſumus, refrænare debeamus, quæ tamen non ſonant nec præbent nobis bonam voluntatem ut libenter faciamus id quod jubetur, nec dant vires ad adimplendum; ſed ſola Chriſti gratia id facit, quæ eſt principale legis euangelicæ.

Petes: quotuplicis ſpeciei præcepta contineantur in lege evangelica.

Præcepta novæ legis ſunt triplicia moralia ſacramentalia, & fidei.

Materia horum ſunt partim actus interni, partim externi.

Reſp. triplicis, nempe moralia, ſacramentalia, & fidei. Unde materia legis Euangelicæ ſunt partim actus interni, partim externi: externi ſunt actus virtutum moralium & præceptorum, quæ à Chriſto declarantur Matthæi 5. Lucæ 18. Marci 10. 2. ſunt actus ad Sacramentorum adminiſtrationem & uſum pertinentes: de quibus paſſim in Euangeliis, & aliis novi teſtamenti locis agitur. 3. Sunt actus interni; & quidem præter fidem, quam multò magis explicitam requirit lex Euengelica, omnes illi eò tendunt, ut homo tam erga Deum tamquam finem ultimum, quam erga ſeipſum, & proximum ſit rectè affectus; ad quos actus ordinandos pertinet ſermo Domini in monte habitus Matth. 5. 6. & 7.

Petes: quoſnam homines obliget lex Evangelica.

Lex Euangelica obligat omnes homines.

Reſp. Omnes: quod eſt certum de fide, & patet Matth. 28. dum dicitur, *Euntes, docete omnes gentes: baptiſantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et Joan. 3. *Amen duo vobis niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.*

Petes: quandonam cœperit obligare lex nova.

Quandonam lex nova cæperit obligare.

Reſp. Quoad præcepta moralia, conſtat homines quovis tempore fuiſſe obligatos ea ſervare. Solum poteſt eſſe quæſtio de præcepto fidei in Chriſtum explicitè: de quo ſtatuendum eſt omnes illos quibus Chriſti fides ſufficienter fuit propoſita, etiam ante ejus paſſionem, obligatos fuiſſe, etiam ad fidem explicitam in Chriſtum præſentem eliciendam. Quod colligitur ex multis ſcripturæ locis, in quibus Chriſtus etiam ante mortem ſuam hanc fidem magnoperè urget, & ob infidelitatem homines reprehendit, dicens Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt; quia non credidit in nomine unigeniti filii Dei.* Et in eodem capite, *qui credidit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum;* & ratio eſt, quia Chriſti incarnatio per ſe omni tempore fuit objectum fidei neceſſarium implicitè, vel explicitè credendum; ergo quamprimum illa

Digitized by Google

fuit alicui ſufficienter propoſita, neceſſe fuit illam explicitè credere.

Alia quæſtio eſt, an fides explicita in Chriſtum ante mortem Chriſti fuerit neceſſaria neceſſitate medii, prout eſt hoc tempore.

Fides explicita in Chriſtũ nõ fuit neceſſaria ante Chriſti mortẽ.

Ad quam reſpondeo negative: eò quod hæc ſit propria obligatio novæ legis quæ ante Chriſti mortem per ſe & directè necdum cœperat obligare. Quod verò ſpectat ad præcepta ſacramentalia, quæ videlicet ſpectant ad baptiſmum & reliquorum ſacramentorum perceptionem, ſatis certum videtur, non ſtatim à morte & reſurrectione Chriſti fuiſſe neceſſaria neceſſitate medii omnibus hominibus tam adultis quam parvulis; ſed adultos ſalvari potuiſſe per actus fidei, charitatis, & pœnitentiæ; prout & parvulos per aliquod ſacramentum legis naturæ eis applicatum. Quod probatur ex Trident. Seſſ.6. cap. 4. ubi dicitur; quæ quidem translatio, id eſt juſtificatio poſt euangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt; ergo à contrario ſenſu, ante promulgationem euangelii potuit juſtificatio alicui obtingere ſine baptiſmo, vel ejus voto. Et ſane durum eſſet cogitare Chriſtum voluiſſe ante legem euangelicam ſolemniter promulgatam tot millia infantium adſtringere ad aliquod medium ſalutis, quod eis pro tunc applicari non poterat: porrò quamvis non ſit facile definire quandonam cœperit lex euangelica obligare, verosimilius tamen videtur obligationem ejus cœpiſſe à pentecoſte, obligaſſeque tunc eos, qui erant Hieroſolymis; reliquos autem, ſeu judæos, ſeu gentiles paulatim, ſive ſucceſſu temporis non enim obligare potuit ante promulgationem; promulgatio verò cœpta eſt fieri hieroſolymis in pentecoſte: nec refert quod ejus notitia per multum adhuc tempus necdum pervenerit ad omnes mundi provincias, vel ſaltem non ſufficienter; inde enim tantum ſequitur quod excuſentur à peccato qui legis novæ notitiam non habent abſque ſua culpa; non tamen ſequitur, quod poſt factam ſolemnem promulgationem non ubique obligaverit: quandoquidem ad legis obligationem (prout in initio hujus tractatus diximus) ſufficiat eam ſolemniter eſſe promulgatam, & effluxerit ſufficiens tempus ſtatutum ad ejus notitiam propagandam. Et quamvis excuſentur qui illam inculpabiliter ignorant, tamen ignorantia nequit efficere ut ea quæ ſunt inſtituta tamquam neceſſaria neceſſitate medii, non ſint ſic neceſſaria; ſicuti nequit facere quod contractus ante validus, & per legem aliquam invalidatus, denuò fiat validus.

Lex nova cœpit obligare facta ejus promulgatione Illa promulgatio facta eſt ſufficiẽter quibuſdam in pẽtecoſte; aliis tantum poſtea.

Illi qui legem novam nunquã audiverũt, obligãtur illa: tamen à culpa excuſãtur propter ignorantiam.

Non tamen ſalvari poſſunt ſi non adhibeant ea quæ in lege nova neceſſaria ſunt neceſſitate medii.

Petes:

Petes: an nova lex ſit manſura eadem uſque ad finem mundi.

Status ejus uno tempore fuit perfectior quam alio.

Reſp. Affir. ſi obſervationem ejus ſpectes; quamvis ſtatus novæ legis poſſit uno tempore eſſe perfectior quam alio, eò quod uno tempore exactius obſervetur quam alio: quamvis quoque illa ceſſabit poſt hoc ſæculum, tamen vim obligandi retinebit uſque ad finem præſentis ſæculi, nec alia illi ſubſtituetur: quod probatur ex Apoſtolo 1. ad Cor. 11. *Quotieſcumque* (inquit) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: id eſt, ad judicium. Ex quo datur intelligi, inquit S. Thomas, quod hic ritus in Eccleſia durabit uſque ad finem mundi.

Petes: an lex nova ſit duratura in æternum.

Reſp. neg. ſi loquamur de lege nova ſecundum ſua præcepta vel ſacramenta; vel etiam ſecundum fidem, ſpem, & pœnitentiam; quia ejuſmodi tantum ſunt data pro hominibus viatoribus in Eccleſia militante; Eccleſia autem militans non durabit in æternum, ſed ei ſuccedet Eccleſia triumphans: quod ſi tamen loquamur de nova lege ſecundum gratiam & charitatem, ſic quodammodo durabit in æternum.

DUBIUM IV.

Quæ ſit differentia inter novam legem, & veterem.

Lex vetus & nova non differũt ſpecie, ſed tãquam perfectum & imperfectum.

QUamvis hæ duæ leges non differant ſpecie, ſiquidem ad eundem finem ambæ ſunt ordinatæ, qui eſt ut homines ſubdantur Deo, illique per intellectum & voluntatem uniantur; differunt tamen tamquam perfectum & imperfectum: nam per legem novam propinquius acceditur ad Deum, quam per veterem: hinc Apoſtolus ad Gal. 4. Eccleſiam veteris & novi Teſtamenti comparat cum ſtatu puerorum & virorum. Ut verò diſcrimen melius intelligatur.

Nova habet vim ſãctificãdi, quã non habet vetus.

Obſervandum 1. quod vetus lex fuerit promulgata per Moyſem, lex nova per Chriſtum: 2. lex nova habet vim ſanctificandi, ideoque habet Sacramenta quæ conferunt gratiam ex opere operato: qualia non habet vetus. 3. Lex nova eſt lex amoris, quia ſubminiſtrat gratiam per quam Deum amamus; lex vetus verò eſt lex timoris, quæ per minas terrebat, nec conferebat gratiam. 4. Lex vetus erat ſervilis, nova eſt lex filialis: eapropter myſteria fidei præſertim SS. Trinitatis incarnationis, in lege veteri tantum fuerunt obſcurè cognita, in nova verò expreſsè & perfectè; eò quod ſervi non debeant tam perfectè cognoſcere

Nova eſt lex amoris vetus timoris.

Nova eſt lex filiorũ vetus ſervorum.

conſilia patris, quam filii. 5. Lex vetus dicitur importabile jugum lex verò nova, ſuave, & onus leve: tum ob gratiam uberiorem, tum ob ſpem retributionis majoris aperto jam cælo, quod in veteri lege erat clauſum; tum quoque ob faciliora & pauciora quæ jam continet præcepta.

Notatu dignum eſt, quod ex Hebræorum monumentis refert Genebrardus in chronico: quod in veteri teſtamento fuerint præcepta divini juris 613. nempè affirmativa 248. (tot ſcilicet quot in homine numerantur oſſa) negativa verò præcepta 365. tot nimirum, quot in anno numerantur dies: in nova verò lege, præter præcepta moralia, ſeu juris naturæ, quæ ſunt utrique legi communia; inſuper ultra ea quæ pertinent ad Sacramenta quæ Chriſtus ipſe tradidit, reliqua præcepta omnibus communia ſunt pauciſſima.

Lex nova dat præcepta cũ gratia illa adimplendi; lex vetus verò dabat nuda præcepta ſine gratia.

6. In veteri lege dabantur nuda præcepta ſine gratia, in nova verò dantur cum gratia. 7. Sacrificia Moyſaica ferè perficiebantur occiſione animalium, & conferebant nudam munditiem legalem; Sacrificium verò novæ legis, conſiſtit in conſecratione corporis & ſanguinis Domini, & myſticâ ejus mutatione: inſuper conferunt Sacramenta internam gratiam & ſanctitatem; & hoc ſenſu dicunt Scholaſtici legem Moyſaicam non eſſe datam ut juſtificaret, ſed tantum ut morbum oſtenderet, & ad quærendum medicum excitaret.

QUÆSTIO V.

De Lege Humana.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit Lex humana.

Lex humana ſic dicitur quia fertur ab homine. Tripliciter accipitur 1. pro ſe ipſa; quomodo ſumpta non eſt aliud, quam regula ſeu menſura ab homine legiſlatore lata, dirigens & obligans nos in noſtris actionibus. 2. Prout eſt in homine legiſlatore, quomodo non eſt aliud, quam ordinatio rationis ad commune bonum promulgata ab eo qui præeſt communitati. 3. Prout eſt in ſubdito; quomodo non eſt aliud, quam dictamen rationis practicæ, quo ipſe judicat hanc vel illam regulam, ſibi ab homine legiſlatore præſcriptam, eſſe ſervandam.

Petes; an lex humana ſit neceſſaria.

Quę lex naturæ relinquit indeterminata lex humana determinat: ad quod illa proinde eſt neceſſaria.

Reſp. affirmativè: quia quamvis lex naturæ ſit ſufficiens ut per eam homo ſe benè dirigat ad communia præcepta rerum faciendarum, non eſt tamen ſufficiens ut homo ſe bene dirigat in particularibus rebus agendis; quia lex naturæ multa ſolum in communi jubet, non ſpecificans formam, locum, tempus, vel alias particulares circumſtantias;

cumſtantias: quæ omnia ſi manerent indeterminata, magna in mundo oriretur confuſio, ad quam tollendam neceſſariæ ſunt leges humanæ; utpote non niſi quædam determinationes legis naturæ, & divinæ: ſic lex naturalis præcipit Deum colendum, parentes honorandos, non determinans in particulari quis cultus Deo, vel quis honor parentibus debeatur; quod per legem humanam determinatur: quæ etiam explicat, quinam veniant nomine parentum, nempè non tantum carnales, ſed & ſpirituales.

DUBIUM II.

Quomodo dividatur lex humana.

Quid lex Eccleſiaſtica.

LEx humana famosè dividitur in Eccleſiaſticam, & Civilem. Eccleſiaſtica eſt quæ à prælatis Eccleſiæ collectivè, vel privatim ſumptis, & præſertim à ſummo Pontifice fertur: & ſolet vocari jus canonicum, quia continetur in ſacris canonibus.

Quid lex civilis.

Lex civilis eſt, quæ ſancitur ab imperatoribus, regibus, vel rebuſpublicis: utraque eſt ſcripta, vel non ſcripta, præceptiva, prohibitiva, vel pœnalis.

Petes; quodnam ſit diſcrimen inter jus Canonicum, & Civile.

Quod diſcrimē inter hæc duo.

Reſp. hoc, quod finis juris Canonici ſit ſpirituale bonum hominum, nempè juſtificatio, & vitæ æternæ conſecutio; finis verò juris Civilis, ſit bonum temporale; puta conſervatio pacis, & concordiæ inter homines.

Quia verò paſſim apud Theologos fit mentio librorum Juris Canonici; nempè Decreti, Decretalium, ſexti Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium: ne tyrones Theologi confeſtim in ipſo limine obſcuritate horum vocabulorum offenſionem & tædium concipiant, ut ſciant quomodo debeant legere & citare jus Canonicum, paucis de numero librorum juris Canonici, & modo illos citandi & allegandi agemus.

Jus canonicū dividitur in quinq; partes. Modus citandi decret ſi Gratiani.

Dico 1. totum jus Canonicum dividitur in quinque partes; quarum prima eſt, Decretum Gratiani: quod ſubdividitur in tres partes; quarum prima eſt de diſtinctionibus; continetque diſtinctiones centum & unam; quæ ſolent citari hoc modo. *diſt. 26. cap. acutius.*

Secunda pars Decreti Gratiani tractat de cauſis, continetque cauſas triginta ſex, quarum quælibet plures ſub ſe habet quæſtiones. Solet autem hæc ſecunda pars citari hoc modo. *Decimâ ſeptimâ quæſtione prima, cap. voventibus.*

Tertia pars Decreti eſt de Conſecratione; quæ complectitur quinque tantum diſtinctiones: ſolet autem hæc tertia pars citari hoc modo. *De conſecrat. diſt. 1. cap. vaſa.*

Quia verò quæſtio 3. cauſæ trigeſimæ

geſimæ tertiæ continet Tractatum de pœnitentia in ſeptem diſtinctiones per capita diviſum; ſolet hæc citari hoc modo. *De pœnitentia diſt. ſecunda cap. Valida.*

Nõ habet illud auctoritatem juris Pontificii.

Porrò cum Decretum Gratiani à nullo Pontifice ſit approbatum; hinc fit ut juris Pontificii aut eccleſiaſtici auctoritatem non habeat; ſed ipſius ſingula capita auctoritatem ſuam habent ab auctoritate illorum qui ea condiderunt; quæ capita Gratianus compilavit in unum librum.

Modus citandi quinq; libros decretales.

Secunda pars juris Canonici continet quinque libros Decretales; quos Gregorius IX. Pontifex redegit in unum volumen, operâ Raymundi pœnitentiarii ſui. In quorum primo Decretalium libro agitur de perſonis Clericorum, & modis quibus eliguntur. In ſecundo tractatur de judiciis eccleſiaſticis. In tertio agitur de vita & honeſtate clericorum, & de Sacramentis. In quarto tractatur de ſtatu laicorum; ac proinde de iis quæ ſpectant ad matrimonium. In quinto, agitur de criminibus & eorum pœnis. Allegantur hoc modo *cap. etſi judæos, de judæis*: hoc eſt in decretali quæ incipit; *etſi judæos*; titulo; *de judæis*.

Modus citandi ſextum librum decretalium.

Tertia pars juris Canonici eſt liber ſextus Decretalium, quem edidit Bonifacius VIII. Pontifex, qui dividitur etiam in quinque libros, & in eoſdem titulos, in quos dividuntur libri decretales. Dictus eſt, *Sextus*, quia eſt editus poſt quinque libros Decretalium. Porro hic liber ſextus decretalium allegatur ſic. *Cap. ſi judex de Sent. excommun. in 6.*

Modus citandi Clemẽtinas.

Quarta pars juris Canonici continet *Clementinas*: ſic dictas, quia illas collegit Clemens V. Pontifex, partim ex Concil. Viennenſi, partim ex Lugdunenſi; quæ à Joanne XXII. ſunt promulgatæ. Dividuntur autem Clementinæ etiam in quinque libros, & in titulos, in quos dividuntur decretales: porro *Clementinæ* allegantur hoc modo; *Clementina*; *ſi furioſus. De homicidio.*

Extravagantes.

Quinta pars juris Canonici continet extravagantes quæ ſunt duplicis generis: nam viginti ſunt editæ à Joanne XXII. aliæ verò ſunt multorum aliorum Pontificum conſtitutiones, quæ in fine ſexti libri decretalium collocantur. Dividitur quoque hic liber conſtitutionum extravagantium in quinque libros & eoſdem titulos: & ſolet allegari hoc modo: *Extravagans, ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non abalienandis.* Inter communes. Porro ratio cur hæ conſtitutiones vocentur *Extravagantes*, hæc eſt, quod antequam eſſent redactæ in ordinem juris, vagabantur extra corpus juris Canonici non habentes certam ſedem, locum, aut ordinem.

Extravagantibus iſtis conſtitutionibus annumerari debent Canones & Conciliorum generalium Decreta: item Bullæ & Conſtitutiones

Digitized by Google

ſtitutiones Pontificum, quæ nondum in corpus juris Canonici ſunt redactæ.

DUBIUM III.

An lex humana, tam Eccleſiaſtica, quam Civilis obliget in conſcientia.

Lex humana obligat in conſcietia.

RESP. Affirmativè: quod eſt de fide. Et probatur 1. ex cap. 13. Epiſtolæ ad Rom. hiſce verbis; *Neceſſitati ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: Et iterum in initio ejuſdem capitis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Porro quod principes Eccleſiaſtici habeant poteſtatem condendi leges obligantes in conſcientiâ; patet Matth. 16. ubi Chriſtus Petro, ejuſque ſucceſſoribus ait, *Tibi dabo claves regni cælorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæ verba, cum ſint univerſalia, debent quoque extendi ad poteſtatem ligandi per leges: hoc ipſum ſignificatur actor. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* Hoc ipſum quoque probatur ex prima epiſtola Sancti Petri cap. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ* (ſupple quæ in authoritate eſt conſtituta) *propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti* &c. Denique evidenter probatur ex cap. 20. Act. quod Epiſcopi ad hoc ſint poſiti à Spiritu Sancto, ut regant Eccleſiam Dei, & paſcant gregem ſibi commiſſum; quem non poſſunt regere & paſcere, niſi habeant poteſtatem leges pro tempore & loco condendi, & inobedientes caſtigandi.

Petes; undenam lex humana habeat hanc vim obligandi.

Hanc vim accipit à lege æterna.

Reſp. à lege æterna: nam recta ratio dictat obediendum eſſe legitimis ſuperioribus, eoſque peccare qui contra agunt.

Dices; ergo leges ab humano magiſtratu latæ non ſunt humanæ, ſed potius divinæ; quippe à Deo profectæ.

Reſp. neg. conſequentiam; quia effectus qui proxime egreditur à cauſa ſecunda quantumvis concurrente causâ primâ attribuitur nihilominus cauſæ ſecundæ: prout patet in generatione humana, quæ ſimpliciter attribuitur homini, etiamſi Deus concurrat.

Petes; an ex dictis non ſequatur ſubditos obligari obedire ſuperioribus, in quantum præcipiunt illa quæ lege naturæ vel divinâ ſunt præcepta; ſecus verò ſi aliqua præcipiant hiſce legibus non contenta.

Reſp.

Leges humanę obligāt etiā in iis quæ nō immediate præcipiuntur à lege naturæ.

Reſp. negativè eò quod poteſtas prælatorum & ſuperiorum latius ſe extendat, quam ad ea quæ ſunt juris divini naturalis: nam Apoſtoli multa præceperunt, quæ non erant de jure naturæ: ſic enim S. Paulus ſtatuit legem de bigamis ad Epiſcopatum non promovendis: præterea Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano prohibuerunt comedi ſanguinem animalium ſuffocatorum: & ita Eccleſia modo præcipit annuam communionem, confeſſionem, &c. quæ tamen non ſunt præcepta juris naturæ.

Dices: neque in veteri teſtamento voluit Deus quidquam addi mandatis ſuis; ut patet Deuter. 4. dicens, *non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Neque in novo: ut patet Matth. 28. dum ait; *docete eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*: præterea Apoſt. ad Gal. cap. 1. ait; *licet nos, aut angelus de cœlo evangeliſet vobis præterquam quod evangeliſavimus vobis, anathema ſit.*

Reſp. ad cap. 4. Deut. citatum illud ſic debere explicari, ut nihil legi Dei ſit addendum quod illi repugnet, & ad locum Apoſtoli ad Gal. dico: vocem illam, *Præterquam*, non excludere omne, ſed ſolum, illud quod eſt contrarium euangelio, quod ipſe euangeliſavit.

Dices: Marc. 7. damnat Chriſtus præcepta humana, dum ait; *in vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.*

Reſp. Chriſtum ibidem tantum arguere phariſæos, eò quod inducerent multa vana & inutilia præcepta, quæ nihil veræ religionis continebant; utpote crebras lotiones & baptiſmata calicum & urceorum quæ exactiſſimè obſervabant *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Porro præcepta eccleſiæ non ſunt inanes ceremoniæ, ſed continent religioſum Dei cultum, adeoque dicto loco Scripturæ non prohibitum: ita quoque apud Marc. Chriſtus non arguit ſcribas & phariſæos eò quod aliqua præcepta inſtituerent; nam expreſſe dicit Matth. 23. *quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite*; ſed arguit illos, quia diverſis præceptis onerabant ſubditos, quæ illi digito ſuo nolebant attingere.

Dices; 1. ad Cor. 7. ait Apoſtolus; *pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*; ergo &c.

Reſp. Apoſt. hoc loco tantum velle, ne quis fiat ſervus hominum, illorum qui obediunt pravis concupiſcentiis, & illicitis cupiditatibus.

Dices: lex Euangelica per ſe eſt ſufficiens ad ſalutem; ergo ſuperfluæ ſunt leges humanæ.

Reſp. neg. conſequentiam; quia lex Euangelica non tantum comprehendit mandata quæ à Deo immediatè emanant, ſed etiam quæ ab Eccleſia per Dei auctoritatem. Unde ait Chriſtus Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.*

Dices:

Dices: Chriſtiani vocati ſunt per Chriſtum in libertatem, ut patet 2. ad Cor. 3. *ubi Spiritus Domini, in libertas*. Et ad Gal. 4. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: quâ libertate Chriſtus nos liberavit*: Sed iſti libertati contrariatur quod Chriſtianus fit ſubditus legibus humanis, præſertim illis quibus conſtringitur ad illa, quæ Chriſtus reliquit indifferentia, veluti abſtinere à carnibus in quadrageſima, confiteri ſingulis annis, communicare, &c.

Reſp. Libertas Chriſtiana nobis per Chriſtum collata, non eſt libertas ab obſervantia mandatorum Dei & ſuperiorum; ſed libertas à peccato; juxta illud ad Rom. 6. *Liberati à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ*.

Dices: Chriſtus abrogavit leges Moſaicas, partim propter earum multitudinem, partim propter earum difficultatem; ergo abrogandæ ſunt leges Pontificiæ, quæ ſunt multò plures; utpote continentes totum jus Canonicum, & conſequenter obſervatu difficiles; alioquin enim durior foret conditio Chriſtianorum quam judæorum, cum tamen dicat Chriſtus Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*.

Lex Moſaica cur abrogata fuerit.

Reſp. Chriſtum abrogaſſe leges Moyſaicas non præciſè propter earum multitudinem, ſed quia erant umbræ legis Euangelicæ. 2. Quia ad conferendum juſtificationis effectum erant inutiles: deinde falſum eſt leges Pontificias eſſe plures; ſiquidem ſunt tantum quinque concernentes totum populum Chriſtianum, ſcilicet quinque præcepta eccleſiæ; plurimæ verò erant leges Moyſaicæ concernentes omnes judæos. Quod attinet ad jus Canonicum illud pro magna parte continet ſolum regulas directivas, ut patet in Decreto Gratiani. Quod attinet verò ad regulas obligatorias in jure Canonico contentas, illæ abſolutè non concernunt totum populum Chriſtianum, ſed reſpectivè tantum; nempe aliquæ obligant Epiſcopos, aliquæ Religioſos, aliquæ Presbyteros, &c.

Dices: ſaltem prohibere res indifferentes videtur libertati Chriſtianæ contrarium, prout & præcipere bona opera quæ Chriſtus in libero cujuſque reliquit arbitrio; ſed circa talia verſantur præcepta Eccleſiæ, prout patet quando prohibet eſum carnium, præcipit confeſſionem, communionem &c.

Res adiaphoræ qua ratione cadant ſub lege humana.

Reſp. res indifferentes quæ hactenus non ſunt prohibitæ, nec præceptæ lege naturæ poſſe habere rationem boni utilis ad illa adimplenda, ad quæ lege naturæ vel divinâ obligamur; quæ proinde ſine læſione libertatis Chriſtianæ poſſunt præcipi; ſiquidem, ut ante diximus, libertas Chriſtiana potiſſimum conſiſtit in libertate à peccato: & ſic prohibet eccleſia eſum carnium: eò quod illarum abſtinentia ſerviat mortificationi carnis ut illa melius ſpiritui obtemperet, item ſervit ad-

inſtar medii ad ſatisfaciendum pro peccatis; ſic quoque mandat cælibatum ſacerdotibus, quia ex ſe non eſt res indifferens, ſed magnæ virtutis opus.

Dices: quidquid ſit de poteſtate Eccleſiaſtica, ſaltem poteſtas civilis, quæ eſt temporalis, nequit ferre leges obligantes in conſcientia, eò quod conſcientia ſit maximè ſpiritualis; & finis legis civilis non ſit tranquillitas conſcientiæ, ſed pax & tranquillitas externa; ergo illæ ſolum obligant in foro externo, & non in conſcientia.

Lex civilis etiam obligat in conſciētia.

Reſp. eſto poteſtas politica ſeu civilis ſit eatenus temporalis quia verſatur circa temporalia & caduca; non vetat tamen quo minus ſit ſpiritualis ſecundum effectum, inducendo videlicet obligationem ſpiritualem; quandoquidem lex æterna jubeat ut in actionibus temporalibus obediamus ſuperioribus noſtris: & eſto lex civilis pro fine habeat tranquillitatem externam reipublicæ; poteſt nihilominus in conſcientia obligare ad illam tranquillitatem externam procurandam: unde eſto ejuſmodi leges ſint juris humani, tamen eſt juris divini naturalis ut illis obtemperemus.

Dices; omne peccatum eſt tranſgreſſio legis æternæ; ergo tranſgreſſio legis humanæ non eſt peccatum.

Reſp. negando conſequentiam; quia eo ipſo quò lex aliqua humana eſt lata, Deus præcipit illam obſervari atque ita dum voluntariè contra eam agitur, etiam agitur contra legem æternam.

Dices; ſervare divina mandata ſufficit ad ſalutem, juxta illud Matt. 19. *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*; ergo ſi quis tranſgreditur leges humanas, dummodo obſervet divinas, ſalvabitur.

Reſp. unum è divinis mandatis eſſe hoc; obediendum eſſe ſuperioribus; ac proinde qui legem humanam tranſgreditur, violat quoque legem divinam.

DUBIUM IV.

An lex humana obliget ſub peccato mortali; an verò ſub veniali.

Et quidè pro qualitate materiæ, ſub mortali, vel veniali.

CErtum eſt ex antedictis, leges humanas tam eccleſiaſticas, quam civiles obligare in conſcientia, & conſequenter obligare ſub peccato, quia quidquid fit contra obligationem conſcientiæ eſt peccatum. Hic jam quæritur, an leges humanæ per ſe, ſepoſito ſcandalo & contemptu, obligent ſub mortali.

Reſp. leges humanas, pro qualitate materiæ & circumſtantiarum quas præcipiunt vel prohibent, obligare ſub mortali vel veniali, prout illæ ſunt graves vel leves: nam ſicuti lex naturalis & divina cenſentur obligare ſub mortali, ſi jubeant quidpiam notabiliter pertinens

nens ad honorem Dei, vel charitatem proximi; è contra verò ſub veniali, ſi Dei honor vel charitas proximi parum lædantur; ita quoq; de humanis legibus eſt exiſtimandum; videlicet ut illæ quæ aliquid ſtatuunt, quod plurimum intereſt boni communis ut obſervetur, obligent ſub mortali: quare ſi quæratur, undenam diſcerni poſſit an lex aliqua humana obliget ſub mortali an veniali rectè reſpondetur ex gravitate vel levitate materiæ; nam ſi res quæ præcipitur vel prohibetur plurimùm proſit vel obſit ad bonum commune promovendum vel impediendum, obligabit ſub mortali; ſi verò parum poſſit prodeſſe vel obeſſe, obligabit ſub veniali.

Undenã diſcerni poſſit an obliget ſub mortali, vel veniali.

Petes: an gravitas materiæ præceptę ſit deſumenda pręcisè ex materia ſecundum ſe ſpectata.

Gravitas precepti deſumitur à materia nõ pręcisè ſecũdum ſe ſed ut veſtita omnibus ſuis circumſtãtiis.

Reſp. neg. ſed prout eſt veſtita omnibus ſuis circumſtantiis, & maximè circumſtantia finis; nam interdum accidit, quod id, quod præcipitur vel prohibetur, ſit leve ſecundum ſe, relatum verò ad commune bonum, v. g. tranquillitatem publicam, diſciplinam in monaſterio vel collegio ſervandam, ſcandala cavenda, ſit grave: hinc collige quomodo excuſetur dux exercitus militem ob exiguum furtum commiſſum, quod ob diſciplinam militarem ſervandam graviter eſt prohibitum, morte afficiens: item quid cenſendum ſit de divino præcepto impoſito Adamo, quod ex objecto ſecundum ſe ſpectato poterat videri leve, erat tamen graviſſimum attentâ circumſtantiâ finis, nempe recognitionis obedientiæ Deo debitæ tamquam rerum omnium domino: ita quoque dum legiſlator prohibet auferri rem alienam, finis hujus præcepti eſt impedire ne dominus in ſuis rebus patiatur damnum. Hinc ſi aliquis ab alio accipiat centum aureos, talis acceptio graviter adverſatur fini præcepti: Ita quoque multiloquium, vel fractio ſilentii de ſe eſt levis materia; quod ſi tamen ſuperior ſilentium præcipiat ne obſervantia regularis & religioſa graviter lædatur, violatio ſilentii poterit eſſe peccatum mortale; eò quod plurimum obſit fini, intento.

Quomodo excuſetur dux exercitus militem ſuſpendens ob parvũ furtum.

Petes; quid cenſendum in caſu dubio an materia ſit gravis, an levis; item finis gravis, an levis.

Reſp. ambos præſumi debere eſſe graves; quia præſumptio ſtat pro communiter accidentibus.

In dubio an materia ſit gravis an levis præſumitur gravis

Quod ſi ulterius petatur: undenam ultimatè cognoſcatur gravitas materiæ, vel finis.

Reſp. ex communi ſenſu eccleſiæ, & fidelium; qui communis ſenſus fundatur in ipſis rerum naturis.

Petes; an obligatio legis ſub mortali vel veniali poſſit dici quandoque pendere ex ſola intentione legiſlatoris.

Reſp. affirmativè: intelligendo

Digitized by Google

de intentione juſtâ & rationabili quia talis non eſſet ſi legiſlator in materia levi vellet obligare ſub mortali; ſed eſſet intentio injuſta & iniqua: neque his obſtat uſus religioſorum, apud quos res leves quandoque vetantur ſub pœna excommunicationis; ſiquidem finis ſuperiorum credendus eſt eſſe gravis; cum enim finis proprius religioſorum ſit tendere ad perfectionem, ad quam obtinendam requiruntur varia media, quorum aliqua, eſto in ſe ſpectata videantur parvi momenti, tamen reſpectu finis intenti valde ſunt utilia & neceſſaria.

Petes; an legiſlator ſub veniali non poſſit aliquid præcipere, vel prohibere in materia gravi.

Poteſt legiſlator aliquid ſub veniali præcipere vel prohibere in materia gravi.

Reſp. quamvis diverſi non contemnendi Auctores reſpondeant negativè, dicentes quidem in poteſtate legiſlatoris eſſe imponere præceptum, ſed illo poſito, non eſſe in ejus poteſtate obligationem reſtringere, ſed neceſſario eſſe metiendam ex qualitate materiæ: his tamen non obſtantibus, dico, affirmativam eſſe probabiliorem & rationi conformiorem; cum enim obligatio legis oriatur ex voluntate legiſlatoris, ſi ille nolit obligare ad mortale, lex non poterit obligare ad mortale; quia obligatio nequit extendi ultra intentionem legiſlatoris: prout hoc ipſum videmus in voto, quod eſt lex aliqua particularis quod non extenditur ultra intentionem voventis.

Dices: peccatum eſſe mortale vel veniale non oritur ex voluntate legiſlatoris, ſed ex ipſis rebus præceptis, vel prohibitis, quæ poſito præcepto, gravem vel levem habent deordinationem.

Reſp. verum eſſe peccatum veniale à mortali non diſtingui immediatè à voluntate legiſlatoris, ſed ex ipſis rebus præceptis vel prohibitis; diſtingui tamen illa duo mediatè à voluntate legiſlatoris; quatenus nimirum ille ſolum intendens obligare ſub veniali, facit quod res præcepta, eſto gravis ſit, non tamen graviter lædat legem, neque gravem deordinationem habeat.

Dices: legiſlator ſuâ lege rem præceptam conſtituit in materia alicujus virtutis; nempè illius ex cujus motivo legem fert: ita cum imperat jejunium, conſtituit illud in materia temperantiæ; cum imperat auditionem ſacri, conſtituit illam in materia religionis; ergo hæc omittens, ſi gravia ſint, graviter lædit virtutem.

Reſp. negandò conſequentiam; quia non graviter læditur virtus, cujus omiſſio non prohibetur ex gravi præcepto.

Dices: nec lex naturalis, nec divina poſſunt obligare ſub veniali in materia gravi; ergo nec humana.

Reſp. concedendo antecedens quoad legem naturalem; ſecus verò quoad divinam. Et ratio diſpari-

diſparitatis eſt, quia obligatio legis naturalis oritur ex ipſis rebus; obligatio autem legis poſitivæ à voluntate legiſlatoris, quæ ſicuti totam legem auferre poteſt ita quoque poteſt ex causâ illam diminuere.

Dices: non poteſt legiſlator obligare ſub mortali in materia levi; cum talis obligatio foret injuſta & irrationalis; ergo neque poterit obligare ſub veniali in materia gravi.

Nō poteſt tamen obligare ſub mortali in materia levi.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod prior voluntas eſſet injuſta, non verò ſecunda; eſto aliquando foret imprudens: præterea plus requiritur ad imponendum ſubdito obligationem, quam ad illam tollendam; nam ad illam imponendam requiritur ut legiſlator limites ſuæ poteſtatis non excedat; idque ne ſit ſubdito injurioſus.

Dices: obligatio eſt effectus qui ſequitur legem; ſed effectus qui ſequitur cauſam naturalem impediri non poteſt; ergo nec poterit impediri obligatio poſitâ lege; & conſequenter nec obligatio legis gravis poſitâ lege gravi.

Reſp. admiſſo ſubſumpto, negando conſequentiam; quia obligatio eſt effectus tantum moralis, legis, non verò naturalis.

Petes: an quandocumque tranſgreſſor legis humanæ peccat mortaliter, lex humana obliget ſub mortali?

Reſp. neg. nam & peccat mortaliter qui legem obligantem tantum ſub veniali violat ex contemptu; quod contingit, quando quis legiſlatorem ejuſque legem aſpernatur, dedignans ſe illi ſubjicere, directè volendo id quod prohibitum eſt, vel omittere quod eſt præceptum; & hoc ideo, quia prohibitum eſt vel præceptum.

Petes: unde poſſit cognoſci quod lex humana obliget ſub mortali.

Signa ex quibus dignoſcitur lex humana obliGare ſub mortali.

Reſp. ex his ſignis. 1. ſi prudens legiſlator præcipiat aliquid ſub gravi pœna, ut mortis, privationis omnium bonorum, excommunicationis, ſuſpenſionis, obteſtationis divini judicii, ſub indignatione Apoſtolorum Petri & Pauli; ſiquidem nemo prudens ſolet gravem pœnam injungere niſi pro gravi delicto, niſi forſan oppoſitum particulariter exprimat.

2. Si communis DD. ſententia dicat legem obligare ſub mortali.

3. Si legiſlator expreſſis verbis inſinuet ſe obligare ſub mortali.

4. Si materia communi judicio cenſeatur gravis; quia præſumitur legiſlator obligare conformiter ſuæ materiæ, niſi aliud exprimat.

DUBIUM V.

Quæ ſint conditiones legis humanæ neceſſariæ ad obligandum.

CONditiones humanæ legis enumerat Iſidorus lib. 5. Ethymologico, cap. 20. ex quibus tres tantum hic explicabimus tamquam ſcitu neceſſarias; nempè juſtitiam, promulgationem, & acceptationem.

DUBIUM VI.

An, & quomodo lex humana debeat eſſe juſta, ut obliget.

Lex humana debet eſſe juſta ſecundũ quadruplex genus cauſæ.

REſp. ut lex humana obliget, debet eſſe juſta ſecundum quadruplex genus cauſæ; nempè efficientis, materialis, formalis, & finalis.

Quandonam ſit talis ex parte cauſæ efficientis.

Tunc eſt juſta ex parte cauſæ efficientis, quando fertur ab eo qui habet legitimam poteſtatem ferendi legem: hinc neceſſe eſt ut lex feratur vel ab ipſa communitate, vel ab eo in quem communitas jus ſuum gubernandi tranſtulit: & ita ſecundum diverſa regimina, leges humanæ dividuntur in Conſtitutiones Principum, Senatusconſulta, & Plebiſcita: prima præſcribuntur à regimine Monarchico, in quo unus ſolus principatum tenet: ſecunda derivantur à regimine Ariſtocratico, in quo dominantur optimates: tertia deſcribuntur à regimine Democratico, in quo populus dominatur.

Quandonam ex parte cauſæ materialis.

Tunc eſt lex juſta ex parte cauſæ materialis, quando nihil præcipit quod ſit lege divina vel naturæ vetitum, vel nihil prohibet quod ſit lege naturæ vel divina præceptum.

Quandonam ex parte cauſæ formalis.

Tunc eſt juſta ex parte cauſæ formalis, quando per illam ſubditi non nimis gravantur, nec unus magis gravatur quam alius; ſed in omnibus ſervatur juſtitia diſtributiva ſine ullâ exceptione perſonarum.

Quandonam ex parte cauſæ finalis.

Tunc eſt juſta ex parte cauſæ finalis, quando fertur ob commune bonum. Verumtamen judicandum eſt legem ſemper reſpicere commune bonum, quoties non clarè conſtat de oppoſito; nam poſſeſſio tunc ſtat pro lege, & in foro externo præſumitur in favorem ſuperiorum, habentium facultates ad condendas leges: idem autem eſt judicium fori interni & externi, quando hoc non nititur falsâ præſumptione.

Lex humana præcipiens actus mere internos eſt injuſta.

Ex dictis infer, legem humanam præcipientem actus merè internos, eſſe injuſtam ex parte cauſæ efficientis, quia legiſlator humanus in actus merè internos non habet poteſtatem.

Secundò infer legem humanam non obligare quæ adverſatur juri naturæ vel divino, defectu cauſæ materialis.

Tertiò

Tertiò infer legem illam non obligare, quâ princeps ſubditis imponit onus improportionatum cauſæ; ut ſi v. g. ſuperveniente aliquâ neceſſitate imponat ſubditis onus ſolvendi tributum excedens neceſſitatem ſupervenientem; vel quando ſubditis onus ſeu tributum inæqualiter imponit, non ſervatâ debitâ proportione; quod contingit dum pauper æquali vel majori onere ſolvendi gravatur quàm dives.

Obediendũ eſt legi quando dubitatur de illius injuſtitia.

Petes: an ſit obediendum legi quando dubitatur de illius juſtitiâ.

Reſp. Affirm. ratio eſt, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; lex autem de cujus juſtitia dubitatur eſt in poſſeſſione.

Petes: an obligemur ſervare leges latas a Tyranno.

Reſp. Tyrannum eſſe duplicem, unum titulo, alterum adminiſtratione: titulo talis eſt, qui vi alienum regnum poſſidet: adminiſtratione verò talis eſt, qui regnum ſuum juſtè quidem poſſidet, ſed injuſtè gravat ſubditos ſuos: quâ diſtinctione præmiſsâ.

Dico obediendum Tyranno adminiſtratione; quia talis eſt juſtè ſuperior; modò tamen lex ipſius ſit juſta. 2. Non eſſe obediendum titulo tali, niſi forte poſtquam regnum pacificè poſſidet, nec reſpublica illi valet reſiſtere defectu virium: ex quo ſequitur Chriſtianos apud Turcas obligari juſtis legibus Imperatoris Turcici.

Petes: an obliget lex fundata in falſa præſumptione contra veritatem notam illi contra quem fertur lex; v. g. an hæres qui adivit hæreditatem non confecto inventario hæreditatis, teneatur in foro conſcientiæ ſolvere creditoribus, ultra vires hæreditatis.

Reſp. neg. quia lex civilis cogens talem hæredem ad ſolvendum creditoribus fundatur in falſa præſumptione: præſumit enim hæredem bona defuncti ſurripuiſſe: lex autem quæ fundatur in præſumptione non obligat, ſi veritas ſtet pro oppoſito. Idem dic de eo qui in judicio per falſos teſtes convincitur eſſe debitor alteri centum florenorum, & ob id compellitur ad eorum ſolutionem; is enim in foro conſcientiæ ad ſolutionem non tenetur, eò quod ſententia fundetur in falſa præſumptione, & conſequenter non ſit obligatus: quia deſtructo fundamento neceſſe eſt ut corruat quod ſuper eo erat fundatum; tum quia in foro conſcientiæ non habetur ratio falſæ præſumptionis, ſed veritatis.

Petes: an ergo matrimonium clandeſtinum ſit validum in conſcientiâ nullâ fraude interveniente; hoc attento, quod lex irritans tale matrimonium nitatur præſumptione fraudis.

Reſp. negando, pro quo nota: duplicem eſſe fraudis præſumptionem: unam ſcilicet quando legiſlator prudenter præſumit in materia

ria aliqua frequenter intervenire fraudem, vel aliquod aliud incommodum; ac propterea fert legem univerſalem ad præcavendas ejuſmodi fraudes & incommoda; qualis præſumptio locum habet in omni lege non ſolum irritante, ſed & prohibente; nam legiſlator numquam fert aliquam legem niſi ad impediendum aliquod malum, quod præſumit ſæpe in communitate poſſe evenire niſi per legem impediatur: eapropter lex fundata in tali præſumptione ſemper obligat quamdiu præſumptio ut plurimum vera eſt, etiamſi deficiat in hoc vel illo caſu particulari: & hoc ſenſu intelligitur iſtud commune dictum: *ceſſante fine legis in particulari, non ceſſat lex.*

Lex verò fundata in præſumptione mali quod legiſlator ſuſpicatur in quolibet caſu particulari intervenire; nō obligat, eſto præſumptio ſit falſa.

Alia eſt præſumptio fraudis, quam legiſlator in quolibet caſu particulari ſuſpicatur; & quâ præſumptione præſuppoſita ponit legem, de qua verum eſt dicere, quod lex fundata in tali præſumptione non obliget, quando præſumptio in caſu particulari eſt falſa. Talem præſumptionem habuit Pontifex *Cap. veniens & Cap. is qui finem*: ubi ſtatuit ſponſalia de futuro tranſire in matrimonium per copulam carnalem ſubſecutam: non quod illa copula ſufficiat ad conſtituendum matrimonium ſine novo conſenſu; ſed quia Pontifex præſumit ſponſos in tali caſu ſemper habere conſenſum de præſenti, ne cogatur præſumere eos peccare mortaliter.

Petes: an actus commiſſus contra legem prohibentem ſit validus: v. g. eccleſia prohibet matrimonium contrahi in quadrageſima; an illud quod eo tempore contrahitur, ſit validum.

Actus factus contra legem irritantem ſimpliciter eſt invalidus.

Reſp. affirmativè: quia lex prohibens actum non reddit ipſum eo ipſo irritum; ſiquidem aliud eſt irritare, aliud prohibere; nam, ut habet commune axioma; *Multa fiunt illicitè, quæ tamen facta tenent.* tum etiam, quia non omnes actus qui jure naturę ſunt prohibiti etiam ſunt irriti; ut patet dum venditur res quæ alteri fuit promiſſa; nam venditio eſt valida, quantumvis venditor peccet vendendo.

Petes: an actus commiſſus contra legem irritantem ſit invalidus.

Actus factus verò cō tra legē prohibentem eſt validus.

Reſp. affirmativè idque in utroque foro; eſto quoque actus ille jure naturæ eſſet validus; nam legiſlator tam Eccleſiaſticus quam Civilis poteſt actibus certam formam præſcribere cujus defectu illi non valeant, prout quoque poteſt perſonas reddere inhabiles ad contrahendum: ut patet ex Concil. Trident. Seſſion. 24. cap. 1. ubi irritatur matrimonium clandeſtinum, & ad matrimonium contrahendum redduntur inhabiles, qui contrahunt ſine parocho & teſtibus: ita quoque jure civili irritantur contractus minorennium: ubi notandum leges humanas irritantes contractus jure naturæ validos, non derogare ulli præcepto juris naturæ

Digitized by Google

naturæ, ſed tantum permiſſioni; quia ſcilicet non irritant contractum quem jus naturæ præcipit, ſed quem ſolum permittit.

Petes: an contractus celebratus ſine forma eſſentiali, ſeu ſine ſolemnitate à jure requiſita ſit invalidus in utroque foro.

Actus celebratus ſine forma eſſentiali in utroque foro per ſe eſt invalidus.

Reſp. affirmativè: nam ſicuti in phyſicis res non ſubſiſtit ſine ſua forma eſſentiali, ita nec in moralibus: unde ſicuti ipſi contrahentes poſſunt ſibi ipſis certam aliquam formam præſcribere, quâ omiſſâ invalidus ſit contractus; ita legiſlator poteſt aliquam ſolemnitatem præſcribere, quâ omiſſâ invalidus ſit contractus: ex quo ſequitur quod matrimonium clandeſtinum ſit invalidum; eò quod ſit factum ſine ſolemnitate ſubſtantiali: quod verum eſt, etſi contraheretur ex urgentiſſima cauſa; v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem; quia juſta cauſa actum ex ſe invalidum non efficit validum.

Dices: leges humanæ non obligant cum tanto rigore; prout patet in præcepto audiendæ miſſæ, vel jejunii; ergo contractus ex urgentiſſimâ causâ celebratus, ſine forma à jure præſcriptâ & requiſitâ, erit validus.

Reſp. neg. conſequentiam: quia leges humanæ præſcribentes formam ſubſtantialem, ſeu irritantes contractum aliter factum, obligant in quolibet caſu: ſecus dicendum de legibus humanis quæ admittunt epykiam, & interpretationem ex æquo & bono.

Excepris illis quæ fiunt ad piam cauſam

Hinc infer omnes contractus eſſe irritos in utroque foro, qui ſine forma ſubſtantiali & ſolemnitate à jure præſcripta celebrantur; exceptis actibus factis ad pias cauſas: quod addo, quia teſtamentum ob alias cauſas factum ſine debitâ ſolemnitate, non ſolum eſt invalidum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ: eapropter hæres inſtitutus in teſtamento minus ſolemni non eſt tutus in conſcientia retinendo hæreditatem invitis hæredibus venientibus ab inteſtato; nec verus hæres tenebitur ſolvere legata facta in teſtamento minus ſolemni; nam non ſubſiſtente principali, non ſubſiſtit acceſſorium.

Ad teſtamentum ad pias cauſas non requiruntur teſtes.

Dixi, *excepto teſtamento facto ad pias cauſas*; nam ad valorem teſtamenti causâ pietatis facti non requiritur ſolemnitas juris Civilis; ſed ſufficit ſolemnitas juris Gentium: ut patet ex *Cap. relatum*; & *Cap. cum eſſes*; *de teſtamentis*: quorum ſcilicet diſpoſitio eſt ſervanda, non ſolum coram judice Eccleſiaſtico, ſed etiam Sæculari; ut Covarruvias *Cap. relatum*, citato: addo ad valorem teſtamenti ad pias cauſas non eſſe neceſſarios in foro conſcientiæ teſtes; nam ſolemnitas teſtium à jure eſt introducta, ſed ſufficit quod teſtator poſſit liberè diſponere de bonis ſuis, & ille in cujus favorem diſponit, ſit capax.

Ooo DU-

Digitized by Google

DUBIUM VII.

De promulgatione legis humanæ.

Leges humanæ non eodem modo promulgantur.

CUm certum ſit promulgationem ad cujuſlibet legis ſubſtantiam requiri, prout dubio 4. capitis præcedentis diximus; nunc ſupereſt dicendum qualis promulgatio requiratur ad eſſentiam legis humanæ.

Hæc difficultas expediri non poteſt, niſi prius referantur diverſi legiſlatores humani: ex quorum diverſitate frequenter naſcitur diverſitas in modo promulgandi: ita aliqui ſunt legiſlatores Eccleſiaſti, aliqui Civiles. Eccleſiaſticorum primus eſt ſummus Pontifex, qui ſuâ juriſdictione ſpirituali complectitur totum orbem Chriſtianum, ipſum ſequuntur Primates, Archi-Epiſcopi, & demum Epiſcopi. Inter Sæculares primus eſt Imperator, cujus auctoritas ad plurimas nationes & provincias ſe extendit: & licet plurimi Principes imperii multa participent quæ ſunt ſupremi dominii; tamen tam ipſi, quam ipſorum ſubditi in aliquo recognoſcunt Imperatorem, ejuſque legem & mandata ſolent recipere. Deinde ſunt Reges, & alii ſupremi Principes imperio non ſubjecti: item Reſpublicæ liberæ quæ nullum recognoſcunt ſuperiorem in temporalibus; qualis eſt Reſpub. Veneta; inter hos contingit aliquos eſſe ſupremos diverſorum regnorum & provinciarum, quæ inter ſe non habent connexionem unius corporis polytici; ſed tantum caſualiter factum eſt quod ſubſint dominio unius perſonæ: ſicuti Carolo Secundo ſubſunt regnum Caſtellæ, ducatus Brabantiæ & ceteræ Provinciæ Belgii inferioris.

Notandum: hic nomine promulgationis non ſolum intelligi publicam denuntiationem legis factam voce præconis, verum etiam illam quæ fit affigendo legem in loco publico, vel alio ſimili modo juxta locorum conſuetudinem.

Petes: ubi & quotuplex promulgatio ſit facienda ut lex incipiat obligare.

Probabile eſt non ſufficere publicationem Romæ factam ut obliget lex Pontificia; ſed requiri publicationem in ſingulis Diœceſibus.

Reſp. præmiſsâ diſtinctione diverſorum legiſlatorum; ut incipiamus à legibus Pontificiis, probabile eſt illas non obligare ubique, niſi in ſingulis Diœceſibus promulgentur; adeoque non ſufficere promulgationem Romę factam ad obligandos Brabantos: ratio eſt; quia jure civili eſt ſancitum ut nulla lex obliget provinciales, niſi ſit publicata in provincia: nec contrarium eſt jure Canonico definitum: cum autem jus Civile ſoleat ſervari ab Eccleſia, ubi juri Canonico non adverſatur; ut patet cap. 1. de novi operis denuntiatione ubi dicitur; ſicuti leges non „dedignantur ſacros canones imi„tari; ita & ſacrorum canonum „ſtatuta

„ ſtatuta Principum conſtitutioni-„ bus adjuvantur. „ Unde ſequitur leges Pontificias eſſe publicandas in ſingulis provinciis adinſtar legum imperatoriarum ; eò quod nullum habeamus canonem de promulgatione legum Pontificiarum. ſecundò Concil. Trident. etſi Romæ publicarum, tamen non obligat Provincias in quibus non eſt publicatum, v. g. in Germaniâ Superiori; Angliâ, Franciâ. 3. Nimis durum foret ac oneroſum ſi ſtatim ac Romæ publicatur aliqua lex Pontificia, obligaret omnes Chriſtianos per totum orbem terrarum : unde quamvis Pontifex poſſet ſolâ promulgatione Romæ factâ obligare omnes Chriſtianos, cum habeat poteſtatem immediate à Deo, tamen Doctores ejus voluntatem ita interpretantur, ut quamdiu lex ejus non eſt à populo acceptata, nolit eam obligare, ne det occaſionem peccandi, & poteſtas quam habet in ædificationem , cedat in deſtructionem : quæ omnia licet ſint probabiliter dicta & tuta etiam in foro conſcientiæ, ita ut ſi quis habitet in aliqua Diœceſi ubi ejuſmodi lex Pontificia non eſt promulgata poſſit eſſe liber in ſua conſcientia, eſto legem illam non ſervet : probabile tamen etiam eſt leges Pontificias Romæ publicatas obligare illas etiam provincias in quibus non ſunt publicatæ; eò quod lex ex natura ſua non requirat promulgationem in ſingulis provinciis , & quod Pontifex ordinariè velit leges ſuas obligare, quando Romæ ſunt publicatæ , ac proinde dum ſic facit derogat authenticæ imperatoris ſupra recenſitæ : tum quia alioqui ſequeretur multas decretales, quæ nullibi fuerunt promulgatæ præterquam Romæ, non obligare, quas tamen conſtat uſu receptas.

Petes ; an ergo Eſpiſcopi, ubi ſciunt legem aliquam Romæ eſſe publicatam, obligentur curare ut in ſuis reſpectivè Diœceſibus illa obſervetur.

Reſp. Affir. Si Pontifex ſignificet ſe velle ut lex ſua ubique obliget abſque alia promulgatione facta in Diœceſi ſua : non tamen tenebuntur curare ut in ſuis Diœceſibus promulgetur, niſi mandatum Pontificium per internuntium ſuum ad eos dirigatur , vel prudenter judicent promulgationem in ſua Diœceſi eſſe neceſſariam : quod ſi verò Pontifex nihil ſignificet, an nempe opus ſit alia promulgatione, an non, neque mandatum dirigat ad ordinarios, probabile eſt quod ordinarii tunc non teneantur legem Pontificiam curare promulgari : quia poſſunt in ejuſmodi caſu interpretari mentem Pontificis eſſe , quod lex quam ipſe judicat univerſali Eccleſiæ utilem , promulgetur & obſervetur in diverſis provinciis, quando Epiſcopi illam exiſtimabunt pro ſuis reſpectivè provinciis utilem & expedientem.

Petes, an leges revocatoriæ privilegiorum, indulgentiarum, & aliarum facultatum ante conceſſarum debeant promulgari antequam ſortiantur effectum.

Leges revocatoriæ Privilegiorum debent promulgari antequam obligét.

Reſp. Affirm. quia habent rationem veræ legis, ad quam requiritur promulgatio: quin imo ſi ſint privilegia alicui particulari conceſſa, vim non habet revocatio donec innotuerit illi cui ejuſmodi privilegium eſt conceſſum; niſi forte in quodam caſu contrarium ſtatuerit legiſlator. Ratio deſumitur tam ab incommodis quæ alioqui ſequerentur, quam quia lex revocatoria privilegii eſt lex principalis, quæ proinde probabiliter debet innoteſcere illi cui privilegium datum fuerat: unde Aſorius Tom. 1. l. 5. c. 3. q. 5. ait, ſi previlegium fuerit alicui homini particulari conceſſum non intelligitur illud abrogatum, donec lex revocatoria ſit illi denuntiata: ſi verò illud ſit conceſſum, alicui Collegio vel Monaſterio, non deſinit, niſi lex revocatoria ſit denuntiata ejus adminiſtratoribus: ſi verò ſit datum alicui Diœceſi, non deſinit niſi lex revocatoria ſit promulgata in Metropoli Diœceſis.

Ex hac aſſertione collige ſequentia; Sacerdotem, qui habet privilegium abſolvendi à reſervatis, valide eo uti, donec ſciat id ſibi eſſe revocatum; & acta procuratoris abſentis & ignorantis valere donec revocatio ſit ipſi nota, niſi tamen in cauſa matrimoniali *Cap. ultimo de procuratoribus in ſexto*: ſimiliter valere acta Vicarii Archi-epiſcopi quoad ſit certior factus revocationem eſſe factam: præterea indulgentias non ceſſare donec de earum revocatione certiores fiant illi, quibus fuerunt conceſſæ, niſi forte quando ſtrictiſſimè revocantur anno Jubilæi, vel niſi Pontifex contrarium expreſſerit.

Petes, an leges irritantes contractus, ſive ſint Civiles, ſive Eccleſiaſticæ, debeant promulgari in ſingulis Provinciis, vel Diœceſibus antequam ſortiantur effectum.

Reſp. Affirm. ſicque communiter auctores docere: ratio eſt, quia alioquin ejuſmodi leges eſſent magis pernicioſæ quam utiles; ut ſi v. g. ſtatueretur novâ lege ut matrimonium in quinto gradu ſit irritum, neceſſe foret plurima peccata committi, ſi lex illa abſque particulari promulgatione ubique locum obtineret: deinde ubi jus Canonicum nihil ſtatuit, ſtandum eſt diſpoſitioni juris Civilis, prout habetur *Cap. 1. de novi operis denuntiatione*: jus autem Civile Authenticâ quæ ſic incipit; *ut factæ novæ conſtitutiones*, ſtatuit legem irritantem non habere vim donec in ſingulis provinciis fuerit promulgata.

Petes, an leges humanæ obligent ſtatim ac ſunt promulgatæ.

Leges humanæ non ...

Reſp. negat. ſed tantum poſt lapſum termini à legiſlatore conſtituti; ſiquidem lex non obligat ultra

tra

ſtatim ac ſunt promulgatæ, ſed tantũ poſt lapſum termini à legislatore præſcripti.

tra intentionem legiſlatoris, eapropter ſi legiſlator ſpatium duorum menſium appoſuit ad obligandum, ſubditi non obligantur ante elapſos duos menſes; quod ſi verò legiſlator nullum terminum præſcripſit, lex ſtatim per ſe loquendo poſt promulgationem obligabit: ratio eſt, quia ſicuti legem ferre eſt in poteſtate legiſlatoris, ita quoque tempus determinare quo obligabit, quod ſi nullum determinet,ſignum eſt ipſum velle ſtatim factâ promulgatione obligare.

Petes, quantum temporis requiratur pro legibus Pontificiis promulgatis ad hoc ut obligent.

Reſp. ſi in illis nullum ſit tempus expreſſum probabile eſt & tutum,eas demum obligare poſt duos menſes à promulgatione facta, fundamento deſumpto ex novella ſupra citata: neque refert eos Romæ puniri qui leges Pontificias tranſgrediuntur ante duos menſes à promulgatione, ſiquidem judices illi forſitan ſequuntur ſententiam oppoſitam in foro externo, quæ probabiliter dicit ſcientes legis promulgationem obligari ante bimeſtre.

Petes: quid requiratur ad hoc ut lex Epiſcopalis obliget per totam Diœceſim.

Reſp. Sufficere quod in Civitate Cathedrali ſit promulgata; quia nullum exſtat jus quod aliam promulgationem requirat.

Petes, quid requiratur ex parte promulgationis ad hoc ut leges Imperatoriæ obligent.

Reſp. Eas ſolemniter debere promulgari in ſingulis provinciis antequam obligent provinciales; prout patet ex conſtitutione 66.inter novellas Juſtiniani; ubi expreſsè ſtatuit ut lex nova non obliget provinciales niſi poſt duos menſes à facta promulgatione in eorum provinciis: quod etiam videtur provenire ex natura rei; eò quod tales provinciæ non præſumantur umquam tale jus in Imperatorem contuliſſe ut leges ejus obligent antequam in ſingulis provinciis fuerint promulgatæ.

Quod verò attinet ad leges Regum, Principum ſupremorum, qui non ſubduntur imperio, non requiritur promulgatio in ſingulis provinciis, ſed ſatis eſt eas in curia cujuſque Regis vel Principis promulgari: ratio eſt, quia promulgatio in ſingulis provinciis non requiritur ex natura rei, neque ratione authenticæ Imperatoris, quia illa non obligat extra Imperium. Quod ſi tamen diverſa regna pertineant ad eundem Regem, prout regnum Neapolitanum & Caſtellæ ad Regem Hiſpaniæ, quæ ſingula gubernantur diverſis legibus, tunc in ſingulis Regnis vel Provinciis (hoc eſt in curia cujuſvis Regni vel Provinciæ; prout hic quoque fit in Provinciis Belgicis) debet fieri promulgatio.

DUBIUM VIII.

An lex pendeat ab acceptatione populi.

Leges Pontificię nō pendent ab acceptatione populi ad hoc ut obligent.

SIcuti leges naturales & divinæ independenter obligant à conſenſu & acceptatione ſubditorum, ita in rigore loquendo leges humanæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles, non pendent à conſenſu populi vel acceptatione ad hoc ut obligent: quod quidem clarum eſt quoad leges Eccleſiaſticas; quia Summus Pontifex poteſtatem ſuam non accipit à ſubditis, vel ab Eccleſia, ſed immediatè illam accipit à Chriſto: præterea Epiſcopi ſive à Chriſto immediatè poteſtatem ſuam accipiant; ſive potius ab eo mediante interventione ſummi Pontificis, eam tamen accipiunt independenter à conſenſu populi cui præficiuntur: quod confirmatur; quia Chriſtus Matth. 16. promiſit Petro, ejuſque ſucceſſoribus claves Regni Cælorum, dicens; *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*: Neque hanc vel ſimilem conditionem appoſuit, dummodo populus talis legem acceptare voluerit, ſed abſolutè.

Prout neque in rigore leges civiles.

De ſæcularibus idem quoque patet ex novella Juſtiniani 66. in qua Imperator ſtatuit ut novæ conſtitutiones habeant vim obligandi poſt duos menſes à facta promulgatione, nec de acceptatione populi ullam facit mentionem; præterea conſtat ſuperiores tam Eccleſiaſticos quam Civiles, poteſtatem condendi legem accepiſſe à Deo, dicente Apoſtolo ad Roman. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Præterea in quibuſcumque ſuperioribus eſt poteſtas coërcitiva per pœnas, neque iſta poteſtas pendet à populi acceptatione; ergo neque poteſtas præceptiva.

Non ſolent tamē hæ obligare niſi acceptentur.

Hæc eſto in rigore ſint vera, non ſolent tamen leges humanæ obligare niſi acceptentur; quod primò patet quoad leges Pontificias, nam quamvis illæ poſſint obligare Chriſtianos etiam invitos ob rationes ante datas, tamen Doctores ita voluntatem Pontificis interpretantur, ut quamdiu lex ejus à populo non eſt acceptata, velit obligationem illius ſuſpendi, ne detur occaſio peccandi, & ne poteſtas, quæ data eſt illi in ædificationem, ut loquitur Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 13. cedat in deſtructionem. Nec refert quod Pontifex non poſſit errare in rebus morum quas præſcribit toti eccleſiæ, nam quamvis leges ejus ſint utiles & bonæ generatim loquendo, tamen fieri poteſt quod non ſint utiles huic vel illi particulari Diœceſi. Hinc infer illos excuſari qui non ſervant conſtitutiones Concil. Trident. vel Bullæ cœnæ Domini; in locis ubi illæ non ſunt

Digitized by Google

ſunt promulgatæ nec acceptatæ.

Quod attinet ad leges civiles, patet quod non obligent niſi acceptentur; quia ejuſmodi leges poſſunt à communitate abrogari per contrariam conſuetudinem. 2. Quod ejuſmodi leges eo ipſo quo à communitate non recipiuntur, cenſentur inutiles, & proinde moraliter loquendo injuſtæ. 3. Principes ſæculares accipiunt poteſtatem condendi leges immediatè à populo, quam proinde non cenſentur poſſe exercere repugnante populo.

Petes, quandonam populus cenſeatur legem acceptare.

Reſp. quando pars major communitatis illam recipit; ſiquidem à majori parte ſumitur denominatio: contingit autem legem tribus modis acceptari, ut diximus. 1. Quando major pars populi vel primores, aliorum perſonam gerentes, ſcripto vel verbo in illam conſentiunt, quomodo fieri ſolet in comitiis Eccleſiaſticis, & provincialibus. 2. Per conſenſum tacitum, quando videlicet lex, dum eſt promulgata, à majori parte populi neque improbatur, neque rejicitur; quæ eo ipſo tacite approbatur. 3. Per executionem, quando major pars communitatis legem obſervat, vel practicat.

Petes, an peccent ſubditi non recipiendo leges Eccleſiaſticas promulgatas.

Reſp. Quando illi habent rationabilem cauſam non acceptandi, eos non peccare; ſi verò non habeant cauſam, peccant quidem initio legem non recipiendo, non tamen peccant poſtmodùm legem non ſervando; nimirum poſtquam contra illam paſſim agitur ſciente & non contradicente Pontifice vel Epiſcopo, qui dum ſciunt legem ſuam non obſervari, & ſilent, eo ipſo cenſentur conſentire ut non ſervetur, ne bonum publicum perturbetur; ac proinde tunc cenſetur tollere obligationem legis

Petes, quid ſi agatur contra legem ignorante legiſlatore.

Reſp. Tunc requiri certum tempus legibus definitum, quo conſuetudo paſſim contra legem agendi viguit, & à ſubditis bonâ fide eſt obſervata: & quidem contra legem civilem requiruntur decem anni, quibus talis conſuetudo viguit; prout & contra Eccleſiaſticam legem necdum moribus utentium receptam: quod ſi verò lex Eccleſiaſtica aliquando fuerit recepta & acceptata, quamvis aliqui non improbabiliter aſſerant ſufficere quoque decennium, tutius tamen requirimus ſpatium 40. annorum, eò quod contra eccleſiam non currat præſcriptio niſi ſpatio 40. annorum.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IX.

An declarationes Cardinalium ſuper Concilio Tridentino obligent, & ſint uſu receptæ in Belgio.

QUod Declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium ſuper Conc. Trid: habeant vim legis probatur; quia Sixtus V. in Bulla deſuper edita, majorem illis tribuit auctoritatem explicandi concilia, quam habeant alii Doctores; ſed alii DD. poſſunt obiter per modum doctrinæ,& non auctoritativè interpretari concilium; ergo interpretatio Cardinalium non tantum eſt doctrinalis, verum etiam auctoritativa, & per modum legis: præterea in definiendis & decidendis litibus Rota Romana ſequitur declarationes Cardinalium: requiruntur tamen diverſæ conditiones antequam illæ habeant vim obligandi in conſcientia; quarum prima eſt; ut certò & indubitatè conſtet illas declarationes eſſe Sacræ congregationis; quod inde dignoſcetur, ſi rubrica aliqua ſubſignentur per Secretarium dictæ congregationis, vel per aliquem Cardinalem dictæ congregationis cum ſigillo authentico. 2. ut in ipſa declaratione narretur eam fuiſſe pronuntiatam conſulto Pontifice. 3. ut ſint promulgatæ ita ut conſtent notitia publica; qualis eſt illa quam Epiſcopus poteſt perhibere in ſuo Epiſcopatu declarando illas eſſe tales.

Quibus præſuppoſitis non videntur dictæ declarationes Cardinalium habere vim legis in Belgio, & conſequenter nec obligare in conſcientia, prout neque deciſiones Rotæ Romanæ; quia imprimis dictæ declarationes Cardinalium in Belgio non ſunt promulgatæ. 2. quia in Belgio non conſtat authenticè de dictis declarationibus, vel an ſint editæ conſulto Pontifice (quam conditionem Sixtus V. in ſua Bulla requirit) eò quod frequenter ab Authoribus citentur diverſæ, & quidem contrariæ de eadem materia.

Petes, an regulæ Cancellariæ Romanæ ſint leges.

Reſp. negativè; partim quia ſecundum conſuetudinem in aliis legibus receptam non promulgantur; partim quia morte Summi Pontificis exſtinguuntur donec confirmentur à ſucceſſore: lex autem non exſtinguitur morte legislatoris. Regulæ Cancellariæ Romanæ non ſunt leges.

Petes, an Stylus Curiæ Romanæ faciat legem.

Reſp. ſic communiter docere DD. à quorum placito non eſt recedendum; eo quod princeps ſciens talem ſtylum, & conſuetudinem, tribuat illi vim legis; quamvis tamen verum ſit non omnem ſtylum Curiæ Romanæ habere vim legis, quippe non ille quem populus non obſervat tamquam obligatorium.

DU-

DUBIUM X.

Quinam obligentur Legibus; & ſignanter.

An Clerici obligentur Legibus Civilibus.

RESP. & dico primò; Clerici ſubjiciuntur legibus civilibus quæ ſpectant ad bonam Reipubl. gubernationem, nec adverſantur Sacris Canonibus vel Eccleſiaſticæ libertati: quales ſunt quæ taxant valorem monetæ, quæque juſta rebus pretia deſignant; ſubjiciuntur, inquam, iſtis legibus quoad vim directivam, non quoad coactivam; non enim poſſunt à legiſlatore ſæculari puniri ob earum tranſgreſſionem: ratio primæ partis eſt, quia Clerici etiam ſunt membra Reipubl. adeoque aliis membris debent eſſe conformia; quod niſi eſſet, magna in rebus eſſet perturbatio: accedit ſpecialis ratio quoad leges taxantes valorem monetæ & aliarum mercium; quia ejuſmodi leges directè cadunt in res ipſas; quarum proinde valore conſtituto, graviter peccat contra juſtitiam qui earum valorem excedit. Ratio poſterioris eſt, quia omnis poteſtas judicandi perſonas Eccleſiaſticas in ſacris canonibus eſt penitus interdicta poteſtati ſæculari; ut patet ex *Cap. qualiter & quando : de judicibus*: & *Cap. ſignificaſti : de foro competenti : & in Bulla cœna Domini*: Quod autem diximus perſonas Eccleſiaſticas ſubjici legibus civilibus quoad vim directivam, id intelligendum venit non directè, ſed indirectè; ſcilicet ex vi & obligatione legis naturalis dictantis ut pars ſe conformet ſuo toti: cum enim Clerici ſint pars Reipublicæ, idcirco etiam ex conſequenti legibus civilibus obligantur; quod ni faciant, non peccant quidem contra legem civilem, ſed contra legem naturalem, quâ pars tenetur ſe conformare ſuo toti, & quâ tenetur bonum exemplum dare aliis.

Dico ſecundò: non ſubjiciuntur Eccleſiaſtici nequidem quoad vim directivam legibus civilibus quæ adverſantur immunitati Eccleſiaſticæ; quod eſt notorium apud Catholicos, nec ulteriori indiget probatione contra hujus temporis hæreticos.

Petes, à quo debeat puniri Clericus qui eſt tranſgreſſus legem aliquam civilem.

Reſp. à judice Eccleſiaſtico; eò quod Clerici ſint exempti à juriſdictione ſæculari: debet autem puniri pœnâ arbitrariâ, non verò illâ quæ jure Civili in tale delictum eſt conſtituta. Ratio eſt, quia lex Civilis, quæ talem pœnam conſtituit, non obligat Clericos ex virtute obedientiæ; unde nec judex Eccleſiaſticus eam delinquenti tenetur imponere, ſed aliam pœnam arbitrariam.

Clericus ejus modi legem tranſgreſſus punitur à judice ſuo Eccleſiaſtico; non verò à ſæculari.

DUBIUM XI.

An Legiſlator obligetur ſua Lege, v. g. Pontifex Lege jejunii, &c.

Legiſlator ſubjicitur ſuæ legi quoad vim directivā ſed non ſemper; numquam tamen quoad coactivam.

RESP. & dico primò; legiſlator non ſubjicitur legi ſuæ quoad vim coactivam, ſecus verò quoad vim directivam: ratio prioris eſt, quia princeps à ſubditis cogi non poteſt ad pœnam ſolvendam, neque de ſe ipſo pœnam ſumere tenetur; quam ſi ſumat, jam non coactè, ſed ſponte facit. Ex quo ſequitur Pontificem nullam umquam cenſuram incurrere quomodocumque tandem legem tranſgrediatur. Ratio poſterioris eſt, quia caput debet eſſe conforme membris in vitâ & moribus. Hinc Chriſtus Matth. 23. reprehendit ſuperiores, qui dicunt, & non faciunt: deinde leges redduntur odioſæ ſubditis, dum vident ſuperiores eas non ſervare in paritate cauſæ.

Petes; quale peccatum committat legiſlator non ſervans legem ſuam.

Reſp. id ex gravitate materiæ, ſcandalo, vel damno quod inde exoritur eſſe metiendum; quamquam ſepoſito ſcandalo & damno, ratò id poſſit eſſe mortale, eſto lex ipſa obliget ſub mortali; ſiquidem legiſlator non ſervans legem ſuam non peccat contra legem ſuam, ſed contra legem naturalem, quæ dictat caput ſe debere conformare membris, quæ ſecundum ſe non videtur tam graviter obligare.

Petes, an princeps qui tulit legem de ſolvendis vectigalibus, vel de non ferenda veſte ſerica, vel de non geſtando gladio, teneatur iſtis legibus.

Reſp. neg. quia multæ leges ſunt, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur, quod non decet principem facere, vel omittere, ſed tantum ſubditos, quales proinde leges ipſum non ligant ne quidem quoad vim directivam.

DUBIUM XII.

An Lex pœnalis obliget in conſcientia.

Quid lex pœnalis.

NOta legem pœnalem eſſe illam quæ ex arbitrio legiſlatoris ſtatuit pœnam temporalem in tranſgreſſor ··dico temporalem, quia pœna æterna neceſſariò eſt connexa cum quacumque lege obligante ſub mortali. Porrò quam neceſſariæ ſint leges pœnales bono publico, patet; quia major pars hominum obedit legi formidine pœnarum, juxta illud;

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Alia eſt purè pœnalis; alia mixta.

Lex pœnalis eſt duplex; una videlicet purè pœnalis, & altera mixta: purè pœnalis eſt, quæ nec præcipit, nec prohibet aliquid fieri, ſed tantum imponit pœnam illi, qui aliquid fecerit, vel omiſerit, ſub hac

Quid purè pœnalis.

hac vel ſimili forma; qui hoc vel illud fecerit, talem vel talem pœnam ſubeat.

Quid mixta.

Lex pœnalis mixta eſt, quæ præcipit; vel prohibet aliquid fieri cum appoſitione pœnæ in tranſgreſſores; adeoque hæc non ſolum obligat ad pœnam, ſed quoque ad culpam; cum enim lex humana aliquid præcipiens vel prohibens non apponendo pœnam, obliget in conſcientia, prout ſupra diximus, non deſinet illa obligare eò quod apponatur pœna; ſiquidem pœna addita præcepto non tollit præcepti obligationem; adeoque pro qualitate materiæ obligabit ad mortale, vel veniale.

Lex puré pœnalis obligat in conſcientia.

Dico 2. quamvis non ſit improbabile legem purè pœnalem non obligare ad ullam culpam, probabilius tamen videtur oppoſitum; ac proinde nullam dari legem humanam, habentem veram rationem legis quæ non obliget ad culpam: ratio eſt quia appoſitio pœnæ indicat obligationem ad culpam; eò quod pœna & culpa ſint correlativa. Unde S. Auguſt. lib. 1. retractationum cap. 9. ait „ omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt." Hinc ſi legiſlator alicui actioni, vel omiſſioni pœnam apponat, niſi aliter ſignificet, eo ipſo aliquid præcipit, vel prohibet ſub aliquali culpa; ideo quippe pœnam apponit ut ſubditus ejus metu magis permoveatur ad obediendum; hinc ejuſmodi leges; qui frumentum è patria evexerit, ſolvat centum florenos; qui è ſylva Reip. tales arbores exciderit, carcere puniatur; etſi expreſsè nihil prohibeant, vel jubeant, implicitè tamen aliquid jubent, vel prohibent, illud ſcilicet pro quo pœna ſtatuitur; ſiquidem duo continet lex pœnalis, nempe actionem vel omiſſionem quæ prohibetur, & pœnam quæ infligitur.

Plenæque cōſtitutiones religioſorū obligāt dumtaxat ad pœnā.

Dices; ſunt plurimæ leges & ſtatuta religioſorum quæ obligant dumtaxat ad pœnam & non ad culpam, prout patet in conſtitutionibus Fratrum Minorum quibus dicitur, nolumus per hæc quæcumque noſtra ſtatuta ad peccati vinculum obſtringere, niſi alias per jus divinum vel humanum fuerint adſtricti; & in ſtatutis Fratrum Prædicatorum dicitur; ut unitati & paci totius ordinis provideamus, volumus, & declaramus ut ſtatuta noſtra non obligent ad culpam, ſed ad pœnam. Similiter conſtitutiones Societatis Jesu declarant ſe ad culpam non obligare; ergo certum eſt dari leges purè pœnales non obligantes ad culpam, ſed pœnam.

Tales conſtitutiones non habeat rationē legis.

Reſp. neg. conſequentiam: quia ejuſmodi conſtitutiones non habent rationem veræ legis, ſed tantum ſunt ordinationes & directiones hortantes quid fieri deceat: neque enim negamus, ſi conſtet quòd legiſlator nullo modo velit ſubditos ad culpam obligare, ad eam illos non obligari; ſed negamus talem conſtitutionem habere ratio-

nem veræ legis: hinc leges purè pœnales, ſi proprie loquamur, non ſunt veræ leges reſpectu ſubditorum, quia non habent vim præcepti: dicuntur verò leges purè pœnales quia per modum legis pœnam ſtatuunt: & licet pœna propriè dicta culpam præſupponat Theologicam, hoc eſt peccatum mortale vel veniale, tamen accepta in ſenſu latiori præſupponit tantum culpam juridicam & civilem, conſiſtentem in omiſſione alicujus diligentiæ: quo modo verum eſt dicere quod ejuſmodi leges pœnales non obligent ad veram culpam; quales reperiuntur in multis civitatibus & communitatibus, quibus cavetur ſub certa pœna ne oppidani cædant communem ſylvam, venentur in loco communi, &c. unde ait Medina, quem alii juniores ſequuntur, ſtatuta communitatum de aliquid faciendo vel omittendo ſub certa pœna, non obligare ad culpam.

Petes, ex quibus indiciis poteſt dignoſci an lex aliqua ſit purè pœnalis, an mixta.

Reſp. Ex mente legiſlatoris; quia ex ipſius voluntate pendet, an abſolutè, an tantum ſub conditione talis vel talis pœnæ luendæ velit obligare.

Petes, ex quibus indiciis poteſt intentio legiſlatoris dignoſci.

Reſp. primò ex forma legis; nam merè pœnalis eſt, cum non fertur per modum præcepti, qualis eſt hæc lex lata ſub hac forma: qui evexerit triticum ex patria ſolvet centum libras. 2. Ex pœna quæ infligitur: ſi enim pœna ſit gravior, v. g. mortis, confiſcationis omnium bonorum, ſignum eſt quod lex obliget in conſcientia & ſit pœnalis mixta, quamvis in lege non habeantur verba, prohibeo, præcipio, &c. ratio eſt, quia pœna mortis, confiſcationis omnium bonorum, perpetui carceris, privationis omnium beneficiorum, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, non poſſunt inferri niſi ob graviſſimam culpam. 3. ex aliqua generali conſtitutione vel declaratione, quâ declarat legiſlator ſe per legem ſuam nolle obligare in conſcientia.

Petes, quid ſit cenſendum in dubio, quando non certò conſtat an legiſlator voluerit obligare ſub culpa, nec ne.

Reſp. legem ipſius habendam tunc purè pœnalem, adeoque non tamquam obligatoriam ad culpam; juxta regulam juris in ſexto; *Onera reſtringi, favores convenit ampliari.*

Petes, an lex de tributis & gabellis ſolvendis ſit pœnalis.

Reſp. tributi nomine intelligi publicum ſubſidium quod ſolvitur à populo ad ferendos communes ſumptus & operas Reipublicæ & eſt illud vel reale, vel perſonale, vel mixtum. Reale eſt quod pro rebus immobilibus & fructibus earum quottanis ſolvitur, à quo

Lex de tributis ſolvendis non eſt pœnalis

Digitized by Google

quo tributo agri dicuntur vectigales. Perſonale eſt quod tribuitur ratione perſonæ & vocatur cenſus; ac ſolvitur per capita. Mixtum eſt quod tam pro rebus quam pro perſonis ſolvitur. Quibus prænotatis.

Reſpondeo negativè: quia non imponitur tributum tamquam pœna, ſed tamquam ſubſidium à populo debitum ad onera Reip: ferenda: unde etiam nullâ præſuppoſitâ culpâ poſtulat juſtitia ut tributum juſtè impoſitum perſolvatur.

Petes, an ergo debeat ſolvi ante petitionem.

Reſp. affirmativè; niſi forte alicubi ſit conſuetudo in contrarium quod non ſolvatur ante petitionem quo caſu non erit obligatio ſolvendi ante petitionem, imo nec erit obligatio declarandi rem pro qua ſolvitur tributum, ſed ſufficit ſolvere quando petitur, vel rem aperire quando a tributi exactore interrogabitur.

Petes, an qui legem pœnalem eſt tranſgreſſus debeat pœnam ſubire antequam à judice condemnetur.

Reſp. duplicem eſſe pœnam: unam privativam, alteram poſitivam; privativa eſt quæ conſiſtit in mera paſſione facientis ad ſui executionem; qualis eſt v.g. quod quis privetur juriſdictione, poteſtate contrahendi matrimonium, jure eligendi, prout quoque quando quis excommunicatur, ſuſpenditur &c. poſitiva eſt, illa quæ ad ſui executionem requirit aliquam actionem ponendam à patiente; qualis eſt v. g. ſolutionis pecuniæ, flagellationis proprii corporis, &c.

Notandum ſecundò, pœnam dupliciter à lege poſſe decerni; nempè vel per modum ſententiæ latæ, vel ſententiæ ferendæ: pœna latæ ſententiæ eſt quæ incurritur eo ipſo quo peccatum patratur; qualis eſt pœna excommunicationis annexa hæreſi extrinſecæ. Pœna verò ſententiæ ferendæ eſt quæ non ſtatim incurritur ac peccatum eſt commiſſum, ſed tantum poſtea quando à ſuperioribus imponitur. *Alia eſt pœna latæ ſententiæ, alia ferendæ.*

Notandum 3. quod pœna latæ ſententiæ quandoque incurratur abſolutè citra ullam judicis declarationem, quandoque tantum poſt ſententiam judicis declaratoriam.

Petes, ex quibus ſignis dignoſci poſſit an pœna ſit latæ ſententiæ, an ferendæ.

Reſp. ſi lex dicat ipſo facto, ipſo jure, ſtatim excommunicatus exiſtat, vel ſuſpenſus, aut interdicto ſubjaceat, ſignum eſt pœnam eſſe ſententiæ latæ. Illud verò eſt diſcrimen inter pœnam ferendæ ſententiæ & latæ, quod legiſlator qui imponit pœnam ipſo facto, privet quantum in ſe eſt delinquentem bonis ſuis vel beneficiis, eâ tamen frequenter con- *Quæ utriuſq; indicia.*

ditione, ut declaratio fiat: qui verò ponit pœnam ſententiæ ferendæ non privat delinquentem bonis ſuis ipſo facto, ſed tantum judici poteſtatem dat illis privandi. His præſuppoſitis.

An trāſgreſſus legem pœnalem, debeat pœnā ſubire ante condēnationem.

Reſpondeo, quando lex pœnalis continet ferendam pœnam, ejus tranſgreſſor non tenetur ſubire pœnam ante ſententiam judicis; partim quia lex non extendit ſe ultra intentionem legiſlatoris; partim quia in pœnis benignior interpretatio ſemper eſt facienda: quando verò lex pœnalis continet pœnam latæ ſententiæ conſiſtentem in mera privatione, ita ut nullam actionem patientis requirat ut executioni mandetur, ſtatim quoque illa ante ſententiam judicis incurritur; quo modo cenſuræ ipſo facto latæ ſtatim incurruntur.

Petes; an ergo committens aliquod delictum, cui ipſo facto vel jure impoſita eſt privatio beneficii, vel officii, ſit eo ipſo privatus officio vel beneficio, teneaturque ille ſe abdicare, vel bona ſua fiſco tradere.

An ipſo jure privatus beneficio poſſit fructus facere ſuos.

Reſp. illum delinquentem quidem ipſo facto privatum eſſe dominio, uti & titulo beneficii Eccleſiaſtici; non tamen tenetur ſtatim bona ſua fiſco tradere, aut beneficium ſuum abdicare ante ſentētiam judicis declaratoriam; eò quod ut quis poſſeſſione beneficii vel officii actualiter ſpolietur, opus ſit actione, quam non tenetur in ſe exercere, niſi manifeſtè conſtet talem eſſe intentionem legiſlatoris. Ratio horum eſt, quia tales leges videntur nimis acerbæ & odioſæ; inſuper quia uſu & conſuetudine eſt receptum (quæ eſt optima legum interpres) ut nemo privet ſe poſſeſſione rei ante obtentæ niſi declaratoria ſententia judicis præmittatur; quod etiam verum arbitramur, eſto crimen commiſſum ita foret notorium ut nulla ſpoſſet tergiverſatione celari.

Dices; ſi delinquens, patrato delicto, cui pœna ipſo facto eſt impoſita, non teatur ſtatim perſolvere pœnam impoſitam, ſequetur fruſtra apponi illas clauſulas in legē; ipſo facto, ipſo jure: ſequetur inſuper nullum eſſe diſcrimen inter pœnam ſententię latę, & ſententæ ferendę.

Reſp. neg. utramque ſequelam; nam ejuſmodi particulæ hoc operantur, ut reus, poſitā ſententiā declaratoriā criminis, luat pœnam eo modo ac ſi ſtatim patrato delicto illa fuiſſet executioni mandata; ſiquidem illa tunc retrotrahitur uſque ad diem commiſſi criminis. 2. hæredes delinquentis poſſunt citari ad fiſco perſolvendum pœnam realem ipſo facto impoſitam; ſiquidem bona manent realiter obligata fiſco; obligatio autem realis tranſmittitur ad hæredes: ſecus dicendum eſt de pœna ſententiæ ferendæ; quia fiſcus non habet jus in bona delinquentis ante ipſius condemnationem; mortuus autem non

poteſt

poteſt condemnari, quandoquidem poteſtati huumanæ non ſit ampliùs ſubjectus.

Petes, quid ſi Clericus ipſo facto ob crimen beneficio Eccleſiaſtico ſi privatus, an poſſit tutâ conſcientiâ illud retinere ante ſententiam declaratoriam judicis.

Reſp. ex dictis affirmativè; niſi lex dicat quod in foro conſcientiæ debeat ipſo facto deponere beneficium: nam quamvis ipſo facto amittat titulum, retinet tamen poſſeſſionem. Ex quo ſequitur quod ſi talis ſit Paſtor, & crimen propter quod ipſo facto eſt privatus paſtoratu ſit occultum, adhuc tamen valere omnia ipſius acta, ac conſequenter omnes ipſius abſolutiones eſſe validas. Ratio eſt, quia habet titulum coloratum cum errore communi.

Petes, undenam talis juriſdictionem habeat, quando beneficii titulum ipſo facto amiſit.

Reſp. Ab Eccleſia, quæ ob communem plebis errorem, & ne conſcientiæ perturbentur, illam concedit; ſicuti lege, *Barbarius Philippus*, reſpublica cenſuit acta prætoris eſſe valida, qui propter occultum crimen erat privatus officio: unde communis eſt ſententia, quod privatus beneficio Eccleſiaſtico ipſe non teneatur illud dimittere ante ſententiam Judicis declaratoriam.

Petes, an talis faciat fructus ſuos.

Reſp. Affir. eſto enim ille titulum beneficii perdiderit, adhuc tamen retinet poſſeſſionem, quæ ſufficit ad percipiendos fructus.

Petes, an lex humana non poſſit quandoque obligare ad ſubeundam pœnam ipſo facto ante ſententiam judicis etiam quando pœna requirit executionem ipſius patientis.

Reſp. Affirmativè: ſi pœna talis ſit quam quis ſecundum rectam rationem ſibi poteſt infligere: ejuſmodi eſt lex Concilii Lateranenſis ſub Leone X. contra beneficiarios non recitantes horas canonicas, quæ obligat illos in conſcientia ad reſtituendos fructus perceptos ante ſententiam judicis: lex illa ſic ſe habet: ſtatuimus ut quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio, divinum officium non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis officii & temporis; ſed eos, tamquam injuſtè perceptos in fabricas ejuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleëmoſynas erogare tenetur.

DUBIUM XIII.

De Interpretatione Legis humanæ.

SUpra de Legibus diximus, interpretationem non cadere in legem naturæ, vel divinam; eò quod epykia ſupponat defectum legis in aliquo caſu particulari à legiſlatore non prævisum, qui in

neutram

neutram illarum legum poteſt cadere; in quas tamen ſimplicem interpretationem diximus poſſe cadere: quo modo Machabæi interpretati ſunt mentem legis divinę de ſanctificando ſabbatho, judicantes non eſſe contra ſanctitatem ſabbathi eo die pugnare.

Nonta̅tum interpretatio; ſed & Epykia cadit in legem humanam.

Nunc hic quæritur. An utraque interpretatio locum habeat in lege humana. Ad quod Reſp. Affirm. de ſimplici interpretatione patet; quia ſicuti vir prudens poteſt interpretari mentem legis naturalis & divinæ, ita quoque poterit & humanæ; de interpretatione per epykiam patet; quia legiſlator humanus quando condit legem pro tota communitate, non poteſt prævidere ſingulos caſus eventuros; ac proinde non poteſt legem ſuam ſingulis accommodare; hinc fit quod aliquando erret in ſua lege; qui error poſtea corrigendus eſt per epykiam.

Petes, quis poſſit interpretari legem humanam in caſu particulari, in quo videtur deficere.

Quis poſſit legem humanam interpretari & quomodo.

Reſp. quando evidens eſt obſervationem legis in aliquo caſu particulari eſſe illicitam, adeoque legem deficere à recto, tunc licitum eſt unicuique ſubdito illam interpretari per epykiam, agendo videlicet contra verba legis, tamen ſecundum mentem legiſlatoris; nec tunc opus eſt recurrere ad ſuperiorem: tunc autem evidens eſt legem eſſe illicitam vel injuſtam in caſu particulari quando obſervatio legis cederet in notabile detrimentum boni communis, vel perſonæ privatæ legem obſervantis, ut v. g. ſi alicui immineret periculum mortis, ſi in die feſto exiret domo ad audiendum ſacrum; quo caſu poterit interpretari legem de audiendo ſacro non obligare; prout quoque ſi lex humana nequeat obſervari ſine violatione alicujus legis naturalis.

Petes, quid ſi non ſit evidens legem non obligare in caſu particulari, ſed ſubditus ſit in utramque partem æque dubius, an ſit obſervanda, nec ne.

Reſp. ſi ſubditus poſſit recurrere ad legiſlatorem, tenetur eum accedere pro habendâ interpretatione; ſi verò non poſſit, quia ipſe eſt abſens, tenetur facere ſecundum tenorem verborum legis, ut vitet peccatum contra conſcientiam; quia in dubiis tutior pars eſt eligenda; quod ſi verò non ſi practicè dubius, ſed probabiliter putet legem in caſu aliquo particulari non obligare, ſi poſſit habere recurſum ad legiſlatorem, tenetur; quod ſi vero non poſſit, & res non patiatur moram, poterit ſequi opinionem probabilem ſe practicè aſſecurando ratione neceſſitatis aut alterius principii, juxta dicta in materia probabilium; eò quod neceſſitas non habeat legem: & ita quidem in hiſce caſibus locum habet ſimplex interpretatio, non verò epykia.

Obiter hic notandum; quod lex odioſa

odioſa regulariter non ſit extendenda ultra naturalem verborum proprietatem: ſiquidem in odioſis homines ordinariè loquuntur propriè; lex verò favorabilis eſt extendenda quantum patitur naturalis & civilis verborum proprietas, juxta regulam juris in ſexto; *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.*

Petes, quid ſi ſit dubium de poteſtate legiſlatoris in caſu aliquo particulari, v. g. circa legem quæ prohibet Carthuſianis eſum carnium in periculo mortis.

Reſp. tunc recurrendum eſſe non ad ſuperiores, ſed ad viros doctos & prudentes; ſicuti enim pertinet ad legiſlatorem interpretari ſuam mentem, ſic ad viros doctos pertinet interpretari ipſius poteſtatem; qui, in præſenti caſu Carthuſiani, cenſent eum in periculo mortis poſſe comedere carnes ſi alii cibi deſint, eò quod lex naturalis de propria vita conſervanda magis obliget quam poſitiva: quod ſi verò non deſint alii cibi, non poterit Carthuſianus in periculo mortis veſci carnibus; quia obſervatio hujus præcepti cedit in magnum bonum iſtius religionis; ita ut magis interſit illud ſervari, quam propriam vitam particularis alicujus religioſi; ſi enim occaſione alicujus morbi illis liceret veſci carnibus, facilè totius iſtius ordinis diſciplina relaxaretur & tabeſceret.

Dices: licitum eſt illis, imo & neceſſarium veſci carnibus, ſi alii cibi deſint; ergo & ſimiliter poterunt, ſi adſint quidem alii cibi, ſed qui ad ſanitatem obtinendam non ſunt utiles.

Reſp. negandò conſequentiam; quia eſto illi non ſint efficaces contra morbum, valent tamen ad vitam ſuſtentandam, & ne ægrotus moriatur fame, eſto forte moriatur ex morbo; neque enim tam inhumanum eſt permittere aliquem ex juſta cauſa mori ex morbo, quam permittere ipſum mori fame: neque lex naturalis de conſervanda propria vita ita ſemper obligat, ut non liceat in caſu particulari ex juſta cauſa illam prodigere: ſic enim SS. Martyres ad perhibendum fidei teſtimonium ſe permittunt occidi, ubi etiam poſſunt effugere; ſic quoque uxor poteſt aſſiſtere marito peſte laboranti, eſto non deſint alii qui illi poſſunt aſſiſtere: præterea ſi medicus judicet neceſſarium ut infirmus pro conſervanda vita mutet patriam, v. g. vadat in Italiam vel Hiſpaniam, vel utatur pretioſiſſimis cibis vel medicinis, non tenebitur ægrotus propterea patriam mutare, vel cibis pretioſiſſimis uti; prout neque in mortis articulo obligatur in molli ſtrato requieſcere ſi in aſpero ſolitus fuerit cubare. Unde legitur de S. Martino, quod, cum ei in extrema ægritudine diſcipuli ſuaderent ut pateretur mollem lectum ſibi ſupponi, reſpondit, non decere Chriſtianum niſi in cinere mori: ſi

aliud vobis exemplum reliqui, ipſe peccavi. Ratio horum eſt, quia talia virtutum opera ſunt majoris momenti quam breve aliquod vitæ oblectamentum, & idcirco ſunt cauſa ſufficiens ut quis illa etiam poſſit facere in mortis articulo, quinimo ad eorum obligationem ſe voto adſtringere.

Petes, quid ſi ſubditus cum fundamento dubitet de voluntate legiſlatoris, an v. g. voluerit præcipere.

Reſp. eum debere recurrere ad ſuperiorem ſi poteſt, quia pertinet ad legiſlatorem interpretari mentem ſuam, quem ſi non poterit accedere, tenebitur facere ſecundum verba legis.

Petes, an ſit licitum interpretari decreta Conc. Trident.

Reſp. Affirm. nam Bulla Pii V. hoc prohibens intelligenda venit de interpretatione actoritativâ & ex profeſſo, non verò de ſimplici doctrinali.

Petes, an excuſatus ab una parte actus præcepti, etiam excuſetur ab alia.

Reſp. excuſatus à parte accidentali, equidem tenetur ad principalem. Ratio eſt, quia principale non ſequitur ſuum acceſſorium; ſed bene è contra: ita qui obiter cogitur anticipare prandium, tenetur equidem jejunare; eò quod determinatio temporis prandendi tantum ſit quid accidentale in lege jejunii: ita quoque qui in pago, in quo tantum celebratur una miſſa, venit ſerius ad præfationem, tenetur audire reliquam partem miſſæ; nam quæ à conſecratione uſque ad ſumptionem peraguntur ſunt ſubſtantialia: quod ſi verò actus præceptus ſit res aliqua individua, qui excuſatur à parte ejus ſubſtantiali, excuſatur à toto: vocatur verò res præcepta individua, in cujus parte ſubſtantia præcepti ſervari non poteſt; ita ut ſi partem præcepti auferas, auferas totum: ſic qui tenetur ad veſperas, ſi tantum poſſit partem veſperarum legere, excuſatur à toto: quod ſi verò actus præceptus ſit res dividua, qui excuſatur ab una parte, non excuſatur propterea ab altera: ſic qui excuſatur à matutinis, equidem obligatur ad parvas horas, & qui excuſatur à jejunio, non propterea excuſatur à comeſtione carnium.

DUBIUM XIV.

An modus præcepti cadat ſub præceptum.

QUæſtio eſt, an ad ſatisfaciendum præcepto, quo imperatur actus alicujus virtutis, ſufficiat ponere opus præceptum; an verò inſuper oporteat implere modum illius; ita ut non ſolum ſit obligatio ponendi opus præceptum quoad ſubſtantiam, ſed inſuper debeat fieri illo modo qui ad virtutem ſpectat.

Nota

Modus præcepti alius eſt de ipſius eſſētia, alius non.

Qui eſt de eſſentia cadit ſub prę- ceptū.

Nota modum quandoque eſſe de intrinſeca ratione actus præcepti, ſic enim actum eſſe cognitum, item volitum, ſunt modi de intrinſeca ratione actus præcepti; eò quod præcipiatur actus humanus, qui nequit ſubſiſtere ſine cognitione & volitione; & hi modi cadunt ſub præceptum, tam naturale divinum, quam humanum: hinc ſi Petrus dormiens aſſiſtat miſſæ, non ſatisfaciet præcepto audiendi miſſam, quia deeſt modus pertinens ad ſubſtantiam præcepti, nempe aſſiſtentia humana: ſimiliter qui accedit ad ſacramentum pœnitentiæ ſine requiſito dolore, non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis; quia deeſt contritio ſpectans ad ſubſtantiam actus præcepti. Alius eſt modus qui non ſpectat ad ipſam ſubſtantiam actus, v. g. ut fiat ex hac vel illa intentione; & iſte non cadit ſub præceptum, ſaltem legis humanæ; quia lex humana de illis tantum diſponit, de quibus poteſt judicare: qui tamen cadit ſub præceptum legis divinæ: & ita tortor, qui furem auctoritate publicâ ſuſpendit, implet legem humanam, etiamſi ex odio erga perſonam hoc faciat, quamvis peccet contra legem divinam, quæ odium iſtud prohibet: ſimiliter qui in die jejunii jejunat ex vana gloria in tantum ſatisfacit legi Eccleſiaſticæ ut non debeat denuò jejunare; peccat tamen contra legem divinam, quæ prohibet modum vanæ gloriæ: ſimiliter adoleſcens audiens miſſam animo concupiſcendi aliquam filiam, in tantum ſatisfacit præcepto eccleſiæ, ut non teneatur audire aliam miſſam; peccat tamen contra præceptum Decalogi, *non concupiſces*.

Dices, ut præceptum cenſeatur adimpleri debet ſatisfieri intentioni legiſlatoris; ſed intentio legiſlatoris eſt ſua lege ſubditos facere bonos; ergo quoque modus præcepti cadit ſub præceptum.

Reſp. Duplicem eſſe intentionem legiſlatoris: unam quæ verſatur circa finem, nempe circa virtutem, ad quam ſubditum nititur inducere; & hæc eſt finis legis, de quo dicitur, quod finis præcepti non cadat ſub præceptum; ſiquidem pręcepta dantur de mediis ad finem: altera eſt de actu quem intendit præcipere, qui habet rationem medii in ordine ad finem obtinendum; & huic quidem oportet ſatisfacere ad adimplendum præceptum, non autem priori.

Petes; an ergo ad præcepti impletionem requiratur intentio faciendi opus præceptum.

Ut adimpleatur pręceptum requiritur intentio faciendi opus præceptum.

Reſp. Affirm. quia neceſſe eſt ut opus præſtetur humano modo, quod fieri non poteſt, niſi adſit voluntas præſtandi tale opus: ex quo ſequitur illum non ſatisfacere præcepto de audiendo miſſam, qui violenter contra voluntatem ſuam cogeretur illam audire; ſecus verò qui metu coactus illam audiret: ratio

ratio diſparitatis eſt, quia poſterior audit humano modo, etiamſi peccet habendo velleitatem non audiendi ſi metus abeſſet; non ita prior, qui violentè audit.

Petes, quid ſi quis debeat alicui centum florenos, & creditor illi inſcienti tantumdem auferat, an debitor ex præcepto adhuc obligabitur creditori ad dandum centum.

Reſp. Negativè; non quaſi ſatisfecerit præcepto juſtitiæ de ſolvendis centum, quia caruit intentione ſolvendi; ſed quia deeſt materia actus præcepti; cum enim ſit facta æqualitas viâ compenſationis, ceſſat obligatio reſtituendi; ita quoque ſi dives, obligatus ad dandam eleëmoſynam pauperi in extrema neceſſitate conſtituto, nolit eam dare, & per vim pauper ab eo tollat; ille quidem non amplius obligabitur, quia deeſt materia præcepti, qui tamen non ſatisfaciet præcepto eleëmoſynæ.

Petes, an ad adimplendum præceptum neceſſe ſit opus fieri ex intentione adimplendi præceptum.

Non tamē neceſſe eſt fieri ex intētione adimplendi præceptū.

Reſp. negativè; ſed ſufficere ut illud ponatur modo humano. Ratio eſt, quia lex præcipit opus tantum fieri, non verò ex intentione adimplendi præcepti: hinc infer illum ſatisfacere præcepto qui die dominica audit ſacrum, neſciens eſſe diem dominicum, nec opus eſſe, ubi poſtmodum reſcit eſſe diem feſtum, audire aliam miſſam.

Petes, quid ſi quis faciat opus præceptum cum intentione non implendi præceptum per illud opus, an ſatisfaciat præcepto.

Reſp. Affirm. quia ponit opus præceptum modo humano, qui tamen graviter peccat ob affectum ad tranſgreſſionem præcepti; ſiquidem affectus ad peccatum eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſo peccato: non peccat tamen contra præceptum humanum cujus ponit actum, ſed contra naturale divinum.

Dices, actus agentium non extendunt ſe ultra intentionem; ergo quando per aliquem actum, quem quis ponit, non intendit adimplere præceptum, illud non adimplet.

Reſp. negando conſequentiam; & dico antecedens tantum eſſe verum reſpectu eorum quæ pendent ab intentione ipſius agentis; ſecus verò reſpectu eorum quæ ab ipſius intentione non pendent; reſpectu quorum actus ſe poteſt extendere ultra intentionem agentis: ut patet in caſu poſito.

Petes; an uno actu poſſit quis ſatisfacere duobus præceptis.

Quandoque unico actu poteſt ſatisfieri duobus præceptis.

Reſp. affirmativè, quamvis tamen unicâ ſolutione non poſſit quis ſatisfacere duobus debitis juſtitiæ: ratio diverſitatis eſt, quod juſtitia commutativa reſpiciat æqualitatem rei ad rem, quæ æqualitas non ſalvatur unicâ ſolutione in

pluri-

Digitized by Google

pluribus & diverſis debitis: juſtitia verò legalis, qualis reperitur in adimpletione præceptorum & debitis legalibus, reſpicit tantummodo æqualitatem rei ad intentionem legiſlatoris, qui contentus eſt ut ſatisfiat uno actu duobus præceptis

Petes, an poſſit ſatisfieri legi vel præcepto per actum ex fine vel alia circumſtantia malum.

Satisfieri poteſt legi humanæ per actū ex fine aut alia circumſtantia malum.

Reſp. ex antedictis affirmativè; dummodo ſit opus ex objecto bonum; quia nimirum ponitur opus præceptum; eſto enim legiſlatoris intentio & finis ſit ſubditos facere bonos, & ut ex omni parte bene operentur, ille tamen non cadit ſub præceptum.

Dices, ſiquis per tale opus ex circumſtantia malum præcepto ſatisfaciat, ergo illo opere non peccabit; quia peccatum eſt tranſgreſſio præcepti, quod ille non tranſgreditur.

Reſp. talis quidem non peccabit contra legem humanam; v. g. de audiendo miſſam, ſi illam audiat ex vana gloria; peccabit tamen contra præceptum divinum naturale, quod prohibet vanam gloriam.

Petes, an modus charitatis cadat ſub præceptum divinæ legis.

Modus charitatis cadit ſub præceptū.

Reſp. quæſtionem dupliciter poſſe intelligi; & quidem primò ſic; an detur aliquod divinum præceptum quo obligemur ad modum amoris Dei ſuper omnia dilecti; ad quam ſic intellectam.

Reſp. Affirm. ut patet ex Matth. 22. ubi dicitur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: ſiquidem per illa verba, *ex toto corde tuo*, manifeſtè à nobis exigitur certus modus Deum diligendi; nempe ille, quo dilectioni Dei nihil præponamus vel æquemus: qui modus tunc non habet rationem modi, ſed ſubſtantiæ ipſius præcepti.

Alio modo poteſt quæſtio ante dicta intelligi; an ut præceptum qualecumque impleatur neceſſe ſit opus fieri ex amore Dei ſuper omnia: ad quam ſic intellectam.

Reſp. neg. ſiquidem inde ſequeretur, quod ferè omnia opera hominis peccatoris exiſtentis in peccato mortali eſſent peccata, quod falſum eſt: quod ſi tamen quæſtio intelligatur, an opus præceptum debeat fieri ex amore Dei propter ſe dilecti, eſto non ſuper omnia.

Reſp. Affirmat. ſaltem ad hoc ne contrahatur nova culpa: nam quamvis ſine relatione in Deum adimplerentur præcepta ſecundum ſe, prout ſupra diximus, tamen contrahetur nova culpa, in quantum non adimpletur præceptum divinum naturale, quo obligamur omnia opera noſtra referre in Deum; ut fusè oſtendimus Tractatu primo, Dubio X.

DUBIUM XV.

Quiſnam poſſit diſpenſare in lege humana.

Quid diſpenſatio.

DIſpenſatio propriè eſt actus juriſdictionis, quo quiſpiam particularis eximitur ab obligatione legis, illâ reſpectu aliorum manente in ſuo vigore: poteſtas autem diſpenſandi eſt duplex; una ordinaria, altera delegata. Ordinaria eſt in legiſlatore, ejuſque ſucceſſore, vel ſuperiore. Dicitur ordinaria, quia competit illis ratione dignitatis vel officii. Poſterior eſt delegata, competens perſonæ ratione commiſſionis, non verò dignitatis vel officii. Poteſtas delegata ſubdividitur in eam quæ eſt à jure, & in eam quæ eſt ab homine; vel enim hæc conceditur à tota Eccleſia, & ſic eſt à jure; vel ab aliquo particulari ſuperiore, & ſic eſt ab homine. Porrò notandum; eam quæ eſt à jure, ſi in perpetuum concedatur, nec ſit annexa perſonæ, ſed officio, æquiparari poteſtati ordinariæ; ut patet ex capite, *quorum alias*, *De officio delegati*. Rurſum poteſtas delegata ab homine, datur vel per modum puræ commiſſionis, vel mandati in favorem tertiæ alicujus perſonæ, vel cauſæ, quæ exſpirat cum delegans moritur vel deponitur, re adhuc exiſtente integrâ necdum executioni mandatâ; ut habetur capite, *relatum*, *De officio delegati*; vel hæc datur per modum gratiæ in favorem ipſius delegati; quæ ſi abſolutè detur, non exſpirat morte concedentis; ut habetur capite, *ſi cui*, *de præbendis in ſexto*; Item ex regula juris; *conceſſum à principe beneficium decet eſſe manſurum*. His ſuppoſitis.

Poteſtas diſpenſandi alia eſt ordinaria, alia delegata.

Dico primo: legiſlator in ſua lege poteſt diſpenſare. Ratio eſt, quia qui poteſt tollere totam legem, poteſt illam tollere pro parte.

Succeſſor diſpenſat in lege ſui prædeceſſoris.

Secundò ſucceſſor legiſlatoris poteſt diſpenſare in lege ſui anteceſſoris; quia æqualem cum illo habet poteſtatem, & ita modernus Papa poteſt diſpenſare in legibus canonicis ab anteceſſoribus ejus latis; Item latis ab Apoſtolis, prout quoque à S. Petro, quippe cui non eſt poteſtate juriſdictionis inferior, ſed æqualis; ita quoque Epiſcopus poteſt diſpenſare in ſtatutis ſuorum prædeceſſorum, prout & in conſtitutionibus ſynodalibus; eò quod ejuſmodi conſtitutiones pendeant ab Epiſcopo; ſiquidem juriſdictio ſynodi non eſt alia à juriſdictione Epiſcopi; nam quicumque ſacerdotes ad ſynodum convenientes non habent poteſtatem quidpiam in ea decidendi, ſed tantummodò adſunt ut res quæ ibidem tractantur majori cum maturitate & prudentia decidantur.

Petes, an legiſlator poſſit ſecum diſpenſare; an verò diſpenſatio requirat diverſitatem perſonarum.

Reſp.

Digitized by Google

Legiſlator poteſt ſecum diſpenſare.

Reſp. Ad primum Affirm. idque vel directè per ſe ipſum, vel indirectè per alium. Probatur; quia ipſe non eſt deterioris conditionis quam ſubditi: quod autem ſecum poſſit indirectè diſpenſare patet, quia poteſt alteri committere ſuas vices v. g. dare poteſtatem Confeſſario ipſum abſolvendi à reſervatis: quod etiam directè poſſit, patet, quia etiamſi quis in ſe nequeat exercere actum juriſdictionis contentioſæ, eò quod iniquum foret in propria cauſa jus dicere contra jus ab alio intentum, tamen poteſt quis in ſeipſum exercere juriſdictionem voluntariam & gratioſam, & ita ſecum diſpenſare in juramento, voto, &c. nec hoc mirum, quia hoc ipſum quoque videmus in naturalibus, quod idem quandoque agat in ſe ipſum, quod patet in omnibus cauſis immanentibus.

Petes, an inferior poſſit diſpenſare in lege ſuperioris.

Inferior regulariter nô diſpenſat in lege ſuperioris.

Reſp. Regulariter negativè; quia inferior non habet juriſdictionem in ſuperiorem, & conſequenter nec in ejus legem. Dico regulariter eum non poſſe, quia in certis caſibus id poteſt, 1. quando delegatam habet poteſtatem à ſuperiore; 2. quando res eſt parvi momenti, eò quod nimis oneroſum foret in minimis ad ſuperiorem recurrere, ſitque veroſimile principem non velle ad ſe recurri pro rebus tam levibus, juxta commune dictum; *de minimis non curat Prætor*. Hinc infer Epiſcopum non poſſe ordinariè diſpenſare in lege Pontificia, prout nec in ſtatutis Concilii Provincialis, excepto caſu neceſſitatis: quod idem dicendum venit de Archiepiſcopo, ſi illorum diſpenſatio ſit reſervata; quod ſi verò non ſit reſervata, præſumitur Archiepiſcopo, item Epiſcopo data poteſtas diſpenſandi in ſtatutis Provincialibus, item Diœceſanis pro ſua reſpectivè Diœceſi: quod colligitur ex communi uſu.

Dixi, *regulariter*; quia in certis caſibus id poteſt; & quidem in lege Pontificia poteſt Epiſcopus primò, quotieſcumque in ipſa lege conceditur facultas diſpenſandi non expreſsâ perſonâ cui conceditur; cum enim verba debeant aliquid operari, nec ſuperfluè poni, & perſpicuum ſit poſſe Pontificem in ſuâ lege diſpenſare, dicendum eſt Epiſcopum tunc dictam facultatem diſpenſandi habere, ne verba alioqui videantur fruſtranea: ſecundò, dum habet expreſſam poteſtatem delegatam. Tertiò, dum viri prudentes & pii judicant hanc eſſe Pontificis intentionem, ut Epiſcopus in tali caſu particulari diſpenſet: poteſt autem colligi intentio Pontificis, ſi res ſit levis non obligans ſub mortali; ſiquidem non præſumitur Pontifex ſubditis imponere onus adeundi ſedem Apoſtolicam ob rem levem. Quartò, quando præcipiuntur illa quæ frequenter indigent

diſpen-

diſpenſatione; quo modo Epiſcopi diſpenſant in præceptis jejunii, diei feſti celebrandi, & ſimilibus; neque enim credibile eſt Pontificem ſibi velle reſervare diſpenſationem in illis quæ frequenter accidunt; eò quod diſpenſatio in ſimilibus expediat bono animarum. Quintò, in caſu neceſſitatis, ſi non pateat aditus ad ſedem Apoſtolicam vel ejus delegatum; & ſic Epiſcopus diſpenſat in impedimento dirimente matrimonium, bonâ fide ſaltem alterutrius conjugis in facie Eccleſiæ contractum, ſi illud ſit occultum. Ratio eſt, quia adeſt tacita Pontificis conceſſio, qui reſervationem ſuam non cenſetur velle cedere in deſtructionem animarum. Ita quoque Epiſcopus in caſu neceſſitatis poteſt abſolvere ſubditum ſuum à caſu ſummo Pontifici reſervato, ſi ille ſit occultus. Sextò, quando eſt dubium an caſus egeat diſpenſatione, nec ne. Ratio eſt, quia præſumptio ſtat pro libertate quæ eſt in poſſeſſione; unde infertur, quod caſus communiter non ſit reſervatus, niſi ſit certus.

Petes, an diſpenſatio conceſſa vel obtenta ſine juſta cauſa ſit licita.

Diſpenſatio cóceſſa ſine juſta cauſa eſt illicita.

Reſp. negativè: unde peccat, non ſolum ſuperior dum abſque juſta cauſa diſpenſat, ſed etiam ſubditus, qui illam ſine rationabili cauſa impetrat: quod peccet ſuperior, patet; quia ille non eſt fidelis & prudens diſpenſator bonorum Domini ſui, hæcque diſpenſatio arguit acceptionem perſonarum, & præbet aliis occaſionem querelæ & ſcandali.

Petes, contra quam virtutem peccet ſuperior ſic diſpenſans ſine cauſa.

Reſp. Contra juſtitiam legalem; quippe faciens contra bonum publicum, quod tenetur procurare; quin imo contra juſtitiam diſtributivam, ſi alii ex hac diſpenſatione cogantur ferre plus oneris.

Petes, quali peccato peccet ſubditus ſine juſta cauſa diſpenſationem petens.

Reſp. Peccato mortali ex genere ſuo; quia legiſlatorem inducit ad grave peccatum.

Petes, an delegatus validè & licitè diſpenſet in lege ſuperioris ſine juſta cauſa.

Reſp. negativè: quia ſuperior non præſumitur delegare poteſtatem diſpenſandi ſine ſufficienti cauſa, ne cogamur præſumere illum velle peccare. Hinc diſpenſatus à delegato ſine juſta cauſa non poteſt uti diſpenſatione; quippe cum ſit invalida. Ita quoque invalidè quis accipit diſpenſationem in voto vel juramento à Pontifice, ſi non habeat juſtam cauſam; cum enim illa jure naturæ & divino obligent, non eſt veroſimile Deum Eccleſiæ ſuæ communicaſſe poteſtatem diſpenſandi ſine cauſa in iis quæ ſunt juris divini vel naturalis.

Petes, an obtinens diſpenſationem,

nem, bonâ fide putans adeſſe ſufficientem cauſam, ſi poſtmodum deprehendat illam inſufficientem poſſit uti diſpenſatione.

Reſp. negarivè: quia bona fides concedentis diſpenſationem ſine juſta cauſa non reddit illam validam; prout nec bona fides petentis.

Petes, an diſpenſatio facta ab ipſo legiſlatore abſq; juſta cauſa ſit valida.

Diſpenſatio cō ceſſa ſine juſta cauſa eſt illicita.

Reſp. Affir. quia legis obligatio pendet à voluntate legiſlatoris; ergo pro libitu ſuo poteſt aliquem ab ea eximere, quamvis illicitè ſine cauſa; quia imprudenter utitur ſua poteſtate, ſine cauſa aliquem eximendo; cum membra ejuſdem communitatis vel reipublicæ debeant eſſe conformia: qui tamen utitur diſpenſatione à ſuperiore accepta ſine cauſa, non peccat contra legem; quia legis obligatio eſt ſublata; peccabit tamen peccato ſcandali, ſi ſuperiorem ad hoc induxerit.

Diſpenſatio quando que obtinetur ſubreptiriè, quando que obreptitiè. Quid ſubreptio. Quid obreptio.

Petes, an diſpenſatio ſubreptitiè, vel obreptitiè obtenta ſit valida. Nota pro intelligentia horum terminorum; per ſubreptionem, intelligi ſubticentiam vel taciturnitatem veri; per obreptionem verò intelligi narrationem falſi: ex quibus facilè intelligitur quid ſit diſpenſatio ſubreptitia, nempe quæ obtinetur per taciturnitatem veri; obreptitia verò, quæ obtinetur per narrationem falſi.

Reſcripta pōtificia alias ſūt gratiæ alia juſtitiæ. Quid reſcriptum gratiæ. Quid juſtitiæ.

Nota hic pro diſpenſationibus Apoſtolicis; reſcriptum Pontificium vel eſſe gratiæ, vel juſtitiæ. Reſcriptum gratiæ, eſt quod ad obtinenda beneficia, diſpenſationes, indulgentias, aliaſque gratias impetratur: reſcriptum verò juſtitiæ eſt illud, quod obtinetur ad litem in foro externo definiendam: ſi diſpenſatio obtineatur per reſcriptum gratiæ, illaque ſit ſubreptitia, erit invalida: ratio eſt, quia valor diſpenſationis pendet a voluntate ſuperioris, qui non intendit diſpenſare quando aliquid tacetur quod, ſi foret illi cognitum, ipſe non diſpenſaret: ſic ſubticentia qualitatis, quæ vel à jure, vel à ſtylo curiæ ſpecialiter requiritur exprimi, diſpenſationem per reſcriptum gratiæ obtentam invalidat, eſto ignoranter foret omiſſa: patet ex capite, *ad aures*, & capite *conſtitutus*, *de reſcriptis*: ſic taciturnitas beneficii ante obtenti, alterius impetrationem reddit ſubreptitiam. Ita quoque in Trid. Seſſ. 14. cap. 5. de reformatione, prohibetur diſpenſari ſuper impedimento matrimonii intra gradus prohibitos cum iis, qui ſcienter cum tali impedimento contraxerunt matrimonium: unde neceſſe eſt ad valorem diſpenſationis ſuper tali impedimento illam circumſtantiam aperire, videlicet quod voluntariè contraxerint ſcientes tale impedimentum: excipitur tamen caſus quo unus conjugium bonâ fide contraxiſſet, qui ob culpam nocentis non eſt privandus beneficio diſpenſationis; ſic quoque ſi concurrant duo impedimenta quæ ſe invicem augeant ad obtinendam diſpenſationem, v. g. impedi

pedimentum duplicis conſanguinitatis ex parte utriuſque parentis, vel etiam impedimentum conſanguinitatis & affinitatis, non valet diſpenſatio ſuper uno cum taciturnitate alterius: idem dicendum eſt ſi conſanguinitas; vel affinitas ex duplici capite ſit contracta; unde qui fornicatus eſt cum duabus ſororibus iſtius fœminæ cum qua vult inire matrimonium, debet duplicem impedimenti cauſam explicare: ſimiliter quando obtinetur diſpenſatio in gradu inæquali, requiritur ut propinquior explicetur, ex bulla Pii V, nempe quando gradus propinquior eſt primus in conſanguinitate, ut ſi filius, qui uno tantum gradu diſtat à patre, contracturus ſit matrimonium cum filia ſui fratris, diſpenſatio eſt invalida, niſi exprimatur gradus propinquior: pro ut declaravit Pius V. in extravagante quæ incipit, *attendens*: quin imo, quandoque non ſufficit explicare primum conſanguinitatis gradum, ſed inſuper dum contingit fœminam eſſe ſtipiti propinquiorem, ut v. g. dum nepos vult inire matrimonium, cum ſua amita vel matertera, hoc ipſum quoq; eſt explicandum: nam cum nepos jure naturæ debeat eſſe ſubjectus amitæ aut materteræ, illique præſtare reverentiam, perinde ac ſuperiori: & ſic ordo per matrimonium invertatur; quippe in quo vir fit ſuperior uxoris, niſi hæc major propinquitas fœminæ exprimatur, diſpenſatio erit ſubreptitia & nulla; eò quod hæc ordinis univerſio, diſpenſationem reddat difficiliorem.

In affinitate tamen, non eſt neceſſe explicare hanc majorem propinquitatem fœminæ cum ſtipite, ſed ſatis eſt inæqualitem gradus exprimere. Ut v. g. Petrus viduus vult inire matrimonium cum amita uxoris ſuæ defunctæ, ſatis erit in diſpenſatione exprimere ſe velle inire matrimonium cum conſanguinea uxoris ſuę defunctę in ſecundò gradu, abſque eo quod dicat ejus eſſe amitam; eò quod in affinitate non exhibeatur peculiaris reverentia fœminæ ſtipiti propinquiori, ficuti in conſanguinitate. Porrò quando duo inæqualiter diſtant in gradibus remotioribus non eſt neceſſariò facienda mentio gradus propinquioris, eò quod gradus remotior trahat ad ſe minus remotum: & ſic duo conſanguinei quorum unus quarto gradu diſtat à ſtipite; alter verò ſecundo, vel tertio, validam obtinent diſpenſationem, etiamſi tantum fecerint mentionem quarti gradus.

Petes, an in conſanguinitate vel affinitate, neceſſe ſit exprimere lineam, in qua eſt inęqualitas graduum

R. affir. eoquod matrimonium initum inter affines, inæqualiter diſtantes in linea recta, multò ſit abſurdius, quam in tranſverſa: & ita ſi quis vellet ducere conſanguineam uxoris ſuæ defunctæ in primo gradu debet exprimere in qua linea, recta an tranſverſa; ſic quoq; qui à principe petit reſcriptum legitimationis, debet in ſuo libello explicare

Digitized by Google

re anſit filius naturalis, an ſpurius: ſimiliter qui petit legitimationē, ut in bonis paternis poſſit ſuccedere, debet in libello explicare an pater habeat filios legitimos, in quorum præjudicium legitimatio eſſet ceſſura: ſic quoq; qui petit à Papa diſpenſationē ſuper voto caſtitatis, habens ſimul votum religionis, debet utrumque explicare: & eadem eſt ratio, ſi quis petat deſpenſationem contrahendi matrimonium in gradu prohibito, qui voto caſtitatis eſt obſtrictus; excipe tamen, niſi alterum impedimentum ſit occultum quod proinde in litteris papalibus reformidat exprimere: tunc enim poteſt petere diſpenſationem ſuper uno impedimento quod eſt notorium, & aliam diſpenſationem petere in pœnitentiaria Apoſtolica ſuper impedimento occulto; v. g. ſuper affinitate contracta ex occulta fornicatione cum ſorore ejus, cum qua vult contrahere; explicando ſimul Pontificem diſpenſaſſe, vel diſpenſaturum eſſe ſuper impedimento conſanguinitatis.

Petes; quotupliciter contingat aliquam diſpenſationem eſſe ſubreptitiam.

Quotupliciter contingat diſpenſationem eſſe ſubreptitiā.

Reſp. dupliciter; 1. per taciturnitatem qualitatis, cujus expreſſionem jura vel ſtylus curiæ requirunt. 2. Cum in ejus poſtulatione tacetur aliquid per ſe & intrinſecè pertinens ad rem poſtulatam, ſuper quo Princeps, intellectâ veritate, non eſſet diſpenſaturus, vel ſaltem non eodem modo, ſed cum adjuncta conditione, vel impoſito certo onere: ut patet in exemplis ſupra poſitis.

Petes; quid ſi circumſtantia, vel qualitas quæ tacetur extrinſecè ſe tantum habeat ad rem poſtulatam; quâ cognitâ, ſuperior non diſpenſaſſet; an diſpenſatio ſit ſubreptitia: v. g. poſtulat quis ab Epiſcopo beneficium, & impetrat diſſimulato occulto crimine adulterii quod commiſit; quod ſi ſciret Epiſcopus, beneficium non concederet: ſimiliter pauper vitâ improbus petit eleëmoſynam à Petro, qui ſi ſciviſſet ejus improbitatem, illam non dediſſet; inſuper petit aliquis diſpenſationem voti, fingens ſe virum doctum, cum tamen non ſit; quæritur an ſubtinentia vel taciturnitas harum vel ſimilium qualitatum extrinſecarum invalident diſpenſationem datam.

Reſp. negativè; eò quod ſimiles qualitates tacitæ nihil faciant ad cauſam diſpenſationis. Et ita quoque eſt valida diſpenſatio obtenta ab aliquo, tacito nomine ſuæ perſonæ, ne cognoſcatur à diſpenſante; qui, ſi illum cognoviſſet, non diſpenſaſſet, v. g. ob odium, inimicitiam, vel invidiam: ratio eſt; quia nihil tacetur pertinens intrinſecè ad rem poſtulatam; ita quoque eſt valida diſpenſatio, quando tacetur qualitas perſonæ impertinens ad cauſam diſpenſationis: ut ſi taceatur quod perſona ſit ex tali vel tali progenie; ſic quoque valida

eſt diſpenſatio quando erratur in nomine perſonæ: eò quod error circa nomen non immutet intentionem diſpenſationis, modò conſtet de ipſa perſona cui conceditur; quod ſi verò erretur in diœceſi, ut ſi Petrus, cum quo diſpenſatur, dicatur eſſe Diœceſis Antuerpienſis, cum ſit Mechlinienſis, eſto aliqui dicant diſpenſationem non valere. tamen probabilius aliqui opinantur, Ordinarium petentis diſpenſationem poſſe cum eo diſpenſare: nam cum Ordinarius poſſit ſecundum omnes diſpenſare quando erratur in nomine petentis; idem quoque poterit is facere, quando erratur in nomine ipſius Ordinarii: tum quoque quia Pontifex intendit Ordinario ipſius petentis dare facultatē diſpenſandi.

Petes; quid ſi in libello ſupplici committatur error in gradu; ut ſi dicatur eſſe conſanguineus in quarto, & ſit in tertio gradu.

Reſp. diſpenſationem eſſe invalidam; eò quod non explicetur qualitas quam ſtylus curiæ requirit; ſecus dicendum, quando in diſpenſatione exprimitur tertius gradus loco quarti, eò quod is qui diſpenſat in toto, cenſeatur diſpenſare in parte; & qui in majori, cenſeatur diſpenſare in minori.

Petes; quid ſi in libello committatur error circa ſpeciem impedimenti, quamvis impedimentum quod exprimitur ſit majus: ut ſi dicatur contrahentes eſſe conſanguineos, cum tamen tantum ſint affines.

Reſp. diſpenſationem fore invalidam, obſtante ſtylo curiæ; prout quoque eſt illa, quæ obtinetur ad contrahendum cum affine vel conſanguineo, tacitâ copulâ inceſtuoſâ; eſto illa non fuerit habita ſub ſpe facilius obtinendi diſpenſationem; idque ex ſtylo curiæ, dummodo copula illa ſit publica, ſi enim illa ſit occulta, non eſt neceſſariò facienda mentio illius in diſpenſatione à Pontifice facienda in foro externo; ſed ſatis eſt quod illius diſpenſatio obtineatur à ſacra pœnitentiaria explicatâ ſimul conſanguinitate & affinitate in qua Summus Pontifex diſpenſavit, vel diſpenſabit: in conſanguinitate quoque, prout & in affinitate, & publica honeſtate ultrà diſtantiam graduum, neceſſe erit explicare lineam ad valorem diſpenſationis: v. g. ſi quis vellet ducere aviam vel proaviam, vel filiam ſponſæ ſuæ de futuro; eò quod ſit multò indecentius inire matrimonium cum conſanguinea vel affine in linea recta, quam collaterali.

Petes: an ſit valida diſpenſatio, quando tacetur veritas, vel exprimitur falſitas, ſed gratia conceditur à Pontifice cum clauſula, *motu proprio*.

Reſp. cum diſtinctione: vel enim diſpenſatio conceditur ad inſtantiam & preces petentis, & tunc gratia conceſſa eſt nulla ſi taceatur veritas, vel exprimatur falſitas, qua cognitâ, gratia non fuiſſet conceſſa; quia tunc deeſt intentio & voluntas in concedente, & motus

Digitized by Google

proprius non ſupplet defectum intentionis; quia in ſimilibus bullis ſeu reſcriptis ſemper intelligitur clauſula, *ſi preces veritate nitantur*: quod ſi verò gratia concedatur ex mera concedentis liberalitate ſine prævia petitione, tunc valida erit gratia ſic conceſſa; quia Princeps tunc illam concedit ex mera liberalitate, non verò ex cauſa ſibi falsò narrata; vel ex veritate tacita: & ita decernitur capite, *ſi motu proprio, de præbendis*, *in ſexto*.

Quid diſpenſatio ob reptitia.

Dico ſecundò: obreptitia diſpenſatio eſt, quæ per falſi narrationem eſt obtenta; hæc autem vitiat diſpenſationem, ſi illa Principi fuerit cauſa finalis diſpenſandi; ſecùs verò ſi tantum fuerit cauſa impulſiva. Cauſa finalis vocatur illa, ob quam Princeps vult concedere diſpenſationem; & quâ non exiſtente non vult illam concedere; adeoque talis cauſa reſolvitur in conditionem ſine qua non, quæ ordinariè in reſcripto Apoſtolico exprimitur hâc clauſulâ, *ſi preces veritate nitantur*. Cauſa verò impulſiva vocatur illa, quæ quidem non movet Principem ad abſolutè diſpenſandum, ſed tantum ad facilius diſpenſandum; eapropter dolus, ſeu expreſſio falſi, ſi tantum ſit cauſa impulſiva, non reſolvitur in conditionem ſine qua non; & eapropter non cenſetur comprehendi illâ clauſulâ, *Si preces veritate nitantur*; utpote quæ intelligi debeat de veritate principali, propter quam, vel ſine quâ princeps non diſpenſaſſet: neque

Et an obreptio ſemper vitiet diſpenſationem.

obſtat, quod ſi Princeps fraudem poſtulantis diſpenſationem cognitam habuiſſet, forte gratiam denegaſſet; quia cum eo bene ſtat quod efficaciter conſenſerit in diſpenſationem: unde ſicuti donatio eleëmoſynæ procedens à cauſa falſa impulſiva, eſt valida, ita quoque talis diſpenſatio. Hinc infer.

Si in ordine ad obtinendam diſpenſationem ſuper uno impedimento dirimente unica exprimatur cauſa, eaque falſa; diſpenſationem fore obreptitiam: quando vero in reſcripto plures enarrantur cauſæ copulativæ, quarum aliquæ ſunt veræ, & aliquæ falſæ, tunc ſpectanda venit cauſa, quâ, tamquam finali, nititur reſcriptio; quâ exiſtente verâ, non obſtat ceterarum falſitas; ratio eſt; quia cum plura copulativè enumerantur, quæ de jure non ſunt neceſſaria, reſolvitur illa copulativa in disjunctivam; prout traditur in capite *jam dudum de præbendis*: porro ad veritatem disjunctivæ ſufficit veritas unius partis: hinc collige; ſi Papa diſpenſet cum conſanguineis, allegatâ ſolâ copulâ pro cauſa, illâ non ſubſiſtente, invalidam fore diſpenſationem: ſimiliter quoq; ſi diſpenſatio concedatur ob duplicem cauſam, quarum neutra eſt ſufficiens ad diſpenſandum, ſed utraque ſimul, diſpenſatio erit invalida, ſi una ſit falſa.

Petes; quid ſi ergo petatur diſpenſatio contrahendi cum conſan-

guineo, & pro cauſa diſpenſandi allegentur hæc; 1. copula habita, 2. periculum infamiæ, 3. periculum ſcandali; prima verò ſit falſa, ſecunda, & tertia vera.

Reſp. talem diſpenſationem fore validam; ratio eſt, quia copula habita non poteſt Principem permovere ad diſpenſandum; quin imo reddit diſpenſationem difficiliorem; ac proinde illis ordinariè injungitur pœnitentia pecuniaria: ſed periculum ſcandali & infamia, inde ſecuta, & quod mulier eapropter manebit innupta, præbent juſtam cauſam diſpenſandi.

Petes; quomodò talis diſpenſatio valeat unâ causâ exiſtente falsâ, cum narratis plurimis cauſis in reſcriptis Apoſtolicis ad Officialem, adjici ſoleat hæc clauſula, *ſuper his te deligenter informes, & ſi repereris quod preces veritate nitantur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, diſpenſa*. In quibus verbis nomen illud, *preces*, venit ponderandum; quod, cum ſit pluralis numeri, comprehendit omnia narrata; unde ſi vel unum ſit falſum, nequeunt preces illæ dici veræ.

Reſp. Clauſulam illam intelligi quoad cauſas ſubſtantiales, quæ nimirum inducunt Principem ad diſpenſandum.

Petes; an obreptio per expreſſionem falſi in una parte reſcripti, vitiet totum reſcriptum.

Reſp. negativè: ſed tantum illam partem in qua eſt obreptio; quia ſic habet axioma juris *utile non debet per inutile vitiari*: quod tamen venit intelligendum, quando partes ſunt ſeparabiles quoad valorem; ſi enim ſint ſeparabiles, ſed poſterior habeat ſe ut acceſſoria reſpectu prioris, tunc reſcriptum corruit quo ad omnes partes, ſi obreptio contingat in principali: eo quod acceſſorium corruat deſtructo principali: eapropter qui in uno & eodem reſcripto petit diſpenſationem à voto caſtitatis, & voto ad D. Virginem Lauretanam, narratâ falsâ causâ pro voto caſtitatis, ſed vera pro peregrinatione poteſt uti diſpenſatione datâ ſuper voto peregrinationis, non tamen datâ ſuper voto caſtitatis.

Petes; an ceſſante cauſa ob quam diſpenſatio eſt conceſſa, ceſſet diſpenſatio.

Reſp. Si ante executionem obtentę diſpenſationis ceſſet cauſa, ceſſat etiam diſpenſatio; ſecus verò ſi ſit executioni mandata: ratio prioris eſt ſumenda ex intentione Principis, qui non præſumitur illam aliter concedere: ratio poſterioris eſt, quia effectus ſecundum ſe totum conſummatus non ceſſat ceſſante causâ, quippe à qua non amplius pendet nec in fieri, nec in conſervari: Hinc ſi ad matrimonium contrahendum ſit data diſpenſatio, illudque ſit contractum poſt illam obtentam, non ceſſat illud ceſſante causâ ob quam diſpenſatio eſt conceſſa: quod verum eſt, ſicut diximus, ſi effectus ſecundum ſe totum ſit conſummatus quod ſi ille ſit diviſibilis, & nondum ſecundum ſe totum conſummatus ante diſpenſationem cauſę, ob quam

Digitized by Google

diſpenſatio fuerat conceſſa, ceſſabit diſpenſatio quo ad illam partem, quæ necdum eſt executioni mandata; quia eadem eſt ratio partis ad partem, quæ eſt totius ad totum; ſic v. g. ceſſat diſpenſatio comedendi carnes pro media parte quadrageſimæ illi, qui pro tota quadrageſima illam obtinuit, ſi cauſa, propter quã illa eſt conceſſa v. g. infirmitas, ceſſet ante medium quadrageſimæ.

Petes; an exſpiret diſpenſatio exſpirante diſpenſante.

Nõ exſpirat diſpenſatio, exſpirãte diſpẽſante. Reſp. negativè: quia ſecundum commune axioma; *gratia non exſpirat morte concedentis.*

Petes: an diſpenſatio exſpiret, ſi revocetur antequam executioni mandetur.

Reſp. Affir. Cum enim efficaciam ſuam habeat à voluntate legiſlatoris quamdiu eſt in fieri, dicta voluntate revocatâ ceſſabit diſpenſatio: eò quod ceſſante cauſa ceſſet effectus.

QUÆSTIO VI.
De Conſuetudine.

Quid conſuetudo. Conſuetudo alia eſt juris, alia facti: hæc non eſt aliud quam actus ejuſdem ſpeciei ſæpius repetitus à majori parte communitatis. Conſuetudo juris; eſt jus non ſcriptum, moribus comprobatum, quod pro lege ſuſcipitur; dico, *jus non ſcriptum*; quia licet poſtmodum ſcribatur, ab initio tamen introducitur ſine ſcriptura per mores civium.

Conſuetudo facti eſt triplex; una contra legem, altera præter legem, tertia ſecundum legem. Conſuetudo contra legem conſiſtit in frequentatis actibus contra legem, habetque vim abrogandi & tollendi legem. Conſuetudo præter legem conſiſtit in actibus qui nulla lege prohibentur. Conſuetudo ſecundum legem eſt illa, quę interpretatur legem quomodo, & quando obliget.

Petes; an conſuetudo poſſit quandoque tollere totam legem.

Illa quãdoque tollit totã legem. Reſp. Affirm. ſicuti enim lex poſterior poteſt tollere priorem, ita conſuetudo legitimè introducta poteſt tollere legem priorem; eò quod illa habeat vim legis.

Petes; quæ conditiones requirantur ut conſuetudo tollat legem.

Recenſentur conditiones ad hoc requiſitæ. Reſp. primò; illa debet eſſe juſta & rationabilis, qualis cenſetur ſi bono communi ſit utilis, & ex altera parte non contrarietur legi divinæ vel naturali: quod addo, quia poteſt eſſe rationabilis, eſto contrarietur legi humanæ; ſicuti enim opiniones contrarię quandoque ſunt æquè probabiles ob diverſas rationes quibus innituntur; ſic quoque poſſunt eſſe rationes, ob quas juſtum & rationabile ſit legem ſervare: & poſſunt etiam eſſe aliæ rationes non minus bonæ, ob quas rationabiliter judicetur conſuetudinem debere ſervari: conſuetudo tamen quâ Clerici incumbunt venationibus, tripudiis, vel potationibus, numquam poteſt eſſe rationabilis; quia continet indecentiam; adeoq; numquam poteſt tollere legem oppoſitam.

Secundò; ut introducatur per-

Digitized by Google

actus voluntarios & manifeſtos; cum enim habeat vim obligandi, obligatio illius imponi debet per actus voluntatis & cum ſit introducenda de conſenſu Principis, ſaltem tacito, non præſumitur ille nequidem tacitè conſentire, niſi illa poſſit illi innoteſcere.

Tertiò; ut id, quod per conſuetudinem introducitur, obſervetur tamquam præceptum; alioquin enim conſuetudo non obligabit ſub peccato: hinc id quod frequenter fit ex devotione, conſilio, vel gratitudine, non inducit obligationem: ratio eſt, quia ſicuti lex vim habet ex intentione legiſlatoris volentis obligare, ita & conſuetudo vim habet ex intentione illorum qui conſuetudinem introducunt.

Quartò requiritur conſenſus Principis: ratio eſt, quia ejuſdem poteſtatis eſt condere legem, & conſuetudinem velle habere vim legis; ſed lex tam civilis, quam eccleſiaſtica requirit conſenſum Principis; ergo & conſuetudo, ſaltem conſenſum tacitum: prout contingit quando ſcit conſuetudinem introduci, & diſſimulat; vel quando communi lege ſtatuit, ut omnis conſuetudo legitimè introducta ſit valida; nam hoc modo etiam approbat conſuetudinem ſibi ignotam, vel ſine ſua ſcientia introductam: prout colligitur *ex capite finali, de conſuetudine* ubi Pontifex decernit conſuetudinem vim legis habere, quando eſt rationabilis, & legitimè præſcripta.

Petes, quid ſi dubitetur an conſuetudo ſit introducta ex devotione, an verò ex intentione obligandi.

Reſp. tunc præſumitur introducta ex devotione; quia nemo præſumitur ſibi voluiſſe onus imponere, niſi conſtet de ipſius voluntate.

Quintò requiritur, ut conſuetudo ſit univerſalis, id eſt, ut major ſaltem pars communitatis perfectæ illam introducat, vel ſaltem populus frequentiam ſimilium actuum toleret, vel videat.

Petes, an conſuetudo poſſit tollere legem ita clauſulatam, *non obſtante ulla conſuetudine, etiam immemoriali.*

Reſp. Affirm. ſiquidem illa clauſula intelligitur de illa conſuetudine quæ fuit ante illam legem.

Petes, quid ſi addatur hæc clauſula; *nullâ conſuetudine in contrarium ullis umquam temporibus valiturâ.*

Reſp. conſuetudinem equidem adhuc poſſe tollere talem legem ita clauſulatam; ſiquidem hæc clauſula intelligitur, durantibus circumſtantiis cum quibus conſuetudo non videtur rationabilis, quibus mutatis, & ſub aliis, quibus conſuetudo fit rationabilis, poterit illam legem anteriorem tollere: & ſic conſuetudine quædam feſta, item jejunia ſunt abrogata; prout multa circa ritus Sacramentorum ſunt mutata.

Petes, quantum temporis requiratur ut conſuetudo tollat legem. Quantũ tẽporis requiratur ut conſuetudo tollat legem.

Reſp. ſub disjunctione; vel illa viget ſciente & diſſimulante Principe, vel illo prorſus ignorante: ſi illa vigeat priori modo, verius eſt non requiri certum tempus; ſed tunc ſufficit,

ſufficit, quod paſſim agatur contra legem, ſciente, & non contradicente Principe; qui eo ipſo cenſetur conſentire in ſublationem legis, ne reſpublica perturbetur. Poſteriori modo, ut conſuetudo tollat legem civilem ex communi ſententia requiruntur decem anni; quod ſpatium, eſto aliqui dicant etiam ſufficere ad tollendam hoc modo legem Eccleſiaſticam, pro praxi tamen tutius eſt requirere quadraginta annos; eò quod contra Eccleſiam non currat præſcriptio, niſi 40. annorum.

Petes, an ad tollendam legem per conſuetudinem requiratur bona fides.

Reſp. negat. ſi lex tollatur per conſuetudinem ſciente & diſſimulante Principe: Affirm. verò reſpondeo, ſi tollatur Principe ignorante; ſicuti enim in aliis rebus ſine bona fide non currit præſcriptio, ſic nec contra legem; eò quod ſine bona fide conſuetudo non poſſit eſſe bona & rationabilis; quæ, quamvis ordinariè incipiat cum peccato, tamen poſt legitimam introductionem poteſt eſſe juſta.

Petes, an ergo introducentes conſuetudinem contra legem, non peccent.

Reſp. inchoantes quidem poſſe peccare, à quibus eapropter non inchoatur præſcriptio, ſed à ſucceſſoribus: qui, videntes legem ab anteceſſoribus ſuis non obſervatam, bonâ fide exiſtimare poſſunt, & præſumere, illos habuiſſe juſtam cauſam non ſervandæ legis.

Petes; an nullæ poſſint dari humanæ leges, præſertim Eccleſiaſticæ, quæ nullâ contrariâ conſuetudine tolli poſſunt.

Reſp. negat. nempè exiſtente juſtâ & rationabili conſuetudine: hinc licet decens ſit, ut in Sacramentorum adminiſtratione, item officii divini decantatione, univerſalis eccleſiæ ritus, & canones obſerventur, tamen culpandi non ſunt, qui alicui conſuetudini antiquæ, & ab eccleſia non reprobatæ ſe conformant; prout faciunt græci, item diverſi religioſi, qui non utuntur Breviario Romano.

Petes; an conſuetudo poſſit introduci per non uſum; & conſequenter, an lex poſſit abrogari per non uſum.

Reſp. Affirm. ſi nempè ille non uſus contineat implicitum actum contra legem ſpatio temporis lege definiti; ſecus verò ſi ille non uſus non contineat implicitum actum contra legem; nam conſuetudo oritur ex frequentia actuum majoris partis communitatis contra legem: ubi ergo non interveniunt ulli actus contra legem, non fit conſuetudo: hinc infer legem de ſuſpendendis furibus non abrogari, ſi fortè contingat ſpatio centum annorum nullum furem ſuſpendi: conſuetudo tamen Clericorum non ferendi tonſuram tempore ad præſcriptionem ſufficienti, poſſet tollere legem geſtandi tonſuram.

Lex quãdoque poteſt tolli per nõ uſũ ipſius legis.

Petes; quomodo conſuetudo inchoata,

choata & necdum tempore lege definito conſummata, interrumpatur.

Quomodo conſuetudo interrumpatur.

Reſp. per hoc, ſi legiſlator, antequam tempus effluxerit, tranſgreſſores legis puniat, vel contra conſuetudinem ſententiam ferat; ſiquidem conſuetudo quæ eſt contra legem, interrumpitur uno actu contrario; adeoque de novo debet inchoari.

Petes; an ſicuti conſuetudo poteſt tollere legem, ita lex conſuetudinem.

Lex poteſt tollere cõſuetudinem.

Reſp. Affirm. quia lex non eſt minoris efficaciꝗ quam conſuetudo; nec hęc ſuperiori aufert poteſtatem condendi legem. Hinc collige per legem contrariam univerſalem abrogari conſuetudinem antecedentem, quamvis lex lata ſit ſine clauſula derogatoria; nam ſicuti lex poſterior tollere poteſt anteriorem, ita quoque lex conſuetudinem antecedentem.

Non abrogā-tur cõſuetudines, nec ſtatuta particularia, niſi eorum in lege fiat expreſſa mentio.

Nota tamen, per legem univerſalem non abrogari conſuetudines, nec ſtatuta ſpecialia alterius particularis diœceſis; niſi eorum fiat in lege expreſſa mentio, vel niſi ſaltem in genere expreſsè revocetur qualiſcumque contraria conſuetudo. ſtatutum, vel privilegium: ratio eſt, quia princeps cenſetur ignorare conſuetudines particulares. item ſtatuta ſpecialia; & conſequenter non cenſetur illa velle abrogare, niſi eorum expreſſam faciat mentionem: nihilominus tamen per legem parti-

Per legem tamẽ particularem Epiſcopi abrogatur cõtraria conſuetudo; eſto illius nõ fiat mẽtio.

cularem Epiſcopi abrogatur contraria conſuetudo particularis; eſto illius non fiat mentio: ratio diverſitatis eſt, quod Epiſcopus non cenſeatur ignorare particulares conſuetudines in ſua diœceſi receptas; prout bene Princeps univerſalis, qualis eſt Pontifex, cenſetur ignorare particulares conſuetudines alicujus eccleſiæ.

Cõſuetudo nõ habet vim tollẽdi legem naturalem aut divinã.

Itaque conſuetudo vim habet tollendi legem, tam civilem, quam Eccleſiaſticam; non tamen naturalem vel divinam; inſuper interpretandi omnem legem humanam; idque tam interpretatione ſimplici, quam per Epykiam; hinc dicitur quod conſuetudo ſit optima legum interpres. Legem verò divinam, item naturalem, eſto ſimpliciter poſſit interpretari, non tamen per epykiam.

Interpretatur tamẽ legẽ humanam.

DE PRIVILEGIIS

QUÆSTIO VII.

Quid, & quotuplex ſit Privilegium?

Quid Privilegium. Diſtinguitur à diſpenſatione.

PRivilegium propriè, eſt jus privatum contra legem conceſſum: ſeu communius, ſpecialis aliqua gratia alicui conceſſa. Diſtinguitur à diſpenſatione quia hæc eſt aliquid tranſiens; hoc verò aliquid permanens.

Ejus diviſio.

Privilegium aliud eſt reale, aliud perſonale, aliud mixtum Reale eſt, quod directè conceditur alicui rei,

Digitized by Google

ut v.g. alicui loco, dignitati, vel officio, vel muneri alicujus perſonæ: nam quamvis privilegium ultimatè dirigatur in gratiam hominis, nihilominus tamen propriè cedit in rem diſtinctam à perſona ipſius hominis, & hoc eſt reale. Perſonale eſt, quod immediatè conceditur perſonæ ratione ſui. Quę diſtinctio diligenter venit notanda propter effectus qui ex ea colliguntur; nam ſi privilegium ſit reale, & res, cui annexum eſt, tranſeat ad alium Dominum, ad eundem quoq; tranſibit privilegium; perſonale verò exſtinguitur cum perſona cui datum eſt.

Petes, quale privilegium ſit cenſendum in dubio; reale, an perſonale.

In dubio privilegiũ cẽſetur reale.

Reſp. reale: ratio eſt, quia beneficium Principis latè venit explicandum: quod ſi tamen illud præjudicaret alicui tertio, tunc in dubio explicandum eſt tamquam perſonale; quippe quod ſit odioſum; odia autem ſunt reſtringenda.

Privilegiũ cõceſſum Archiepiſcopo Mechlinenſi non expreſſo ipſius nomine eſt reale adeoq; trãſit ad ſucceſſorem.

Petes, quale eſſet privilegium conceſſum Arciepiſcopo Mechlinienſi, tacito ipſius proprio nomine.

Reſp. reale: adeoque illud tranſiret ad ſucceſſorem; nam tunc cenſetur collatum dignitati perſonæ, non autem ipſi perſonæ: quod ſi verò exprimatur nomen proprium ipſius Archiepiſcopi, cenſebitur illud perſonale.

Petes, an ſit aliud privilegium quod conceditur pro foro interno, & aliud quod conceditur pro foro externo.

Aliud eſt privilegiũ quod datur pro foro interno, aliud quod pro externo.

Reſp. Affir. nam conceſſum pro foro interno, non operatur pro foro externo: quod verò datur pro foro externo, valet quoque pro foro interno; quia particula, *pro foro externo*, non apponitur ad excludendum forum internum, ſed ut inſinuetur privilegium illud non tantum ſuffragari foro interno, ſed quoque foro externo: niſi aliud pateat ex circumſtantiis.

Petes, an privilegiatus poſſit privilegio ſuo perſonali utroque uti, etiam extra territorium concedentis.

Privilegi perſonali poteſt quis uti extra territoriũ concedẽtis.

Reſp. regulariter loquendo. Affir. ratio eſt, quia privilegium perſonale afficit perſonam; adeoque illam comitatur quocumque pergit. Dixi, *regulariter loquendo*: nam per accidens, ratione ſcandali, vel alterius circumſtantiæ fieri poterit, quod privilegiatus privilegio ſuo uti nequeat extra territorium ipſius concedentis: ex quo ſequitur, quod is qui obtinuit à Papa facultatem legendi libros prohibitos poſſit eos legere ubique locorum: non ſic tamen qui obtinuit facultatem veſcendi carnibus vel ovis in quadrageſima ob inopiam piſcium in ſua diœceſi illo poteſt uti in alia diœceſi, ubi eſt copia piſcium.

Petes, quomodo privilegia ſint interpretanda, quando verba privilegii non ſunt clara, ſed dubia; ita ut non conſtet de mente concedentis.

Quomodo

Reſp. duplex eſſe privilegium, unum videlicet favorabile illud videlicet

privilegia ſint interpretanda.

delicet quod nulli præjudicium adfert: aliud verò odioſum, quod licet privilegiato ſit favorabile, tendit tamen in præjudicium alicujus tertii. Privilegium favorabile latè venit explicandum, quantum patitur naturalis & civilis verborum proprietas: quod patet ex regula juris in ſexto; *odia reſtringi, favores convenit ampliari*: naturalem ſignificationem voco illam, quæ ſervari ſolet in illo foro, in quo conceditur privilegium: ita privilegium conceſſum Epiſcopo diſpenſandi in tertio gradu conſanguinitatis, extenditur ad quartum; eò quod gradus propinquior contineat remotiorem. Privilegium odioſum, regulariter loquendo, ſtrictè eſt explicandum; hinc ſi illegitimus acceperit diſpenſationem ad ordines in genere, illud intelligi debet de ordinibus minoribus, non verò de majoribus; eò quod ejuſmodi diſpenſatio præjudicet juri communi: ita quoque privilegium diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis, non extenditur ad gradus affinitatis.

Privilegiũ cōceſſum Epiſcopo diſpenſandi in tertio gradu conſanguinitatis, extenditur ad quartũ.

Petes; quibus modis privilegia perdantur vel amittantur; & primò an amittantur morte concedentis.

Quibus modis privilegia amittantur.

Reſp. gratias, quæ in privilegio continentur, ſpectari poſſe vel tamquam factas vel tamquam faciendas: tunc autem dicuntur factæ, quando alicui immediatè conceduntur, tunc autem dicuntur faciendæ, quando non immediatè conceduntur illi, in cujus favorem conceduntur, ſed mandatur alteri ut privilegium ei conferat; veluti cum Pontifex mandat Officiali Mechlinienſi, expreſſo proprio ipſius nomine, ut cum Joanne diſpenſet. Privilegium continens gratiam factam non exſpirat morte concedentis; eò quod ſit quædam ſpecies donationis, quæ non exſtinguitur morte concedentis: privilegium verò, continens gratiam faciendam, exſpirat morte concedentis, quando res adhuc eſt integra: ratio eſt quia tale privilegium habet ſe adinſtar mandati, mandatum verò exſpirat morte mandantis, cum res adhuc eſt integra: & ita quando Summus Pontifex mandat Epiſcopo, ut Petro beneficium conferat, mandatum perit exſpirante Summo Pontifice. Secundò exſpirat privilegium morte privilegiati, ſi ſit merè perſonale: patet ex regula ſeptima juris *in ſexto*; *privilegium perſonale perſonam ſequitur & exſtinguitur cum perſona*: dixi, *merè perſonale*; quia privilegia mixtè perſonalia, id eſt, quæ conceduntur certis perſonarum generibus; v.g. Ordini alicui regulari, Univerſitati, &c. non exſtinguuntur cum perſonis ſingularibus, ſed tranſeunt ad ſucceſſores: privilegia verò purè realia, id eſt, quę certis locis vel rebus ſunt affixa, tranſmittuntur ad heredes.

Petes; an privilegia amittantur per non uſum.

An amittantur per nō uſũ.

Reſp. Regulariter Affirm. ſi ſint alicui tertio oneroſa; idque ſive ſint affirmativa, id eſt, concedentia facul-

tatem

Digitized by Google

tatem aliquid faciendi, v. g. colligendi decimas: ſive ſint negativa, id eſt, eximentia aliquem ab aliquo onere; quale eſt privilegium non ſolvendi decimas; quæ amittuntur per non uſum viâ præſcriptionis tempore legibus definito: quod ſi verò privilegia ſint purè favorabilia, & nulli oneroſa, quale eſt commedendi carnes in quadrageſima, non amittuntur per non uſum; eò quod ſint meræ facultates.

Petes; an privilegium amittatur per abuſum.

Reſp. perſonam privilegio abutentem mereri ipſius amiſſionem, quod tamen non amittit ipſo facto; quia amiſſio privilegii eſt pœna, quæ non ſemper incurritur ipſo facto, eſto quoque in ipſo privilegio exprimeretur, *Ipſo facto*; quia non adeſt obligatio illo ſe privandi ante ſententiam declaratoriam abuſus ipſius privilegii. Nō tamē ſtatim per abuſum

Hic Lector, te pauliſper recolligendo, dic

Domine Deus Omnipotens, qui dum omnibus creaturis omnia quæ ſibi agenda ſunt immutabili lege præſcribis, hominem, illarum principem, quem de limo terræ plasmaſti, duplici lege ligaſti, naturali ſcilicet, & ſupernaturali, ut diſteret non tantum vivere ſecundum rationem, ſed & ut, per cuſtodiam mandatorum tuorum ſupernaturalium, te finem ſuum ultimum conſequeretur; eapropter hanc duplicem legem, non membranis, ſed hominum ſingulorum cordibus inſculpſiſti, ne eam emergens tentatio aut illecebra deleret: Hinc per Prophetam tuum Jeremiam dixiſti; dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam: *ad has cuſtodiendas auxilia nobis tam naturalia, quam ſupernaturalia impertiris, propoſitis quoque præmiis & intentatis pœnis ad eas ſervandas nos quotidie excitas: quibus non obſtantibus, quamplurimi peccatores, illas tranſgrediendo, bibunt ſicut aquam iniquitatem; circa quos tamen providentia tua in ſui diſpoſitione non fallitur; nam dum fugiunt legem tuam ſuaviter dirigentem, incidunt in legem tuam acriter punientem: eapropter quæcumque circa illos ordinaſti, infallibiliter eveniunt: decreviſti eorum tranſgreſſiones permittere fieri, & ita fit: diſpoſuiſti parcere aliquibus tranſgreſſoribus legis tuæ ad tempus, & ita fit: ſtatuiſti aliquos in tranſgreſſione mandatorum tuorum uſque ad finem vitæ ſuæ turpiter continuantes æternaliter punire, & ita fit. Profecto magna & inſcrutabilia ſunt hæc tua judicia Domine Deus: quæ dum conſidero, contremiſcunt omnia oſſa mea: verumtamen revela oculos meos ut conſiderem mirabilia de lege tua, & potentiſſimâ gratiâ tuâ dilata cor meum, ut non ob timorem pœnarum, aut ſpem præmiorum, ſed ex puro tui amore amodò alacriter curram viam mandatorum tuorum.* Amen.

Cap. 13

Digitized by Google

TRACTATUS XVIII.

De Gratia.

PROËMIUM.

QUi gemmas pretioſas vendunt, illarum valorem ante præcognoſcant oportet; ne alioqui errore decepti, maximi pretii margaritam pro re viliſſima commutent. Negotiatio hominis Chriſtiani, in gemmis conſiſtit; dicente Salvatore Matth, 13. *Simile eſt regnum Cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*: ad illarum proinde valorem neceſſe eſt ut accuratè cognoſcat, ne alioqui aurum cum luto, cælum cum gleba terræ ex errore commutet. Et quæ eſt iſta gemma pretioſa niſi gratia ex meritis Chriſti illi communicata à qua eſt, & denominatur Chriſtianus: quæ proinde eo loco ab ipſo debet haberi & æſtimari, ut ejus comparatione quæcumque terrena, tamquam pauxillum luti, aut ſtercoris cum Apoſtolo ad Phil. 3. debeat comparare; dicens. *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Porrò qui hanc ignorat, aut qualis, & quanta ſibi ſit collata neſcit, profectò quantas largitori ſuo Deo gratias debeat, non intelligit. Sola gratia diſcernit prædeſtinatos à reprobis, quos in unum congregat maſſa peccati originalis: ſola gratia invenit Matthæum Publicanum, & effecit Euangeliſtam; hæc invenit Paulum perſecutorem, & fecit Apoſtolum; Diſmam Latronem, & invexit in Paradiſum, hæc invenit Magdalenam meretricem, & virginibus coæquavit. Hæc pretioſiſſimum eſt balſamum, quo anima peccatis undique vulnerata, vanitatibus ebria, concupiſcentiis oppreſſa, innumeris denique languoribus pæne exhauſta, ſanatur & convaleſcit. Quæ, quoniam Propheticâ, Euangelicâ, Apoſtolicâ atteſtante doctrinâ, animam in

Digitized by Google

in qua ſubjectatur non velit habere ſuperbam, ſed humilem; ardentem, non deſidem; cooperari illam neceſſe eſt huic Chriſti gratiæ; ut illam excitantem, adjuvantem, operantem, & prævenientem quotidie vigilanter, inceſſanter, & ſobriè ſubſequatur; numquam ceſſans à gratiarum actione, nam ſi inter proſpera & adverſa hujus vitæ proficit, inde roboratur & nutritur; ſi ſtet, inde ſubſiſtit; ſi ex fragilitate labitur, inde reſurgit, prout in decurſu hujus Tractatus latius deducetur.

QUÆSTIO I.

De Natura & eſſentia Gratiæ: & ejus diviſione.

DUBIUM PRIMUM.

Quotupliciter accipiatur gratia.

Multiplex gratiæ acceptio.

MUltiplex eſt hujus vocabuli, gratiæ, acceptio apud Theologos: & quidem ſignanter quadruplex.

Prima acceptio vocis gratiæ.

Primò ſignificat favorem & benevolentiam, quâ Deus diligit hominem: quomodo frequenter uſurpatur à Scriptura S. ſic enim Gen. 6. dicitur; *Noë invenit gratiam coram Domino*: & Lucæ 1. *Inveniſti gratiam apud Deum*; id eſt, Deus ſingulariter te diligit. Hanc gratiam ſic acceptam, Scriptura S. quandoque Dei miſericordiam, Dei beneplacitum, & Dei voluntatem appellat; ut Pſalmo 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion.* Sic quoque Apoſtolus ad Philip. 2. ait; *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ad hunc quoque modum de gratia loquitur S. Auguſt. lib. de Gratia & libero Arbitrio cap. 6. dum ait; gratiam ſe interdum ſubſtrahere; quia ſcilicet Deus gratuitam ſuam operationem interdum ſubtrahit. Sic quoq; Conc. Arauſic. cap. 3. loquitur, dum ait „ gratiam „ Dei facere, ut Deus à nobis invo„ cetur ; „ id eſt Deum gratuitò in nobis operari hoc bonum, ut eum invocemus: gratia, hoc modo accepta, eſt ipſemet Deus, divinaque eſſentia, quæ alio nomine vocatur, gratia increata. Hanc ſolam & unicam gratię acceptionem agnoſcunt moderni noſtri hæretici, dicentes gratiam quâ juſtificamur, eſſe tantum extrinſecum Dei favorem & bonam voluntatem, ita ut hominem eſſe in Dei gratia, apud illos non ſit aliud, quam denominatio extrinſeca, per quam aliud non ſignificetur, quam quod Deus habeat amorem & dilectionem erga hominem. Quos eapropter Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 11. ferit anathemate quia certum eſt quod gratia, quâ juſtificamur, & aliæ quoque quas à Deo accipimus aliud important. Unde in ſecunda ſignificatione vox gratia,

Secũda.

Digitized by Google

gratia, quatenus ſcilicet in nobis eſt, ſignificat generaliter quodlibet gratuitum Dei beneficium, ſive ſit naturale, ſive ſupernaturale; cujuſmodi eſt abſolutè omne Dei donum; quia nihil eſt tale, quod non ſit indebitum: unde D.Thom. part. 1. quæſt. 21. art. 4. in omni opere, ſive naturali, ſive ſupernaturali rationem gratiæ agnoſcit ſimul & juſtitiæ, juxta illud Pſalm. 24. *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*. Quod namque Deus creaturam fecerit ex nihilo, gratia & beneficium ſingulare eſt; ſed tamen poſtquam abſolutè decrevit creare illam, quod creet juxta conditiones & qualitates cuique naturæ proprias, aliqualis juſtitia eſt. Hoc ſignificato gratiæ Pelagius potiſſimum uſus eſt, cum enim negaret omnem gratiam divinitus infuſam, dicebat naturam humanam, item liberum arbitrium gratiam eſſe; & quidem eò uſque benè, quia creatori noſtro gratias debemus quod nos crearit, dederitque omnia beneficia naturalia: & hanc gratiæ acceptionem approbat quoque S. Auguſtinus, qui tamen condemnat Pelagium, quod gratiam ſupernaturalem, gratiam, inquam, quâ Chriſtiani ſumus, negaverit: quam gratiam Chriſtus prædicabat, cum dicebat, Joan. 8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et Paulus ad Rom. 7. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

3. Vox gratia ſignificat quodlibet donum ſupernaturale ordinatum ad ſalutem, ſive illud conſiſtat in habitu, ſive in actu: & talis eſt gratia angelo in ſua creatione, & homini in ſtatu innocentiæ conceſſa; atque etiam illa, quæ ipſi poſt lapſum per Chriſtum datur, hoc eſt, intuitu meritorum Chriſti. Tertia.

4. Accipitur ſpecialiter pro gratia Chriſti; ſcilicet pro beneficio ſupernaturali; naturæ cui confertur indebito, collato ex Chriſti meritis: cujuſmodi eſt, quodcumque homini datur poſt lapſum Adæ. Hujus gratiæ frequentiſſimus eſt uſus in Scriptura Sacra, præſertim novi teſtamenti. Hoc modo accepta, dividitur in Gratiam gratis datam, & in Gratiam gratum facientem; prior ſic dicta, quod ad ſalutem & juſtificationem ejus, cui datur, non conducat, neque ſubjectum ſuum Deo amicum conſtituat; ſed tantum detur ad ſalutem aliorum, qualis eſt gratia ſanitatum, donum prophetiæ, diſcretio ſpirituum, donum linguarum, &c. Quomodo hæc accepta non venit propriè nomine gratiæ Chriſti intelligenda; eò quod non detur, ut illi, quibus datur, per eam Deo grati fiant; quamvis & ſic poſſit appellari, quatenus efficaciter ordinatur ad ſalutem aliorum, vel ad initium ſalutis ipſorum; eò quod gratia Chriſti non ſit ſaltem ſine aliquo initio veræ juſtificationis & ſalutis.

Quarta pro gratia Chriſti; Quid illa & quotuplex.

Quid gratia gratis data.

Gratia gratum faciens vocatur illa,

Digitized by Google

Quid gratia gratum faciens.

illa, quæ per ſe ad hoc ordinatur, ut ſubjectum ſuum conſtituat Deo gratum & amicum; qualis non eſt ſola gratia juſtificans, ſed & quæcumque aliæ gratiæ actuales, quæ ad hoc diriguntur, ſive proximè, ſive remotè, ut hominem Deo concilient, & ad perfectam ejus amicitiam diſponant; in quo genere ſunt fides, ſpes, imo quodcumque fidei, vel ſpei, vel bonæ voluntatis initium; item pœnitentia, remiſſio peccatorum, & alia quæcumque, quibus nos Deus gratificat in dilecto filio ſuo: neque enim Patres, agentes contra Pelagium, nomine gratiæ Chriſti præcisè intellexerunt gratiam juſtificantem, ſed & fidem, & reliqua ad ſalutem conducentia.

Notitia divinæ legis ut ſic non pertinet ad gratiam Chriſti.

Ex his patet, quod ne quidem magna divinæ legis notitia, vel myſteriorum pertineat ad gratiam Chriſti; quippe quæ à bona voluntate poſſit eſſe ſejuncta; adeoque poteſt conſiſtere, abſque initio bonæ voluntatis & juſtitiæ: ſin... quo non conſiſtit ea, quæ proprie vocatur gratia Chriſti: prout docet S. Aug. lib. de natura & gratia: cap. 42. docens eam non eſſe communem bonis & malis, ſed diſcernentem bonos à malis; bonitatis nomine etiam prima bonæ voluntatis initia comprehendens: ita ut per Chriſti gratiam homo velit, vel velle incipiat bonum: hinc quæcumque interiores illuminationes aut inſpirationes, ſi ipſis non conjungatur ipſum velle, vel bonæ voluntatis initium, removentur à gratia Chriſti: ut docet S. Auguſt. lib. citato. Hæc eſt Chriſti gratia, quam SS. Patres; præſertim S. Auguſtinus contra Pelagium, tantoperè defenderunt: de hac loquuntur Concilia, Milevitanum, Arauſic. Tridentinum; de hac loquuntur Pontifices, Innocentius I. Zoſimus, Celeſtinus.

Prout nec interiores illuminationes & inſpirationes ſi non habeat conjunctū initiū bonæ voluntatis.

Petes, an gratia gratis data poſſit eſſe ſine charitate.

Reſp. Affirm. quod patet ex Scriptura Matth. 7. Ubi legitur, quod Chriſtus dicturus ſit multis, qui in nomine ejus dæmonia ejecerunt, & miracula fecerunt; *non novi vos*: quod & dicturus eſt multis confeſſariis & paſtoribus, qui aliis Sacramenta adminiſtrarunt; nam poteſtas adminiſtrandi Sacramenta eſt gratia gratis data; ſicuti per ſuſceptionemem dignam Sacramentorum accipitur gratia gratum faciens.

In materia divinæ gratiæ vitandi ſūt duo errores; nempè Pelagianorū, & Calvinianorum.

Porro hic notandum; in materia divinæ gratiæ vitandos eſſe duos extremos errores; quorum prior eſt Pelagianorum, qui gratiæ Dei omnimodè injurioſi, omnia tribuunt libero arbitrio & operibus ſuis, dicentes Deo, Domine tu nos feciſti homines, nos verò fecimus nos ipſos juſtos & beatos. Poſterior eſt error Lutheri, Calvini, & eorum ſequacium, qui tantum tribuunt divinæ gratiæ, ut tollant liberum noſtrum arbitrium, dicentes, Deum operari noſtram juſti-

 tiam

Digitized by Google

tiam ſine nobis : Ex quo colligunt ſolâ fide opus eſſe ad Dei miſericordiam obtinendam; malè intelligentes illud Pauli ad Roman. 7. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Inter hos duos ſcopulos doctrina fidei Chriſtianæ tenet medium, neque auferens liberum arbitrium, neque illi tantum deferens ut aliquid poſſit ad ſalutem pertinens ſine adjutorio gratiæ Chriſti.

Inter quos duos ſcopulos doctrina Catholica tenet medium.

Ex his patet, gratiam generalíter ſumptam primò & principaliter divisi in increatam, & creatam. Creatam ſubdividi in internam & externam. Interna eſt, quæ animam interius afficit, ſive per modum tranſeuntis, ſive per modum permanentis. Subdividitur in habitualem & actualem. Gratia externa vocatur illa, quæ animam exterius tantum afficit; quales cenſentur omnes cauſæ, media, effectus, & objecta externa, per quæ anima excitatur ad res divinas cognoſcendas aut amandas; prout ſunt prædicatio divini verbi, pia colloquia, exempla Chriſti & Sanctorum, miracula, lectio librorum piorum, &c.

Alia eſt creata, alia increata, alia eſt interna, alia externa.

DUBIUM II.

Quid gratia habitualis.

Dari gratiam habitualem eſt fidei.

DAri aliquod habituale donum à Deo animæ infuſum, quod vocatur gratia habitualis, eſto Calvinus cum aliis hujus temporis hæreticis, quibus placet juſtitia imputativa, id mordicus neget, probatur hâc ratione: quia ſicuti res creatæ reſpectu finium ſuorum naturalium non tantum moventur immediatè à Deo ad actus ſuos naturales; ſed inſuper habent formas ſibi intrinſecas & inhærentes, quæ ſint actionum principia; ita ſimiliter creatura rationalis in ordine ad finem ſuum ſupernaturalem, non ſolùm movetur à Deo ad eliciendos actus ſupernaturales per actuale auxlium, ſed inſuper ab illo accipit aliquam formam ſibi inhærentem & permanentem, quæ ſit ipſum actionis principium.

Probatur primò.

Secundò probatur ex decreto Concilii Viennenſis, quod ſtatuit opinionem eo tempore probabiliorem, nempe homini in juſtificatione infundi ſupernaturalem quemdam habitum, ſimpliciter eſſe eligendam; videlicet non jam tamquam probabiliorem, ſed tamquam certam & à Concilio definitam: prout oſtendit Guido Carmelita, libro de hæreſibus.

Probatur ſecundò.

Tertiò probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. „ Ubi ait, quod formalis cauſa noſtræ juſtificationis „ ſit juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt; ſed quâ nos juſtos facit, „ quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ; & „ non modo reputamur, ſed verè „ juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes &c. „ Ex quo loco patet, hominem Deo gratum

Probatur tertiò.

Digitized by Google

gratum fieri, non per ſavorem mere extrinſecum Dei, ſed per gratiam illi inhærentem: propterea aſſerit idem Concilium hâc eâdem ſeſſione Can. 32. nos bonis operibus mereri augmentum gratiæ: proinde gratia debet eſſe aliquid permanens in nobis; eo quod forma tranſitoria non poſſit in ſe ipſa augeri; quamvis poſſit illi ſuccedere nova forma auctior; inſuper per ſuſceptionem Sacramentorum non tantum juſtificantur adulti, ſed etiam parvuli, & amentes, qui necdum poſſunt actualiter in Deum moveri; adeoque non recipiunt gratiam actualem deſtinatam ad opus; ergo accipiunt gratiam permanenter inhærentem.

Probatur quartò. Quartò probatur ex Scriptura, quæ manifeſtè inſinuat gratiam nobis infundi: ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, Cui quoque conſonat oratio Eccleſiæ, *gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde*; ſiquidem per infuſionem propriè ſignificatur collatio doni alicujus permanentis. Ex quibus omnibus patet, eſſe fide certum, dari gratiam quamdam habitualem, quæ permanenter animabus juſtis inhæret; quamvis non ſit de fide, quod dicta gratia ſit habitus proprie dictus. Unde Patres Concilii, tam Viennenſis, quam Tridentini, conſultò videntur abſtinuiſſe à nomine habitus; quamvis illam verum habitum eſſe ſit moraliter certum, nec ullatenus dubitandum: eſto enim non ſatis appareat parvulos baptiſatos, ubi adoleverint, per illum habitum inclinari ad opera virtutum, tamen revera per gratiam illis inhærentem fit, ut opera illa poſſint poſtmodum exercere.

Petes, quid ſit gratia habitualis.

Quid gratia habitualis. Reſp. eſt qualitas quædam ſupernaturalis, animæ, cui infunditur, permanenter inhærens, reddens ſubjectum ſuum formaliter Deo gratum.

Dividitur in primam, & ſecundam.

Prima eſt quæ creaturam rationalem, ex non juſta, facit formaliter juſtam. Secunda eſt, quæ creaturam rationalem juſtam, facit juſtiorem.

Cauſa principalis gratiæ eſt Deus. Utriuſque cauſa efficiens principalis eſt Deus: ſecundaria Sacramenta: meritoria Chriſtus: finalis eſt gloria Dei. Deſtruitur illa demeritoriè per quodlibet peccatum mortale.

Petes, an gratia habitualis ſit diſtincta à charitate.

Non eſt diſtincta à charitate; falſè realiter. Reſp. quæſtionem hanc eſſe inter Theologos multùm controverſam; & quidem illam realiter à charitate eſſe diſtinctam ſuſtinet S. Thomas: complures verò alii inſignes Theologi eam re & ratione eandem faciunt cum charitate.

Alii verò, quibus nos aſſentimur, dicunt hæc duo realiter

Digitized by Google

eſſe eadem, ſed tamen ratione diſtingui; quod enim non diſtinguantur realiter, inde patet; quod non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, quæ hic nulla eſt; quia quidquid tribuitur gratiæ in Scriptura S. idem in eadem tribuitur charitati; & quidquid poteſt præſtare habitus charitatis poteſt præſtare habitus gratiæ: veluti quod ſimus Deo grati, amici, quod opera noſtra ſint meritoria, &c. ergo debet eſſe idem habitus: neque SS. Patres uſquam leguntur gratiam habitualem à charitate diſtinxiſſe niſi ſolâ ratione, inſuper ad identitatem horum duorum id facit, quod Tridentini Patres, quamvis nihil deſuper voluerint definire, probabilius tamen videantur judicaſſe illam identitatem realem horum duorum, dum ſeſſ. 6. cap. 7. unicam eſſe docent cauſam formalem noſtræ juſtificationis, quam poſtea nominant charitatem Dei infuſam cordibus noſtris.

Porrò quod diſtinguantur ratione, patet ex uſu horum duorum vocabulorum apud SS. Patres; quando enim quis dicitur eſſe in gratia Dei, illam gratiam omnes intelligunt, quâ quis Deo eſt gratus & dilectus: cùm verò quis dicitur eſſe in charitate, eo nomine omnes intelligunt qualitatem aliquam ſupernaturalem, quâ quis Deum diligit; quas rationes conſtat formaliter eſſe diverſas.

DUBIUM III.

Quid ſit gratia Actualis.

Dari hanc gratiam actualem, diſtinctam ab habitibus virtutum infuſarum, Scriptura omnibus illis locis manifeſtè demonſtrat, quibus ait, nos actu moveri à Deo ſpecialiter ad opera bona; prout ait Joannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*, Probatur ratione; quia res aliæ creatæ, reſpectu finium ſuorum naturalium, non ſolùm acceperunt à Deo formas & perfectiones permanentes, quæ ſint operationum principia, quibus tendunt in tales fines, ſed etiam ab ipſo Deo ad tales operationes moventur; ergo ſimiliter creatura rationalis in ordine ad finem ſuum ſupernaturalem, non ſolùm habet à Deo virtutes habituales, tamquam principia operationum ſupernaturalium, ſed etiam moventur ab ipſo Deo ad tales operationes; quæ motio eſt ipſamet gratia actualis. Datur gratia actualis.

Porrò in quo particulariter hæc gratia actualis conſiſtat, variæ ſunt Theologorum ſententiæ Vaſquez eam conſtituit in ſancta & pia cogitatione, & in affectu voluntatis ad bonum orto ex illa cogitatione, antecedenter ad omnem actum deliberatum. Alii eam collocant, partim in illuſtrationibus, quibus voluntas internè à Deo movetur ad bonum, partim in elevatione intel- In quo illa cõſiſtat.

intellectus & voluntatis ad actus ſupernaturales, facta per Deum immediate ipſis unitum, ſine ullo dono creato intermedio; unitum, inquam, in ratione moventis & applicantis intellectum & voluntatem ad eliciendos tales actus. Alii verò ſic deſcribunt, quod ſit illuminatio & inſpiratio Spiritus S. dantis ſuavitatem ſeu dilectionem vel delectationem concupiſcentiæ victricem. Illuſtratio verò, vel illuminatio nihil eſt aliud, quam quædam à Deo immiſſa ac proinde ſupernaturalis cogitatio, quâ nobis repræſentantur v. g. peccati mortalis malitia, pœnæ æternæ damnatorum, Divina bonitas, cæleſtis gloria, & ſimilia: Inſpiratio verò, eſt motus ſupernaturalis voluntatis, quo à Deo voluntas movetur ad amandam v. g. caſtitatem, humilitatem, patientiam, aut ad concipiendum odium adverſus fœditatem peccati mortalis; luxuriam, ſuperbiam. Alii conſtituunt illuſtrationem & inſpirationem in excitatione motuum primo primorum ſive in intellectu, ſive in voluntate, quibus homo ſubito & indeliberate bonum incipit cogitare aut velle; quales, homines frequenter in ſe advertere poſſunt.

Clarius definitur gratia actualis, eſſe ſupernaturalem Dei motionem, ex meritis Chriſti nobis gratuitò collatam, in ordine ad ſalutem, per modum actus tranſeuntis.

Ex quo patet, hanc motionem diſtingui ab actu creato ſupernaturali, ad quem producendum datur tamquam principium illius effectivum, elevans ipſam potentiam ad talem actum ſupernaturalem producendum; nam ſicuti per gratiam habitualem liberum arbitrium elevatur, ut ſit potens in actu primo ad operationes ſupernaturales, ita per gratias actuales elevantur intellectus & voluntas in actu ſecundo, nempe ad actualiter producendos ſimiles actus ſupernaturales. Ex quo patet hanc gratiam actualem identificari auxilio divino ſpeciali, quo Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona ſua voluntate; ſiquidem per illam actualem gratiam, liberum arbitrium reducitur de potentia ad actum: eapropter ſicuti cauſa ſecunda naturalis nequit tranſire de potentia in actum ſine generali concurſu cauſæ primæ cum ea operantis eundem actum; ita nec cauſa ſecunda poteſt tranſire de potentia in actum ſupernaturalem ſine auxilio ſpeciali, ſeu gratia actuali, quâ Deus facit, ut liberum arbitrium bonum ſupernaturale velit, & perficiat, ſive illud ſit ſupernaturale quoad ſubſtantiam, qualis eſt actus fidei, ſpei, vel charitatis; ſive quoad modum, qualis eſt locutio v. g. vel concio habita ad Dei gloriam. Ad hunc autem actum ſupernaturalem adjuvat nos Deus auxilio ſuo ſeu gratia actuali, non quaſi nobis vires noſtras ad-

Digitized by Google

hibentibus ipſe ſuas vires adjungat ad idem opus; ſed adjuvat nos Deus in toto opere ſalutari tanquam cauſa prima, ſecundam; id eſt, totum nos operari facit, ita ut tota noſtra operatio ſit à Deo in nobis operante, & ad eam voluntatem noſtram applicante, & faciente eam facere operationem bonam: hinc ait Con. Trid. Seſſ. 6. cap. 16. „Chriſtus „Jesus tamquam caput in mem„bra, & tamquam vitis in palmi„tes, in ipſos juſtificatos jugiter „virtutem influit; quæ virtus bona „illorum opera ſemper antecedit, „comitatur, & ſubſequitur.

DUBIUM IV.

An gratia actualis rectè dividatur in operantem; & cooperantem.

Dividitur in operantē & cooperantē

CElebris eſt hæc gratiæ diviſio, in operantem, & cooperantem, habens fundamentum ſuum in Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, & potiſſimum in S. Aug. qui libro de Gratia & libero arbitrio cap. 17. loquens de Apoſtolo Petro dicit, quod ei non deerat charitas, quamvis parva & imperfecta; quando dicebat Joann. 13. *Animam meam pro te ponam* „ & „quis, inquit, parvam illam cha„ritatem dare cœperat, niſi ille, „qui præparat voluntatem, & co„operando perficit, quod operan„do incipit; quoniam ipſe ut ve„limus operatur incipiens, qui „volentibus cooperatur perficiens. & paulo poſt „ut ergò velimus, „inquit, ſine nobis operatur; cum „autem volumus, & ſic volumus „ut faciamus, nobiſcum coopera„tur, & idem libro 1. ad Bonifacium cap. 9. ait „ multa bona ope„ratur Deus in homine, quæ non „facit homo; nulla verò homo „facit bona opera; quæ non facit „Deus, ut faciat homo.

Eadem diviſio probatur ex Apoſtol. ad Philip. 2. *Deus eſt qu operatur in vobis & velle & perficere pro bona ſua voluntate.* & ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum*; ut legit S. Aug. nempe *Deus.* Item ad Philip. 1. *Confidens hoc ipſum; quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque diem Chriſti Jesu.* Quo loco, verbum, *perficiet*, idem eſt, quod cooperabitur.

Tertio probatur ex Concilio Arauſicano II. Canon. 9. ubi ait „quoties bona operamur, Deus in „nobis atque nobiſcum, ut ope„remur, operatur.

Ex quibus patet: hanc diviſionem propriè competere gratiæ actuali, non verò habituali; quia ad actualem propriè ſpectat operari, velle, & perficere.

Petes, quid ſit gratia operans, & cooperans.

Quid gratia operās & cooperās.

Reſp. varias à variis adferri illarum deſcriptiones; ſecundum aliquos gratia operans eſt auxilium ſupernaturale, quo elevantur potentiæ noſtræ rationales, nempè intelle-

intellectus & voluntas ad eliciendos actus illos ſubitos & indeliberatos, qui appellantur inſpirationes & illuſtrationes à Deo immiſſæ. Gratia verò cooperans eſt auxilium ſupernaturale, quo liberum noſtrum arbitrium elevatur ad eliciendos actus liberos, quibus Dei inſpirationi liberè conſentimus.

2. Gratia operans ſecundum Auguſtinum poteſt definiri, quod ſit illa, per quam fit ut bonum ſalutare velimus: cooperans verò eſt illa, per quam fit ut bonum quod cœpimus velle, faciamus: cum enim ſit duplex actus voluntatis, unus elicitus, & alter imperatus, quod ad primum attinet, in quo voluntas ſe habet ut mota, & non movens ſaltem liberè, ille eſt effectus gratiæ operantis: quod verò ad poſteriorem ſpectat, in quo voluntas ſeſe habet ut movens mota, ille eſt effectus gratiæ cooperantis. „ Deus enim, inquit Auguſt. lib. „ de gratia & lib. arbit. cap. 17. „ cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ipſe, „ ut velimus operatur incipiens, „ qui volentibus cooperatur perficiens; ut ergo velimus ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, „ nobiſcum cooperatur. „

3. Gratia operans itaque poteſt definiri hoc modo; quod ſit gratia actualis ſe ſola efficiens boni ſalutaris volitionem libero arbitrio id nullatenus deſiderante, ſed ſubinde demerente & averſo: ut dum Deus immittit in cor noſtrum bonam cogitationem, quâ nos excitat, illuminat, & vocat: unde quidam definit breviſſimè gratiam operantem hoc modo; quod ſit illa, quæ ex nolentibus facit volentes: gratia cooperans conformiter poteſt dici illa, quando Deus ſic concurrit cum homine ad bonam voluntatem opere complendam, ut ſimul ad eumdem effectum, liberum ejus conſenſum requirat; v.g. quando movet hominem ut diligat, amet, ſperet.

Petes, quod ſit à parte rei gratia operans, item cooperans..

Reſp. quod gratia operans à parte rei conſiſtat in ſubordinatione noſtræ voluntatis ad Deum ipſi immediatè unitum in ratione moventis, & eam efficaciter applicantis ad eliciendum bonæ voluntatis initium.

Petes, an ad hoc ſit neceſſe Deum efficienter producere in ipſa voluntate aliquid ei inhærens, vel aliquam qualitatem tranſeuntem, quâ moveatur ipſa ad talem actum producendum.

Reſp. negativè; ſed ſufficere ſi Deus efficaciter velit ut voluntas producat ſimilem actum; quia ſicuti nos per ſolum imperium voluntatis noſtræ movemus potentias illi ſubordinatas ad agendum, ita multò melius & magis Deus ſolâ voluntate, aut imperio efficaci poteſt movere & applicare omnes

crea-

creaturas, & conſequenter noſtram voluntatem ad eliciendos ſimiles actus ſupernaturales.

Petes, in quo à parte rei conſiſtat auxilium gratiæ cooperantis.

Quid à parte rei ſit hoc auxilium gratiæ operantis, & cooperantis. Reſp. in ſubordinatione liberi noſtri arbitrii ad Deum ipſi immediatè unitum in ratione moventis, illudque efficaciter applicantis ad opus ſalutare liberè exequendum.

Petes; cum gratia actualis quædam ſit increata (videlicet Deus ipſe gratuitò operans & cooperans) & alia creata; cui gratiæ competat hæc diviſio

An hęc diviſio competat gratiæ increatæ. Reſp. dubitari non poſſe quin abſolutè competat gratiæ increatæ; cum certum ſit ex dictis Deum eſſe, qui & operando facit ut velimus, & cooperando facit ut quod volumus exequamur: unde omnia ſupradicta procedunt de gratia increata.

Dico ſecundò; ſi per gratiam creatam intelliguntur bonæ noſtræ actiones gratuitò à Deo nobis datæ, ſive ſint deliberatæ, ſive indeliberatæ, eam, propriè loquendo, non poſſe dividi in gratiam operantem, & cooperantem; eò quod hæc diviſio non actionibus, ſed actionum principiis competat: nam etſi omnes bonę noſtræ actiones ſint quædam gratiæ, in quantum nobis gratuitò dantur à Deo: tamen non ſunt propriæ gratiæ actuales per quas Deus nos movet ad bonas illas actiones exercendas; gratia enim operans & coöperans magis intelligitur eſſe ipſarum actionum principium; illæ verò actiones ſunt ipſius gratiæ effectus.

Petes, an illuminationes, item inſpirationes, in quibus ſupra diximus ſecundum aliquos conſiſtere gratias actuales poſſint animadverti & ſentiri à nobis.

Reſp. Affir: ſicuti enim homo in ſe deprehendit actiones vitales aliarum potentiarum ſuarum, tam cognoſcitivarum, quam appetitivarum; ita poteſt cognoſcere hos actus; hoc addito, quòd poſſimus, teſte Conc. Trid. illis aſſentiri vel diſſentiri; quod non poſſemus, niſi ante cognoſceremus. An illuminationes & inſpirationes internæ poſſint à nobis adverti.

Petes, quotuplicia ſint auxilia quibus homo perducitur ad finem ſuum ſupernaturalem.

Reſp. triplicia: 1. aliqua antecedunt omnem deliberationem voluntatis; adeoque nullo modo pendent à libero noſtro arbitrio; horum aliqua ſunt extrinſeca noſtris potentiis, ut admonitio, prædicatio, correptio, & aliæ occaſiones extrinſecæ, quæ ordinantur ad noſtram ſalutem, appellatæ gratiæ externæ: aliqua verò ſunt potentiis noſtris intrinſecæ; cujuſmodi ſunt antedictæ illuminationes & inſpirationes, quas Deus nobis nihil deſuper cogitantibus immittit, quibus ſubitò nobis repræſentatur pœna inferni, malitia peccati, divina bonitas, &c. quibus voluntas noſtra ſubitò movetur ad Deum amandum, timendum, dolendum Triplicia ſunt auxilia quibus homo perducitur ad ſalutem

de

Digitized by Google

de peccatis; quæ omnia in nobis oriuntur adinſtar motus primò primi & fulguris coruſcantis: quæ Deus operatur in nobis ſine nobis liberè concurrentibus, quamquam phyſicè illa à potentiis noſtris cauſentur.

Secundi generis auxilia ſunt quæ in potentiis animæ recipiuntur ſine ejus efficientia, non tamen ſine libera ejus diſpoſitione: cujuſmodi ſunt virtutes Theologicæ.

Tertii generis auxilia ſunt illa, quæ ſimul pendent à libertate noſtri arbitrii, à quo, ſicut & à Deo, efficienter procedunt; cujuſmodi ſunt omnes actus ſupernaturales, quibus nos ipſos ad gratiam juſtificationis diſponimus, vel ſuſceptam augemus.

Petes; an triplices hi effectus eodem modo procedant à divina gratia.

Haec tamen nō eodem modo procedunt à divina gratia. Reſp. negativè; nam effectus primi & ſecundi generis procedunt à gratia ut operante ſine nobis liberè, quamquam phyſicè concurrentibus: effectus verò tertii generis procedunt à gratia nobiſcum liberè, & efficienter concurrentibus; qui proinde dicuntur procedere à gratia ut nobis cooperante.

DUBIUM V.

De diviſione Gratiæ in excitantem, & adjuvantem.

UTriuſque hujus gratiæ meminit Concil: Trid. Seſſ. 6. cap. 6. dum ait „diſponuntur autem ad juſtitiam, dum excitati „divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex „auditu concipientes liberè moventur in Deum &c. meminit & hujus diviſionis eccleſia, dum ſic orat „actiones noſtras quæſumus „Domine aſpirando præveni & „adjuvando proſequere„ Prout & S. Aug. l. 2. de peccat. merit. c. 18. hiſce verbis„ quod ad Deum nos „convertimus, niſi ipſo excitante „& adjuvante non poſſumus.

Quid gratia excitās. Petes, quid ſit gratia excitans.

Reſp. eſt gratia actualis, quâ mens excitatur, vel à ſomno peccati ad vitam gratiæ, vel a torpore ſpiritus, quo tepidè actionem ſpiritualem exercet, ad majorem illius intenſionem: unde effectus gratiæ excitantis ſunt, reſuſcitatio animæ ſpiritualiter mortuæ, vel illius torpentis incitatio ad boni ſalutaris volitionem.

Quid adjuvans. Petes, quid ſit gratia adjuvans.

Reſp. eſt gratia actualis mentem excitatam roborans, & confortans in boni voliti executione: cujus proinde effectus eſt corroboratio volitionis boni, & cooperatio cum libero arbitrio ad boni voliti executionem.

Digitized by Google

Petes; quomodo inter ſe diſtinguantur gratia excitans, & adjuvans.

Quomodo inter ſe diſtinguantur.

Reſp. non aliter quam ſecundum diverſos effectus; ita ut dicatur excitans in quantum concurrit ad ipſum converſionis initium; adjuvans verò in quantum concurrit ad progreſſum & perfectionem operis: malè proinde aliqui duas illas gratias diſtinguunt penes diverſum modum cauſandi; quaſi cauſalitas gratiæ excitantis conſiſtat in morali quodam influxu, ſcilicet conſulendo, hortando, attrahendo, & proponendo objectum: unde, inquiunt, contingit, quod gratia excitans poſſit ſeparari ab effectu, ad quem movet, propter reſiſtentiam voluntatis liberæ; cauſalitas verò gratiæ adjuvantis conſiſtat in influxu phyſico, quo potentia conſtituitur operans actu: quod autem dictum diſcrimen neque ſit ad mentem Conciliorum, neque S. Auguſt. inde patet, quod nulla gratia Chriſti poſſit ſeparari ab effectu propter quem datur.

Petes; an actus illi, in quibus gratia excitans conſiſtit, producantur efficienter à noſtris potentiis.

An gratia excitans efficienter producatur à noſtris potentiis.

Reſp. Affirm. quia ſunt actus ſeu motus vitales; qui proinde dicunt eſſentialem ordinem ad potentias vitales: inſuper niſi hoc eſſet, non poſſent motus illi à nobis percipi, quod eſt contra rationem gratiæ excitantis.

Dices; Concil. Arauſic. ſecundum cap. 20. ait; multa in homine fieri bona, quæ non facit homo.

Reſp. Concilium illud intelligi debere, vel de virtutibus infuſis, ad quas ſolus Deus efficienter concurrit, homine ſe merè paſſivè habente; vel ſi intelligatur de hiſce actibus, dicit illos fieri ſine nobis liberè concurrentibus, quamvis phyſicè concurramus: quia ſcilicet Deus illos actus per ſuam gratiam operatur in nobis, ſine prævio in nobis alio motu voluntatis quò ad illos primos bonos motus conemur, aut aſpiremus; aut quò voluntas eos ſibi imperet; ſunt enim repentini pii motus, adinſtar naturalium corruſcationum, antecedentes omnem liberæ voluntatis conſenſum, prout motus primò primi: qui, quod non fiant deliberate, conſtat quotidianâ experientiâ; nam quilibet experitur ſe ſubitò illos habere nullâ præviâ deliberatione circa eorum objecta, Deo nos ad illa movente, & per ſe ipſum applicante intellectum & voluntatem noſtram ad ſanctas illas & pias cogitationes, & ſubitos voluntatis motus conſequentes dictas cogitationes.

Petes: quid rei ſit motus ille, quo movetur voluntas.

Reſp. eſt nolitio vel volitio: nam nullus alius in voluntate eſt actus ſeu motus quin habeat rationem alterutrius.

Dices,

Dices, excitatio quâ Deus excitat peccatorem, aſſimulatur pulſationi oſtii, ad quam ipſe pulſans ſolus efficienter concurrit, ipſo oſtio ſe merè paſſivè habente.

Reſp. ex hac ſimilitudine non poſſe ſumi efficax argumentum quantum ad omnia; ſed tantùm quantum ad id quod Deus vult per illam ſignificare: ſcilicet quod ita nos excitet, ut non vi, vel coactè, ſed nobis liberè conſentientibus ingrediatur corda noſtra per gratiam: deinde aliud eſt pulſare, aliud excitare: quia multis adhibetur pulſatio, qui non excitantur: unde gratia pulſans & non excitans, pertinet potius ad legem, quam ad Chriſti gratiam, quippe quæ numquam fruſtratur proximo ſuo effectu propter quem datur: nam ſi officium ejus tantum eſſet illuſtrare, ſuadere, monere, & dirigere, cum omnia etiam illa lex preſtare poſſit, ſequeretur quod gratia excitans non amplius valeret, quam ipſa lex: quæ tamen ſola cum omnibus ſuis præceptis, minis & promiſſionibus ad gratiam Chriſti non pertinet: quia cum omnibus illis voluntas poteſt conſiſtere immota.

DUBIUM VI.

An gratia rectè dividatur in Prævenientem, & Subſequentem.

Utramque hanc gratiam poſtulat Eccleſia in ſuis orationibus; dum ſic orat, „ Vota noſtra quæſumus Domine aſpirando „ præveni, adjuvando proſequere: „ de hac quoque ait S. Auguſt. Enchyridii cap. 32. dum ait „ Gratia Dei nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur, ne „ fruſtra velit. „

Petes, quid ſit gratia præveniens.

Reſp. eſt gratia actualis præoccupans liberum arbitrium ut incipiat velle bonum ſalutare. Gratia ſubſequens verò, eſt gratia actualis voluntatem adjutam confirmans, & reddens eam conſtantem & perſeverantem in executione ſalutaris operis: ſive aliter, gratia præveniens eſt illa, quæ prævenit voluntatem, cauſando in illa initium boni operis; ſubſequens verò eſt illa, quæ cauſat progreſſum & finem boni operis. *Quid gratia preveniens. Quid ſubſequens.*

Nota, quod gratia ſubſequens non ita ſit intelligenda, quaſi in opere vel parte operis ſit voluntate poſterior, nam iſte ſenſus eſt damnatus in Concilio Arauſicano Can. 6. ac proinde quodam ſenſu poteſt dici omnis gratia præveniens: quatenus ſcilicet quidquid eſt in bono opere, a principio uſque ad finem, totum efficaciter operatur, faciens ut faciamus; adeoque ordine cauſalitatis voluntatem ſemper præveniens, dicente Iſaia cap. 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis.* *Gratia ſubſequens numquam eſt voluntate poſterior in opere.*

Nota 2. quâdam ratione omnem

Quodã ſenſu omnis gratia eſt prævenîës. nem gratiam priorem, reſpectu poſterioris poſſe dici prævenientem; & ſimiliter omnem poſteriorem poſſe dici ſubſequentem reſpectu prioris: quo modo de gratia præveniente & ſubſequente loquitur S. Auguſt. lib. de natura & gratia cap. 32. dicens, „ prævenit ut ſanemur, ſubſequitur ut „ ſanati vegetemur; prævenit ut „ vocemur, ſubſequitur ut glori-„ ficemur; prævenit ut piè viva-„ mus, ſubſequitur ut cum eo ſem-„ per vivamus. „

Petes, de qua gratia intelligatur hæc diviſio de creata, an increata.

Hæc diviſio cadit tã in gratiam creatã quã in increatã. Reſp. juxta uſum loquendi SS. Patrum poſſe intelligi de utraque, de increata primò, id eſt Deo, nam Deus prævenit hominem per gratiam ſuam, vel ordine cauſalitatis antedictæ, dum videlicet cauſa eſt quod homo bene vult, ope rando in eo bonam voluntatem; vel ordine temporis, dum homini adhuc averſo & peccatori præparat quædam beneficia & auxilia, quibus v. g. poſt decem annos, convertetur: Secundò de gratia creata, quatenus videlicet unus effectus gratiæ divinæ eſt alio poſterior. De quo pulchre S. Auguſtinus cap. 32. Enchyr. „ Gratia „ Dei nolentem prævenit, volen-„ tem ſubſequitur. „

DUBIUM VII.

An gratia rectè dividatur in Antecedentem, Concomitantem, & ſubſequentem.

Quid gratia antecedens. Gratia antecedens, eſt gratia actualis inſpirans volitionem boni ſalutaris.

Quid concomitans. Concomitans, eſt gratia actualis, dans perficere bonum ſalutare.

Quid ſubſequens. Subſequens, eſt gratia actualis dans perſeverare in bono ſalutari.

Gratia operãs excitãs. Petes, an gratia operans, excitans, aſpirans, præveniens ſint ſynonima cum gratia antecedente.

Præveniens ſunt ſynonima cũ gratia antecedẽte. Reſp. Affirm. quæ gratia neceſſariò eſt agnoſcenda contra Semipelagianos hæreticos, initium cujuſque boni operis tribuentes libero arbitrio; conſummationem verò dicti operis, Deo. Contra quos S. Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. ait „ avertat Deus „ hanc amentiam ut in donis ejus „ nos priores faciamus, poſterio-„ rem ipſum: „ ſiquidem illa in voluntate, id nec deſiderante, nec conante, multò minus merente, quinimò demerente & averſa, ſola cauſat boni ſalutaris, & ad ſalutem conducentis volitionem; non quod creata voluntas in ejuſmodi volitionem phyſicè non influat, ſed quia non influit liberè eam imperando.

Petes; an ſimiliter ſint ſynonima, gratia cooperans, adjuvans, concomitans.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Affirmativè.

Petes, an gratia antecedens, item operans, & cooperans rectè dividantur in gratiam naturæ ſanæ, & in gratiam naturæ ægrotæ, ſeu medicinalem Chriſti redemptoris.

Gratia antecedens dividitur in gratiā naturę integræ, & in gratiā naturæ lapſæ, ſeu in gratiā medicinalem Chriſti redemptoris.

Reſp. Affir. de qua diviſione latè agit S. Aug. lib. de Correp. & gratia cap. 11. & 12. vocans gratiam naturæ ſanæ, adjutorium ſine quo non; gratiam verò naturæ ægrotæ, ſeu medicinalem Chriſti, adjutorium quo.

Adjutorium ſine quo non, ſeu naturæ ſanæ, eſt gratia actualis dans voluntati poſſe elicere actus ſupernaturales, ſi velit; non verò ut velit.

Adjutorium naturæ ægrotæ, ſeu gratia medicinalis Chriſti, qualis eſt omnis illa quæ datur poſt lapſum Adæ, eſt gratia actualis operans velle & perficere pro bona voluntate Dei, ſanans liberum arbitrium à morbis concupiſcentiæ, ignorantiæ, & infirmitatis: eapropter gratia naturæ ſanæ in hoc differt à gratia naturæ ægrotæ, quod illa exſpectet nutum liberi arbitrii, ſicut ancilla nutum Dominæ ſuæ, ut cum eo concurrat ad volitionem boni ſalutaris, & operationem ejus; hæc verò liberum arbitrium, viribus planè attenuatum & infirmum, determinet ad actum ſalutarem, faciens illud facere, & operans in eo velle & perficere, ſalvâ in omnibus ejus libertate; nam Deus, ut habetur Sap. 8. *Attingens à fine uſque in finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter*, tamquam cauſa prima movet omnes cauſas ſecundas, ſecundum exigentiam ſuarum naturarum; quarum non eſt deſtructor, ſed conſervator: quibus proinde ita motum ſuum attemperat, ut movens libero arbitrio relinquat ſuam libertatem.

Petes; quinam ſint precipui effectus gratiæ.

Quiſint præcipui effectus gratiæ.

Reſp. primus eſt, ut anima ſpiritualiter ſanetur. 2. eſt, ut illa velit bonum ad ſalutem pertinens. 3. ut bonum volitum exequatur: 4. eſt, ut in bono volito perſeveret. 5. eſt, ut per hæc ad gloriam æternam perveniat: & ita gratia, prout cauſat primùm effectum, vocatur præveniens reſpectu ſecundi effectus; & prout cauſat ſecundum effectum, vocatur ſubſequens reſpectu primi.

Petes; an fides non ſit primus effectus gratiæ operantis, prævenientis, excitantis, & antecedentis.

Reſp. Affirmativè: conformiter ad Concil. Arauſ. Can. 25. ubi ait „ Deus nobis nullis præ„cedentibus meritis, fidem & „amorem ſui inſpirat. & Can. 5. in quo, inter effectus gratiæ reparantis, primo loco ponit initium fidei: quod fieri in nobis ait per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem volun-

quod quidem tolerabiliter facerent, ſi talem gratiam ſtatuerent, cum qua, ſicuti voluntas poteſt operari, ita pro flexibili ſua libertate unquam vel ſemel illi cooperaretur; ſi enim illa ſit natura iſtius gratiæ ſufficientis, quod præter eam non requiratur alia ad bene operandum; quænam eſt quæſo ratio quod voluntas illi numquam cooperetur? profectò dicti Authores hanc ita fabricant, quia animadvertunt, ſi quempiam illi gratię ſemel cooperatum eſſe affirment, totam machinam ſuæ congruę gratiæ debere concidere.

Alii ſufficientis gratiæ aſſertores eò devenire auſi ſint, ut dicerent in poteſtate liberi arbitrii eſſe omnem gratiam ſufficientem pro libitu ſuo reddere efficacem ſine ullo ulteriori Dei auxilio; qui profectò non tantum re ipsâ, ut primi, ſed etiam ipſo modo loquendi univerſam Jesu Chriſti medicinalem gratiam revocant ad gratiam hominis ſani & integri, non aliam, quam gratiam ſufficientem Adami in ſtatu innocentiæ pro gratia Chriſti obtrudentes; nam omnes hi modi, quos concipiunt ut oſtendant Chriſti gratiam ſufficientem antecellere gratiam Adami, eò tandem ultimatè redeunt unde fuerant digreſſi: cum enim natura gratiæ ſufficientis, quæ primo homini in ſtatu naturæ integræ, prout & Angelis fuit collata, in eo propriè fuerit ſita, quod ejus uſus, & neglectus in libero relinqueretur arbitrio; oſtendendum illis eſt hanc eſſentialem gratiæ ſufficientis notam non reperiri in illa gratia Chriſti ſufficiente, quam prædicant. Sanè Bellarminus lib. 1. de Gratia & libero Arbitrio cap. 12. ubi recenſuit hanc illorum opinionem, exiſtimantium in mera hominis poteſtate eſſe gratiam ſolum ſufficientem, reddere efficacem, ita ſcribit „ hæc opinio „ eſt aliena à ſententia S. Auguſt. „ & quantum ego exiſtimo, a ſen„ tentia SS. Scripturarum: „ nam S. Auguſt. lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. dicit „ gratiam „ à nullo duro corde reſpui; quia „ ipſa cor emollit: „ ubi clarè vides efficaciam tribui ipſi gratiæ; non verò voluntati humanæ: Et libro de Spiritu & littera cap. 34. quærens cur Deus uni ita ſuadeat, ut perſuadeat; alteri vero non ita faciat: non reſpondet, quia unus conſentit, ſed exclamat, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus.* Itaque refert in arcanum divinæ voluntatis, cur uni detur gratia efficax & alteri non detur. Et in Epiſt. 101. ad Vitalem reprehendit eos qui dicunt, omnes homines fuiſſe accepturos gratiam Dei, ſi illi, quibus non datur, illam ſua voluntate non reſpuerent: caproprer hæc opinio inquit, Tannerus, poſt diutinam hujus rei diſcuſſionem, peculiari decreto R.P. Claudii Aquavivæ præpoſiti generali eſt improbata.

Nos

Nulla datur proximè ſufficiens quæ nõ ſit efficax.

Nos itaque inſiſtentes principiis S. Auguſt. & S. Thomæ ſi gratia ſufficiens accipiatur juxta primum modum ita nimirum ut præter illam ex parte Dei nulla ulterior requiratur ut homo bene operetur & agat, arbitramur nullam talem dari ſufficientem tantùm quæ non ſit efficax, ac conſequenter non rectè dividi gratiam Chriſti medicinalem hoc modo in ſufficientem & efficacem; idque ob rationes ſequentes.

Probatur 1. I. Quia talis gratia ſufficiens tantum, eſt gratia ſanæ voluntatis, non ægrotæ, prout modo poſt lapſum habemus; adeoque nobis inutilis, non ſecus ac cibus hominis ſani ſtomacho ægrotanti; vel lux ſolis oculo læſo.

Probatur 2. II. Si cum tali ſufficienti gratia poſſet homo poſt lapſum operari, poſſet ſibi, & non Deo actiones ſuas meritorias adſcribere, poſſet per liberum arbitrium gratiâ non donante ſurgere; poſſet in bono uſque ad finem ſe ipſo perſeverare; & ita tandem vitam æternam conſequi; poſſet quoque libertate ſuæ voluntatis ſeipſum ab aliis diſcernere; nam quando duo inter ſe differunt, qui in aliquo tertio communi conveniunt; illi non differunt inter ſe per illud tertium, quod eſt utrique commune, ſed per aliquod aliud; quod non poteſt aliud eſſe quam libertas propria: quia quando voluntas mediante adjutorio alicujus cauſæ inſtrumentalis operatur effectum, ille nunquam tribuitur cauſæ inſtrumentali, ſed primariæ; nempe illi, quæ ſuo imperio cauſam inſtrumentalem applicat ad effectum.

III. Ille qui haberet talem gratiam ſufficientem, non deberet Deum orare pro gratia ulteriori; quippe cùm ex parte Dei nulla ulterior gratia requiratur ad bene operandum, v. g. credendum, diligendum, præter hanc gratiam ſufficientem, quam dedit. Probatur 3.

IV. Talis gratia ſufficiens duplici ex capite repugnat omnibus ferè precibus Eccleſiæ, quia inter illas vix una reperitur, quâ non tantum petitur ipſum poſſe agere, ſed & ipſe actus: v. g. ut homines bene vivant, à peccatis abſtineant, convertantur, diligant, &c. qui actus, ſeu effectus profectò non eſſent petendi à Deo, ſed potius à libero hominis arbitrio, ſi talis gratia ſufficiens omnibus hominibus præſtò eſſet, quam illi nutu ſuæ voluntatis poſſent facere efficacem. Probatur 4.

V. Damnoſa eſt talis gratia; quid enim damnabilius, quam abundare tali gratiâ, quâ nemo utitur niſi ad majorem ſuam damnationem; qui mitius profectò puniretur, ſi tale auxilium nunquam habuiſſet. Probatur 5.

VI. Sequitur gratiam efficacem non eſſe neceſſariam ad bene operandum, aut perſeverandum in bono; quandoquidem hæc gratia ſufficiens Probatur 6.

ſciens ſe ſolâ ad hoc ſufficiat; quippe cum ex parte Dei nulla alia requiratur, ad hoc ut homo operetur & agat.

Probatur 7. VII. Talis gratia nihil eſt aliud quam adjutorium ſine quo non; quod S. Aug. lib. de corrept: & gratia c. 11. & 12. appellat gratiam hominis ſani; nam quomodocumque prædicti Authores dicant hanc gratiam ſufficientem facere ut voluntas operetur: quidquid dicant de decretis Dei, quibus ordinavit actum faciendi & volendi, liberæ voluntati eſſe largiendum: quando ad cardinem venitur, eo res redit, ut quando gratia emollit, ſuadet, trahit congruentiſſimè, ſecundum illos ultimus ſemper flexus & ultimum decretum operationis debeat ab ipſa voluntate proficiſci, quæ, ſtante gratiâ, adhuc manet in ſuo æquilibrio indifferens; quam proinde poteſt pro libertate ſua amplecti vel non amplecti: quod verò dicunt dicti Auth. Deum prædefinire voluntatis conſenſum, eoque fine gratiam congruam ſeligere, hoc ſane modum operandi voluntatis non mutat; nam ſemper ultimus flexus & cardo voluntatis eſt qui gratiam ad actualem influxùm applicat: nam idcirco, vel expreſsè, vel implicitè decretum iſtud præſupponit ſcientiam Dei conditionatam ſeu mediam, quâ videt quomodo ſe liberum arbitrium erga illam gratiam ſit habiturum, daturus aliam, ſi forte illam pro ſua indifferente voluntate reſpueret; qua ſcientiæ conditionatæ exploratione, dum dicti authores gratiæ poteſtatem explicare ſatagunt, quaſi illa faciat voluntatem velle & facere, apertius totum nutui voluntatis tribuunt; cujus æquilibrium, idcirco tantâ faciunt Deum explorare curioſitate, ut ſciat quonam illa ſuum indifferentem nutum ſit flexura: quod profectò tunc manifeſtè conſtabit, ſi ſtatuamus eaſdem omnino duobus hominibus dari gratias, Deo nihil præſciente nec diſcernente, idque in eiſdem omnino rerum circumſtantiis: tunc enim erit perſpicuum, ſi unus operetur, & alter non operetur, non eſſe gratiam quæ dat velle & facere, ſed voluntatem, quamvis illa ſine gratia facere non poſſit; eo quod uſus, vel non uſus gratiæ in voluntatis relinquatur arbitrio.

Dices, dari gratiam ſufficientem, qualis ante deſcripta eſt, manifeſtè probatur ex ſequentibus Scripturis: primò Iſaiæ 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod exſpectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Quibus verbis alloquitur Deus Judæos obduratos, nolentes converti, qui, ſi caruiſſent gratiâ iſtâ ſufficienti ad converſionem, fruſtra contra eos illa verba fuiſſent prolata. Objectio 1.

Antequam veniamus ad explicationem dictæ Sciptu ræ, & ſimilium prænotandum 1. nos non debere imaginari in Deo voluntatem,

In Deo non eſt formaliter voluntas aut conatus inefficax, ſed ſolum metaphoricè.

ſtudium, & conatum; quibus, quantum in ipſo eſt, conetur & agat ut aliquid aſſequatur; quod tamen non obtinet; quaſi bonæ ejus voluntati reſiſtat mala hominis voluntas,qua nolente ipſe fruſtratur re optatâ: hæc enim opinio & imaginatio detrahit divinæ potentiæ & fælicitati; nam ſi non poſſit Deus id quod vult facere, impotens eſt; & ſi non obtinet id quod vult, miſer eſt.

Unde quod attinet ad explicationem Scripturæ memoratæ, Dico; notiſſimum eſſe Scripturam S. plenam eſſe figuratis & metaphoricis de Deo locutionibus; prout dum illi tribuit brachium, pedes, item iram, pœnitentiam, aliaſque humanas paſſiones: Unde, ſicuti dum dicitur Deus iraſci, etiamſi in ſe ſit immutabilis, quando facit ea quæ ſolent homines irati facere;ita dicitur optare, dum facit ea quæ ſunt hominis optantis; & conqueri, quando facit ea quę ſolent homines conquerentes. Itaque in prædicta Scriptura ſignificatur voluntas Dei conqueſtiva; voluntas, inquam, ſigni: quæ conſiſtit in exprobrationibus, monitionibus, & præceptis: Eapropter hæc, & ſimilia Deo tribuuntur metaphoricè tantum: quâ eâdem ratione dicitur à vinea ſua exſpectare fructus pœnitentiæ, & bonorum operum; quatenus nimirum facit ea quæ homines exſpectantes facere ſolent; cum alioqui ſit in poteſtate Dei facere iſtos fructus pœnitentiæ, qui non aliunde, quam ab ipſius efficaci gratia ſunt exſpectandi; nam, proprie loquendo, Deum non expectare noſtram voluntatem ad bonum, clarè definitum habemus Can. 4. in Concil. Arauſ. his verbis „ ſi quis,ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum exſpectare contendit, reſiſtit Spiritui S. Simili modo, quo anterior Scriptura, poteſt explicari hæc, quæ habetur. Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti.* hoc addito, quod in Deo non ſit formaliter & antecedenter quædam velleitas ſeu actus voluntatis inefficax; utpote importans quamdam imperfectionem, quippe quæ in Deo ſit futura otioſa; quia nullum habet in rebus ſibi correſpondentem effectum: ſed ſolummodo eminenter; quatenus videlicet Deus in hominibus cauſat tales velleitates: neque propterea ſimulatoriè loquitur Scriptura,ſed impropriè & per tropum, ut ſupra diximus. Objectio 2.

Objectio 3.

Dices ad Rom.2. ait Apoſtolus; *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ,& longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* quibus verbis Deus fruſtra aliquem exſpectat ad pœnitentiam, niſi gratiam ſufficientem ad illam agendam dederit.

Reſp. & hic tropicam eſſe locutionem; neque enim propriè in Deo eſt patientia: dicitur autem patiens

patiens & longanimis, dum differt punire peccata commiſſa, atque interim largitur ſpatium pœnitentiæ, quâ vindictam illius homines poſſint evadere.

Obje-ctio 4. Dices, Actorum 7. dicitur; *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis*; ergo illi excitabantur à Spiritu S. illique poterant conſentire, qui eidem reſiſtebant; & conſequenter habebant gratiam ſufficientem; alioqui non fuiſſet illorum culpa, ſi non fuiſſent converſi.

Reſp. hunc locum non intelligi de motione interna Spiritus S. ſed de motione externa, nunc, & olim data populo Iſraëlitico per Angelos, Prophetas, & noviſſimè per filium Dei ipſis loquentem.

Obje-ctio 5. Dices; ad adimplendum aliquod præceptum requiritur libertas; ſed hæc nequit ſubſiſtere ubi deeſt gratia proximè ſufficiens; eò quod illa conſiſtat in proxima penitentia ad agendum vel non agendum.

Reſp. negando confirmationem ſubſumpti; & dicimus, illam conſiſtere in potentia remota ad agendum vel non agendum, conformiter ad dicta noſtra Tractatu 5. dub. 4.

Dices; herus aliquis eſſet cenſendus tyrannus, qui famulum, ex fracta tibia impotentem, obligaret ad ambulandum; ergo & Deus erit cenſendus tyrannus, ſi homini infirmo, nec habenti ſufficientem gratiam ad implendum mandatum equidem illud imperet fieri.

Reſp. & dico 1. hunc nodum debere ſolvi ab adverſariis requirentibus gratiam ſufficientem: & ab illis petendum, an infideles non obligentur amare Deum ſuper omnia dolere de peccatis propter Deum ſummè bonum offenſum; quæ tamen ipſi potentia proxima nequeunt implere, utpote carentes fide: præterea ab ipſis petendum, an infideles non obligentur ſervare totam legem naturæ; quod tamen nequeunt facere ſine ſpeciali gratiæ auxilio, quod ipſi non habent. Inſuper, an Chriſti fideles non obligentur vitare omnia peccata venialia, quæ tamen nequeunt vitare ſine ſpeciali gratiæ auxilio, quod non omnes habent.

Quomodo privatus gratiâ proximè ſufficienti tamē adhuc ſit liber ad adimplēdum mandata.

Reſp. ſecundo; negando conſequentiam: quia eſto quis eſſet privatus gratiâ proximè ſufficienti, tamen non ſequitur, ergo non poteſt implere mandatum; ſicut nec ſequitur, vir conjugatus non habet donum continentiæ conjugalis; ergo non obligatur ad ſervandam continentiam: ratio negatæ conſequentiæ eſt, quia ad multa obligantur homines, partim lege divinâ, partim humanâ, partim lege privatâ, v. g. voto, quorum tamen gratiam, ſeu donum non habent, habere tamen poſſunt Deo donante, ſi petant prout oportet; juxta illud Luc. 7. *petite, & dabitur vobis.* nec poteſt peccator contra Deum juſtè conqueri, ſi propter peccata ſua non accipiat à Deo auxilium; nam qui

Digitized by Google

poſt baptiſmum mortaliter peccavit, meretur ut gratiâ Dei, quam ſemel abjecit, ſemper careat; ſi enim Deus non ſit culpandus alicujus injuſtitiæ dum parvulum in utero matris mortuum ſine baptiſmo relinquit cum ſolo originali tranſire in damnationem æternam, non communicato ullo auxilio ſufficienti quo liberetur à peccato originali, quantò minus eſt cenſendus injuſtus, ſi ſic abſque auxilio proximè ſufficienti relinquat peccatorem, qui peccato ſuo originali frequenter ſuperaddidit tot actualia mortalia.

Hinc ad Argumentum.

Ut præcepta dicātur poſſibilia homini, ſufficit potētia remota in illo.

Reſpondeo in forma & dico; non ſtatim aliquid cenſendum nobis impoſſibile, quod non poſſumus exequi potentiâ proximâ; neque enim obſervatio præceptorum eſt æqualiter ab homini cuilibet poſſibilis; nam homini juſto habenti habitualem gratiam cum auxilio actuali præſenti, obſervatio præcepti eſt proximè poſſibilis; homini verò peccatori & fideli, potentiâ minus proximâ; eſto enim is non habeat gratiam ſanctificantem, habet tamen fidem, quæ ipſi monſtrat à quo ſit petendum auxilium: homini verò pagano & infideli, qui de Deo nihil umquam audivit, obſervatio præcepti de Deo diligendo, eſt poſſibilis potentiâ valde remotâ. Illi tamen omnes ſimpliciter dicendi ſunt poſſe implere illud præceptum, etiam hic ultimus, in quantum habet liberum arbitrium adhuc flexile ad bonum & malum; cui proinde Deus poteſt dare gratiam, quâ fiat proximè potens ad adimplendum præceptum ut oportet: neque enim impoſſibile debet aliquid alicui dici, quod in multis aliis perſonis ſimilibus probatur fuiſſe poſſibile; hoc addito, quod impoſſibile neget omnem poſſibilitatem etiam remotam: ita quoque, communi uſu loquendi dicimur poſſe, quæ tamen non poſſumus potentiâ proximâ; ſic enim ſtudioſus dicitur poſſe ſcribere, etiamſi non habeat ad manum pennam & atramentum; & homo de nocte dicitur poſſe videre, etiamſi non adſit lumen. Hanc ſolutionem indicat diverſis locis S. Auguſt. quibus docet, Dei præcepta non eſſe homini impoſſibilia, eò quod liberum ejus arbitrium poſſit ſanari per gratiam, quâ præceptum adimpleat.

Gratia ſufficiēs tantum remotè à Thomiſtis admittitur.

Dico 2. intelligendo gratiam ſufficientem poſteriori modo ſupra recenſito, nempe prout eſt remotè tantum ſufficiens, non malè dividitur gratia actualis à Thomiſtis in ſufficientem tantùm, & efficacem: quod probant, quia præter gratiam, quæ facit hominem v. g. actualiter credere, ſperare, diligere, item bene operari; Deus inſuper gratuitò dat alias gratias, cùm quibus, etſi de facto non operentur vel bene vivant, ſunt tamen tales

tales per quas redduntur potentes ad bene operandum & vivendum: quod ulterius probant: quia Deus non tantum per adminicula externa, qualia ſunt prædicatio, monitio, exhortatio, & alia quæ ſunt in genere gratiæ externæ, ſed etiam per internas illuſtrationes, pia deſideria, alioſque bonos affectus homines ad bene operandum excicitat, quibus bene uti poſſunt, ſi velint, quamvis non ſemper bene utantur: eapropter gratia ſufficiens, hoc poſteriori modo accepta, diſtinguitur ab efficaci; quod ipſa det poſſe operari actum illum, cujus comparatione dicitur ſufficiens, cum qua tamen homo numquam actu operabitur, niſi Deus ſuperaddat illi auxilium efficax, quo potentia in actum reducatur: gratia verò efficax eſt illa, quâ non tantum datur homini poſſe bene operari, ſed & actualiter bene operari, ſive quæ facit ut faciamus. Ex quo patet ulterius; quod gratia efficax ſemper & infallibiliter conſequatur effectum, illam ſcilicet operationem, ad quam eſt efficax; ſufficiens verò numquam habet illum effectum ad quem eſt ſufficiens. Nota verò hic gratiam ſemper eſſe efficacem ad illum effectum ad quem ordinatur, & quem Deus abſolutâ voluntate intendit, quamvis non ſit efficax alterius effectus, ad quem actus ille ulterius, tum ex ſe, tum ex voluntate Dei antecedente, ordinatur.

Quid gratia efficax.

Talis eſt omnis Chriſti gratia.

Quāvis non ad omnes effectus

Petes; quomodo omnis gratia interior ſit efficax, cum inde ſequatur, propoſitionem ab Innocentio X. damnatam, nempe hanc; *Gratiæ interiori numquam reſiſtitur*, eſſe malè damnatam.

Reſp. negando ſequelam; eſto enim omnis gratia ſit efficax quoad proximum ſuum effectum, id eſt propter quem datur, ac propterea dicat S. Auguſt. libro de Corrept. & gratia cap. 12. „ ſubventum „ eſt infirmitati humanæ, ut divi„ nâ gratiâ indeclinabiliter & in„ ſuperabiliter agatur. „ Et libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. „ hæc gratia, quæ occultè hu„ manis cordibus divinâ largitate „ tribuitur, à nullo duro corde re„ ſpuitur; ideo quippe tribuitur, „ ut cordis duritia primitus aufera„ tur. „ Poteſt nihilominus illi reſiſti in ſenſu diviſo; quin imo eidem ſæpius reſiſtitur quoad effectus remotos, ad quos ulterius tendit; idque juxta comparationem concupiſcentiæ cum ipſa gratia; ita ut altera viciſſim reſiſtat alteri, prædominetur & obediat; ſiquidem gratia efficax, ſeu delectatio victrix, talis eſt relativè: tunc enim eſt victrix, quando ſuperat concupiſcentiam; quando verò concupiſcentia eſt intenſior, tunc gratia efficax hærebit in ſolis deſideriis inefficacibus: neque enim efficaci Chriſti gratiâ homo motus ſemper cupit vel vult perfectè quod volendum eſt vel agen-

Quo ſenſu gratiæ Chriſti poſſit reſiſti & illi quãdoque de facto reſiſtatur.

Digitized by Google

dum; quia ſæpe contingit peccatorem ſiſtere in deſideriis inefficacibus, quæ gratia efformavit, nec illa ad effectum operis ob infirmitatem ſuam perducere, ac inſuper ſit quod illa deſideria inefficacia abjiciat, & vincente concupiſcentiâ non bene vivat: Efficax tamen Chriſti gratia infallibiter conſequitur proximum ſuum effectum quem Deus intendit, nempè motum velleitatis ſi ad illum excitandum, ſolum ſit data: quod verò deſiderium illud careat ultimo effectu operis ad quod impellebat, vitium eſt hominis: cui tamen ſi voluiſſet Deus conferre gratiam victricem, quæ eſt neceſſaria ad benè vivendum ſicut oportet, tunc homo certiſſimè benè viveret: attamen liberè.

Petes; an efficax illa gratia actualis rectè dividatur in creatam; & in increatam.

Gratia efficax rectè dividitur, in creatā & increatā. Reſp. Affir. quamvis congruentius, ubi ſit mentio gratiæ efficacis, intelligatur increata; quæ non eſt aliud, quam Deus quemcumque in nobis bonæ voluntatis motum, ſive perfectum, ſive imperfectum, efficaciter operans; ita ut non ſola illa cenſeatur efficax, quæ plenam & integram voluntatis ad Deum converſionem efficit, ſed etiam illa quæ vel minimum, eſto inefficacem voluntatis motum tendentem ad bonum ſaluti noſtræ congruum, operatur: nam eſto ipſi actus boni, in nobis per Deum cauſati, ſint quædam gratiæ creatæ, id eſt, beneficia quæ Deus gratuitò & miſericorditer nobis confert, & in nobis operatur; tamen, ut ex dicendis patebit, non rectè dicitur gratia illa creata, ideſt, actus, dari ad ſingulos actus; niſi forſitan per gratiam creatam, cum Thomiſtis, intelligamus, vim aliquam ſupernaturalem, quæ per modum tranſeuntis imprimitur noſtris potentiis quandocumque Deus illas movet, ut boni aliquid operentur vel velint.

DUBIUM IX.

In quo conſiſtat efficacia gratiæ.

In quo cōſiſtat efficacia gratiæ. Etiamſi apud omnes Catholicos certum ſit dari gratiam efficacem, controvertitur tamen apud illos in quo ejus efficacia præcisè conſiſtat: quidam illam conſtituunt in cooperatione voluntatis humanæ cum gratia; ita ut illa dicatur efficax, ut ſupra diximus, quæ effectum ſortitur per hoc quod voluntas humana illi cooperetur, qui conſequenter concedunt ſitum eſſe in libero arbitrio gratiam facere efficacem. Alii Catholicici gratiam efficacem conſtituunt in illuſtratione & ſuaſione interna, quâ Deus ita movet voluntatem, quomodo prævidet eam ſecuturam, proponendo ea homini quæ prævidet menti ejus & ingenio congruere: quæ ambæ ſententiæ minus conveniunt Scripturę Sacræ, Conciliis, & SS. Patribus; quippè quæ illam faciunt Sententiæ explicantes effi-

caciam gratiæ cũ dependẽtia à cõſenſu liberi arbitrii minus cõgruũt Scripturæ, Cõſiliis & SS. Patrum ſcriptis. faciunt dependere à conſenſu liberi arbitrii. Quare cum hæ ſententiæ tollant fundamentum divinæ prædeſtinationis (cum ſecundum illos vocatio efficax non pendeat à Dei propoſito, ſed ab humana voluntate; adeoque nullus locus relinquatur prædeſtinationi, ſed tantum præſcientiæ) minus placent: unde amplectimur tertiam ſententiam, quæ eſt graviſſimorum Auctorum, & SS. Patrum, qui gratiam Dei efficacem conſtituunt in gratuita Dei operatione, quæ voluntatem applicat & determinat ad bonæ voluntatis motum; ſive in alta Dei vocatione & ſecreta, quâ ſic vocat, ut ſequatur, juxta illud Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me.* Quod autem hæc ſententia ſit conformior Sacræ Scripturæ, & Patribus, inde patet; quia quidquid in Scriptura à Deo præcipitur, nempe ipſa legis adimpletio, & non ſola ſuaſio, id à Dei gratia fieri & exſpectari Sacra Scriptura demonſtrat: hinc illa S. Auguſtini oratio in libris confeſſionum „Domine „da quod jubes, & jube quod vis:„ quod non eſt aliud, quam quod in oratione Dominica dicimus: *fiat voluntas tua*, id eſt, fac nos facere quod præcipis: hinc Scripturæ ſunt ſibi correſpondentes & de præcepto, & de gratia v.g. hæ; ambulate in præceptis meis. & rurſum; ego faciam ut in præceptis meis ambuletis: & iterum; ſalutem veſtram operamini: & , Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere &c.

Probatio 1.

Probatio 2. II. Pro bonis operibus Deo aguntur gratiæ non tantum quia ea ſuaſit proponendo tale vel tale objectum, in quod prævidit voluntatem conſenſuram, ſed etiam quia tribuit ipſum velle, & conſentire, & bene operari.

Probatio 3. III. In nullo gloriandum, quia noſtrum nihil eſt, ſed tantum in Domino: at verò ſi ſola perſuaſio vel gratiæ oblatio proveniat à Deo, noſtræ autem voluntatis ſit ad bonum determinatio & acceptatio, plurimum in nobis relinquitur in quo, tamquam in opere noſtro, gloriemur; cum tamen dicat Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. non habet homo unde glorietur, ſed omnis noſtra gloriatio in Chriſto eſt.

Probatio 4. IV. Ad virtutem humilitatis in ſe conſervandam expedit ut homo nihil boni in ſe agnoſcat niſi à Deo datum; juxta illud Apoſtoli; *quid habes, quod non accepiſti?* unde Sanctus Aug. lib. de dono perſeverantiæ cap. 13. ſic ait „hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc eſt „pium, hoc verum, ut ſit pia & „humilis confeſſio, & detur totum „Deo: prout pluribus locis manifeſtè ait Scriptura, præſertim Iſaiæ 26. *Deus omnia opera noſtra operatus eſt nobis.*

Probatio 5. V. Ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, quæ paſſim docet Deum per gratiam ſuam hominem corda convertere, aperire, & trahere ad ſe, non,

Digitized by Google

non cogendo, ſed ſuaviter & efficaciter movendo voluntatem. Unde S. Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. ſic ait „ non nolentem „ trahit Deus, ſed volentem; quia „ ipſo tractu volentem facit ex no- „ lente.

Probatio 6. VI. Ex orationibus Eccleſiæ: quidquid enim orando à Deo petimus, credimus & illum facere poſſe, & facturum ſperamus, & ut faciat exſpectamus; petimus verò à Deo non tantum internas ſuaſiones & illuſtrationes, quibus bona objecta proponit voluntati, ſicuti illi novit congruere ut ſequatur & velit, ſed & ipſum bonæ voluntatis conſenſum, acceptationem, & bona opera, & conſequenter ad hæc omnia efficax Dei operatio ſe extendit.

Probatio 7. VII. Ex eo quod omnia merita noſtra ſint Dei dona, juxta decantatiſſimam SS. Patrum ſententiam, item Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. ubi ait „ tantam Dei eſſe „ bonitatem erga homines, ut eo- „ rum velit eſſe merita, quæ ſunt „ ipſius dona; quod profectò non eſſet verum ſi Deus liberi arbitrii motum, quo meremur, in nobis efficaciter non operaretur.

Probatio 8. VIII. Ex diſcretione originaliter per Apoſtolum attributa gratiæ: *quis enim te diſcernit; quid habes? quod non accepiſti.* Si enim gratia tantum per modum cauſæ moralis, id eſt per modum ſuadentis & proponentis objectum moveat voluntatem ad conſenſum certò, ſequitur, quod non Deus per gratiam, ſed homo per liberum arbitrium ultimatè ſe diſcernat ab alio.

IX. Probatur ex abſoluta prædeſtinatione ante præviſa merita, ſi enim Deus non ideo hominem prædeſtinet, quia per ſcientiam mediam prævidet in eo aliquem bonum motum voluntatis, ſed abſoluto ſuo decreto ſtatuerit homini dare in tempore omne bonum, id eſt omnem gratiam pertinentem ad ſalutem, plane conſequens eſt ipſam gratiam quæ eſt prædeſtinationis effectus, prorſus eſſe independentem à conditione præviſæ cooperationis humanæ, utpote omnis cooperationis cauſam efficacem. Probatio 9.

QUÆSTIO II.
De Neceſſitate Gratiæ.

Nihil æquè ad Chriſtianam pietatem confert quam cognoſcere eminentiam & excellentiam illius medicinæ, quà ex morte & damnatione æterna, quam per peccatum primi parentis incurrimus, per Chriſtum verum animarum noſtrarum medicum, liberamur: eapropter, quemadmodum medici primò de morbo, & deinde remedio diſſerunt, ita & nos, poſteaquam in Tractatu de peccato Originali gravitatem & magnitudinem illius morbi inſpeximus,

Digitized by Google

ximus, quo omnes animæ vires læſæ, & adeò debilitatæ ſunt, ut in ordine ad quidpiam, quod ad veram pietatem ſpectat, ſint impotentes: ac in primis intellectus obtenebratus ad cognoſcendum verum, voluntas concupiſcentiis oppreſſa, infirma ad bonum; ac denique univerſa in deterius natura mutata ſit.

Hic opportunè agemus de neceſſitate remedii; quod, quibus non datur, in pœnam peccati non datur; quibus autem datur, miſericorditer per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum datur, dicente Apoſtol. ad epiſt. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.* Hæc eſt medicinalis Chriſti gratia, ex meritis ejus nobis communicata; ſine qua *non ſumus ſufficientes*, non dico aliquid facere, ſed nec *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*: cui proinde, quidquid ad vitam vel curationem animæ noſtræ pertinet, eſt tribuendum: & eapropter fides, ſpes, pœnitentia, timor Domini, &c. quibus à peccatorum vulneribus curamur, & ad gratiam filiorum Dei diſponimur, abſque dubio ad hanc medicinalem Chriſti gratiam pertinent; prout & omne illud quod ad ſalutem noſtram conducit: quamobrem omnia merita, mandatorum Dei obſervatio, & in iiſdem uſque ad finem perſeverantia, tamquam gratiæ Chriſti dona ſunt agnoſcenda. Quæ, quomodo ad ſingulos actus bonos ſit neceſſaria, in decurſu examinabimus.

DUBIUM PRIMUM.

An homo viribus naturæ ſuæ poſſit cognoſcere aliquod verum.

Poteſt homo viribus naturæ cognoſcere verum.

RESP. Affirmat. quia quælibet potentia, intra ſphæram ſuæ activitatis exiſtens, poteſt elicere aliquam actionem circa objectum ſibi proprium: unde ſicuti viſus ſine gratia poteſt elicere viſionem circa objectum viſibile; prout & auditus, circa objectum audibile; ita & intellectus ſine gratia poteſt cognoſcere aliquod verum intelligibile: quod patet Sap. 13. ubi dicitur; *à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Et ad Roman. 1. *Invisibilia ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Et horum ratio eſt; quod ejuſmodi veritates naturales non egrediantur naturalem vim aut activitatem ipſius intellectus: quod verum eſt, ſive veritates illæ ſint ſpeculativæ, ſive practicæ: non tamen

men quaſi intellectus omnes ejuſmodi veritates collectivè,ſeu ſimul ſumptas, ſimul poſſit cognoſcere; nam hoc partim ob intellectus imbecillitatem, partim ob ſenſuum corruptionem & defatigationem, quorum tamen adminiculo intellectus indiget ad cognoſcendum verum naturale, non poteſt: non tamen quaſi excedant latitudinem objecti intellectus.

Non tamē omnes veritas collectivè ſumptas

Prout nec omnes practicas.

Et quod ſpecialiter attinet ad veritates practicas, quamvis ille quam plurimas poſſit cognoſcere ſine adjutorio divinæ gratiæ, quales ſunt hæ; parentes honorandi, ſuum cuique reddendum, &c. non tamen omnes ita poterit aſſequi in hoc ſtatu naturæ corruptæ: & hoc ideo, quod illæ ut plurimum pendeant ab imperio ipſius voluntaris; quippè cum, ut dici ſolet, *Qualibet judicet ficut eſt affectus*; qui affectus cum frequenter ſit corruptus contingit quoq; intellectum frequenter falli in formando judicio practico, niſi adſit adjutorium gratiæ.

Objectio 1.

Dices, homo per peccatum originale accepit in intellectu vulnus ignorantiæ; ergo non poteſt ullas veritates naturales ſine adjutorio divinæ gratiæ cognoſcere.

Reſp. negando conſequentiam: ſicuti enim ex eo, quod aliquis ſit vulneratus aut infirmus, bene ſequitur quod non poſſit omnia quæ potuit exiſtens ſanus & vegetus; poteſt tamen adhuc aliqua viribus infirmæ naturæ ſuæ proportionata: ita pariformiter dicendum de intellectu vulnerato, quod non poſſit omnia, ſed aliqua.

Objectio 2.

Dices: 2 Apoſt. 2. ad Cor. 3. ait; *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Reſp. Apoſtolum eo loco agere non de quacumque cogitatione, ſed de ea quæ ſpectat ad pietatem & vitam æternam; qualis eſt omnis, quæ vel ordinatur ad gratiam juſtificationis, vel ad meritum vitæ æternæ: & ita explicat hanc Scripturam S. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 2. ubi ait; „quod ergo „pertinet ad religionem & pieta„tem, de qua loquitur Apoſtolus, „non ſumus idonei cogitare ali„quid ex nobis.

Objectio 3.

Dices; poſſumus Deum orare ad quodcumque verum cognoſcendum, & hoc cognito, illi gratias agere; ergo ad illud prærequiritur gratia Chriſti. Antecedens patet ex communi praxi fidelium, qui pro ſimilibus veritatibus cognoſcendis Deum orant; prout & pro pluvia, pro ſanitate, pro aura, & aliis rebus naturalibus; oratio autem eſt clariſſima gratiæ teſtificatio, ut ait S. Aug. Epiſt. 95.

Quâ ratione bona temporalia ad gratiā quæ per Chriſtū

Reſp. ejuſmodi dona naturalia, prout ſunt cognitio alicujus veritatis naturalis, ſanitas, pluvia, &c; non pertinere ad gratiam Chriſti per ſe; attamen fideles ejuſmodi dona temporalia petere à Deo per Chriſtum, quatenus referuntur ad bona

Digitized by Google

datur pertinere poſſint. bona ſpiritualia, & ſignanter quatenus conducunt ad ſalutem; ſiquidem illa petunt quatenus ſunt media apta, commoda, aut neceſſaria ad promovendam ſalutem animarum: & hoc modo non dantur niſi per Chriſtum: eapropter quamvis in petitione ejuſmodi bonorum temporalium intentio boni ſpiritualis non ſemper exprimatur, ſemper tamen ſubintelligitur: atque hoc eſt quod dici ſolet in omni oratione quâ temporale bonum à Deo petitur, debere ſubintelligi hanc conditionem, ſi expediat ſaluti animæ.

Dices, Theologia per naturalem diſcurſum cognoſcit veritates Theologicas, quas tamen intellectus ſine Chriſti gratia nequit cognoſcere ob earum ſubordinationem ad articulos fidei, è quibus tamquam principiis deducuntur; ergo &c.

Reſp. in aſſenſu Theologico duo debere attendi; nempè bonitatem conſequentiæ, & veritatem ex principiis fidei illatam: illa innititur rationi, nempè arti dialecticæ; veritas verò quæ infertur, vel infertur tantum probabiliter;& tunc non indiget ſpeciali Chriſti gratiâ ad ſui cognitionem, eò quod fides non influat ubi poteſt ſubeſſe falſum: vel demonſtrativè deducitur ex principiis per fidem cognitis, & tunc indiget ſpeciali Chriſti gratiâ, nempe fidei, ad ſui cognitionem.

DUBIUM II.

An veritates ſupernaturales poſſint ab homine cognoſci ſine gratia Chriſti.

Prænotandum; veritatem ſupernaturalem tripliciter poſſe denominari talem: ſcilicet vel ex parte objecti materialis tantùm; vel ex parte motivi, ſeu objecti formalis tantum; vel ex parte utriuſque. Exemplum primi eſt, dum hæreticus ex motivo humano aſſentitur Myſterio SS. Trinitatis; objectum enim, quod eſt Myſterium SS. Trinitatis, manifeſtè eſt ſupernaturale. Exemplum ſecundi eſt, dum quis credit fide divinâ Deum eſſe, aut canem Tobiæ habuiſſe caudam; ſiquidem objectum materiale in ejuſmodi exemplis eſt naturale; objectum verò formale, ſeu motivum, eſt ſupernaturale. Exemplum tertii eſt, dum Catholicus fide divinâ credit Myſterium SS. Trinitatis. Veritas tripliciter appellatur ſupernaturalis.

Prænotandum 2. objectum ſupernaturale poſſe viribus naturæ attingi, ſi motivum aſſentiendi ſit tantum naturale: ratio eſt, quia prout ſubeſt objecto formali, non eſt formaliter ſupernaturale, ſed tantum materialiter: ſiquidem objectum conſtituitur formale in eſſe objecti per rationem ſuam formalem ſub qua attingitur, prout ſupra in exemplo vidimus.

Prænotandum 3. ad cognitionem

Duo requiſita ad cognitione veritatis ſupernaturalis.

veritatum ſupernaturalium duo requiri, unum ex parte objecti, quod ſit revelatum; alterum ex parte intellectus, nempè aſſenſum circa ejuſmodi veritatem, ad quem intellectus per Chriſti gratiam debet elevari. Quibus præmiſſis.

Dico 1. propoſitiones ſupernaturales, tam ex parte objecti, quam motivi formalis, nequeunt à nobis certò cognoſci ſine ſpeciali Chriſti gratia.

Probatur hoc ipſum ex Concil. Arauſic. 2. ex Millevitano. Et ex Trident. ſeſſ. 6 Can. 3. „ Si quis „ dixerit ſine prævenienti Spiritus „ S. inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, „ diligere, aut pœnitere poſſe, „ ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

Porrò ut quis credat ſicut oportet, & ſicut ad ſalutem eſt neceſſarium, neceſſe eſt eum credere firmiſſimè, ſeclusâ omni dubitatione, tamquam à Deo revelatum, & ex affectu pietatis in Deum; quo ſcilicet Deo ſe ſubjicit, volens illi hunc honorem tribuere, ut ille tamquam indubitata recipiat, quæ ipſe revelat.

Dico 2. veritates ſupernaturales ex parte objecti materialis tantum, poteſt homo aliquouſque, ſed non certò cognoſcere, illiſque aſſentiri ſine ſpeciali auxilio Chriſti; quod patet in exemplo hæretici ſupra allegato: & inſuper in dæmonibus, qui quidem *Credunt & contremiſcunt* Jac. 2. ſed non fide ſupernaturali, ſed vel experimentali, vel ex motivo aliquo naturali. præterea dum articuli fidei noſtræ ſufficienter alicui proponuntur tamquam credibiles per motiva & teſtimonia extrinſeca, cujuſmodi ſunt ſanctitas vitæ illorum qui illam prædicarunt, conſenſus populorum, qui illam aſſumpſerunt, miracula in ejus confirmationem facta, &c. habet is motiva naturalia ſufficientia, quæ illum inducant ad aſſentiendum; ſed hujuſmodi aſſenſus non erit fidei Chriſtianæ, ſed innitetur vel fidei humanæ, aut opinioni.

Dico 3. ad aſſentiendum alicui veritati ſupernaturali ex parte motivi formalis tantum, v.g. ad eſſentiendum huic propoſitioni, *Deus eſt*, ideo, quia prima veritas hoc revelavit, requiritur gratia ſpecialis Chriſti. Probatur ad Epheſ. 2. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt*.

Probatur hoc ipſum ratione; quia cum fides ſit prima diſpoſitio ad juſtificationem, imo illius radix & fundamentum, prout declarat Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & diſpoſitio debeat eſſe ejuſdem ordinis cum forma ad quem recipiendam diſponit ſubjectum, ſequitur illam debere eſſe ſupernaturalem, quia gratia juſtificans eſt ſupernaturalis.

Petes; an ad credendum ſupernaturaliter ſufficiat gratia ſupernaturalis

Digitized by Google

turalis elevans intellectum ad aſſenſum, an verò inſuper non requiratur auxilium ſupernaturale elevans voluntatem.

Reſp. Affirmat. quod eſt contra ſemipelagianos, qui, quamvis crederent nos ex parte intellectus non poſſe aſſentiri myſteriis fidei ſine adminiculo gratiæ ſupernaturalis, dicebant tamen initium fidei eſſe ex nobis, ſeu ex libero arbitrio; ſcilicet ipſum pium credulitatis affectum, ſeu piam motionem ipſius voluntatis, quâ imperat intellectui ad credendum.

Probatur hoc ex Concil. Arauſ. Can. 5. „ Siquis, ſicut augmentum, „ita etiam initium fidei, ipſumque „ credulitatis affectum, non per „ gratiæ donum, ſed naturaliter no„ bis ineſſe dicit; Apoſtolicis do„ gmatibus adverſarius approbatur.

Probatur hoc ipſum ex Actis Apoſt. cap. 16. in exemplo Lydiæ purpurariæ, *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.*

Probatur hoc ipſum ratione; quia cum objectum fidei ſit obſcurum, tam ex parte ſui, quam motivi; nullo modo poteſt convincere intellectum ad præbendum aſſenſum: unde neceſſe eſt ut voluntas tamquam domina imperet intellectui ad aſſentiendum, illumque captivet in obſequium fidei: hoc autem imperium, pia voluntatis motio communiter appellatur; quæ, cum habeat objectum ſupernaturale (ſiquidem objectum volitum ab illa motione eſt ipſe actus fidei formalis) expoſcit quoque auxilium ſupernaturale, quo elevetur ad dictum objectum ſupernaturale.

DUBIUM III.

An in ſtatu naturæ lapſæ poſſit homo facere aliquod opus moraliter bonum ſine Gratia Chriſti.

PRænotandum, duplex opus bonum ab Auctoribus diſtingui; ſcilicet opus bonum moraliter tantum, & aliud opus bonum ad ſalutem.

Opus moraliter bonum appellant, quod prævio rationis judicio procedit ex ſolis naturæ viribus; ita tamen ut verſetur circa objectum naturæ rationali conveniens, & nulla malâ circumſtantiâ vitietur. Opus bonum ad ſalutem appellant, quod procedit ab auxilio ſupernaturali, & verſatur circa objectum naturæ rationali conveniens, & nullâ malâ circumſtantiâ inficitur; quale eſt omne opus illud, quod, vel ad ſalutem diſponit, vel illam meretur: quibus præſuppoſitis,

Quid opus bonum ad ſalutem.

Quid moraliter bonum.

Dico 1. nullum dari poſſe opus moraliter bonum in individuo ſine gratia Chriſti, fundamentum hujus dedimus Tract. I. dub. 10. ubi latè & fusè deduximus quamcumque actionem humanam, ut ſit in individuo bona, & careat omni

Nullum datur opus bonum ſine gratia Chriſti Probatio 1.

 peccati

peccati maculâ, deberi referri actualiter, vel virtualiter in Deum tamquam in finem ultimum; quæ relatio, cum fieri nequeat ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis, ſequitur nullum poſſe dari opus moraliter bonum ſine gratia Christi: prout & conſequitur omne opus moraliter bonum pertinere ad ſalutem.

Probatio 2. Probatur 2. ex Scriptura S. 2. ad Corinth. 3. ubi ait Apoſt. *Non quod ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* nullum enim opus bonum fieri poteſt ſine prævia cogitatione, quippè ſine qua voluntas nequeat ſe determinare ad bonum: hæc autem cogitatio, ut patet ex citata Scriptura, datur ex gratia Christi.

Probatio 3. Probatur 3. ex Conciliis: & quidem 1. ex Concilio Paleſtino apud Dyoſpolim celebrato; in quo Pelagius fateri coactus fuit, gratiam Dei ad ſingulos actus dari. Id ipſum probatur ex Concil. Arauſic. 2. Can. 9. „quoties bona agimus, „Deus in nobis, atque nobiſcum, „ut operemur, operatur. Can. 22. „nemo habet de ſuo niſi menda„cium & peccatum: ſi quis autem „homo habet veritatem atque ju„ſtitiam, ab illo fonte eſt, quem „debemus ſitire in hac eremo.„ Eodem modo loquitur Cæleſtinus Papa in Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. dum ait; „omnia ſtudia „& omnia opera ac merita Sancto„rum, &c. divinæ gratiæ debent „adſcribi.

Probatur 4. ex Patribus, ſignanter Auguſtino, qui libro de Spiritu & littera cap. 3. ait „neque liberum arbitrium quidquam niſi ad „peccandum valet, ſi lateat veri„tas. Et lib. 2. ad Boniſacium cap. 8. „liberum arbitrium capti„vatum non niſi ad peccandum va„let: & Serm. 13. de verb. Apoſt. ſic ſcribit contra Pelagianos, qui dicebant gratiam Dei nobis dari ut facilius operemur, „non eſt, in„quit, hoc adjutorium Dei, non „hoc eſt adjutorium Christi, non „hoc eſt adjutorium Spiritus San„cti; prorſus ſi defuerit, nihil bo„ni agere poteris; agis quidem, „illo non adjuvante, liberâ volun„tate; ſed malè. & ſtatim ſubjungit „cum dico tibi ſine adjutorio „Dei nihil agis, nihil boni dico; „nam ad malè agendum habes ſine „adjutorio Dei liberam volunta„tem. Probatio 4.

Probatio 5. Probatur 5. hæc veritas ex orationibus eccleſiæ; nam ipſa pro quibuſcumque actionibus gratiam poſtulat: ſic enim Dominica VIII. poſt Pentecoſtem rogat „largire „quæſumus Domine ſemper Spi„ritum cogitandi quæ recta ſunt, „propitius & agendi. & Dominica XVI. „tua nos quæſumus Do„mine gratia ſemper præveniat, & „ſequatur; ac bonis operibus jugi„ter præſtet eſſe intentos. Et in „Litaniis; actiones noſtras quæ„ſumus

Digitized by Google

„ſumus Domine aſpirando præve„ni, & adjuvando proſequere, ut „cuncta noſtra oratio & operatio „à te ſemper incipiat & per te cœ„pta finiatur. Denique nos omnes fideles à Chriſto edocti & inſtituti, quotidie patrem cæleſtem oramus, cum dicimus, *Fiat voluntas tua*: hoc eſt, fac nos facere tuam voluntatem: quæ precatio ſanè vel ſola ſufficere poteſt ad demonſtrandum nos ad ſingulos actus bonos indigere auxilio divinæ gratiæ. Teſtatur id S. Auguſt. lib. de dono perſeuer. cap. 7. „ſi alia docu„menta non eſſent, inquit, ora„tio Dominica nobis ad cauſam „gratiæ, quam defendimus, ſola „ſufficeret; quia nihil nobis relin„quitur in quo, tamquam in no„ſtro, gloriemur.

Ratio autem probationis deſumpta ex precibus Eccleſiæ eſt manifeſta; quia fruſtra & ſtultè imo deriſoriè ab alio petimus, quod facere eſt in noſtra poteſtate, & ab alio non exſpectamus: prout declarat S. Auguſt. epiſt. 107. ad Vitalem, dum ait, „prorſus non ora„mus, ſed orare nos fingimus, ſi „nos ipſos, non illum credimus „facere quod oramus.

Probatur 6. Sexta ratio deſumitur ex gratiarum actione, quam Deo reddunt fideles pro bonis operibus, ſive à ſe ſive ab aliis factis: nam per hanc confitentur divini muneris eſſe totum illud, pro quo Deo gratias agunt: qui enim ageret gratias Deo pro eo quod ſuum eſſe putaret, & non Dei; is Deum potius deridere, quam illi gratias agere cenſeretur.

Probatur 7. Præterea nullum dari poſſe opus morale ex omni circumſtantia bonum ſine auxilio divinæ gratiæ plures antiquiores Scholaſtici docuerunt: & inter cæteros Gerſon tractatu de vita ſpirituali alph. 61. littera 6. Carthuſianus in 1. Sentent. diſt. 17. Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 1. 8.

Probatur 8. Denique ſi poſſet homo ſuis viribus ſine auxilio gratiæ Chriſti aliquod opus moraliter bonum facere, poſſet quoque ex ſe præbere aliquod initium gratiæ obtinendæ: nihil enim obeſt quo minus Deus ex gratitudine pro hiſce operibus gratiæ ſuæ dona rependeret: nec obſtat ejuſmodi hominem eſſe Dei inimicum, nam poteſt quis eſſe gratus inimico ſuo ſi ab eo aliquod obſequium vel beneficium accipiat: hoc verò non eſſe concedendum patet ex errore Semipelagianorum, & Maſſilienſium; qui dicebant, per quædam opera moraliter bona, viribus naturæ noſtræ facta, initium dari gratiæ à Deo obtinendæ: quorum errorem confutans Concil. Arauſic. Can. 6. ut omne initium gratiæ ex nobis exſtirparet, omnia ſtudia & opera noſtra in Deum auctorem vult referenda, & hominem viribus naturæ ſuæ nullum bonum opus morale facere concedit.

Dices;

Digitized by Google

Objectio 1. Dices; natura humana non eſt per peccatum totaliter corrupta; ergo nihil vetat hominem per naturæ vigorem, qui adhuc remanſit, facere aliqua opera moraliter bona. Antecedens probatur ex S. Auguſtino lib. de Spiritu & littera cap. 28. his verbis. „Verumtamen quia non uſque adèo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, „ut nulla veluti in ea lineamenta „extrema remanſerint; unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere.

Reſp. negandò conſequentiam; quia nec dæmones quoque perdiderunt totum bonum naturæ; ex quo tamen non ſequitur illos aliquod bonum opus poſſe efficere. Quod ad locum S. Auguſt. attinet, inde tantummodo probatur, quod in ſtatu naturæ corruptæ ſine Dei gratia poſſint adimpleri aliqua virtutum opera ex objecto & ſubſtantia bona; idque ex motivo alicujus naturalis honeſtatis, quæ tamen erunt extrinſecè mala, ob defectum relationis ad Deum tamquam ad ultimum finem, dicente S. Auguſt. lib. 4. contra Julianum „in hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad illum finem opera ſua retulerunt, ad quem referre „debuerunt.

Objectio 2. Dices; Deus nulla opera peccaminoſa remuneratur, ſed potius punit; ſed Scriptura Sacra aſſerit diverſa opera infidelium, quæ non fuerunt relata ad finem ultimum, à Deo fuiſſe remunerata; ergo hæc, defectu iſtius relationis non ſunt peccata. Subſumptum probatur; quia beneficium ab obſtetricibus Ægyptiis præſtitum Iſraëlitis per mendacium, remuneratus eſt Deus ædificando illis domus. Exodi 1. ita quoque Ezech. 29. Nabuchodonoſor Rex Babylonis, operis ſui iniqui mercedem à Deo accepit. Et S. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap. 15. ait, Deum Romanis infidelibus amplum dediſſe imperium, ut eorum virtutes in hac vita aliquam remunerationem haberent.

Reſp. negando ſubſumptum; neque enim per opera, ſive ex ſe, ſive ex fine ſuo extrinſeco mala, peccatores merentur bona temporalia, nequidem de congruo: nam ut opus quocumque modo ſit meritorium alicujus boni, debet eſſe bonum ex omni parte; alioquin potius pœnam merebitur, quam boni remunerationem: unde ad id quod habetur Exodi 1. de obſtetricibus Ægyptiis, non remunerâvit in illis Deus mendacium; ſed ut Scriptura ait, *Quia timuerunt obſtetrices Deum*, ædificavit illis domos. Quod verò attinet ad Regem Nabuchodonoſor, rependit illi quidem Deus, ut habetur Ezech. 29. ſpolia Ægypti pro opera impenſa in expugnanda Tyro; quam expugnando licet peccaverat, utpote quam ſibi injuſtè ſub-

ſubjugaverat; tamen quamvis ignarus, in ratione inſtrumenti inſerviverat divinæ juſtitiæ in caſtigandis incolis Tyri; idcirco Deus dedit illi illa ſpolia, non tamquam mercedem iniqui ſui operis, ſed ut oſtenderet ſibi gratum fuiſſe effectum hujus divinæ præordinationis, ſcilicet expugnationem Tyri. nec refert quod in textu appelletur merces; ſiquidem ſic appellatur more humano. Quod ad Romanos attinet, inquit, S. Aug. „ receperunt ut „ ait Dominus, mercedem ſuam; „ nempè humanam gloriam, quam „ intendebant.

Objectio 3. Dices; Apoſt. ad Rom. 4. ait, Abraham habuiſſe opera bona profecta ex ſolis naturæ viribus; dum ait, *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.*

Reſp. negando antecedens; nam ut quis habeat gloriam apud homines, non eſt neceſſe opus eſſe abſolutè bonum; ſiquidem ex operibus ex objecto honeſtis, viriatis tamen malo fine (ut patet in operibus Romanorum) poteſt quis habere gloriam apud homines, & ita recipere mercedem ſuam, utique vanam gloriam.

Objectio 4. Dices, Apoſtolus ad Rom. 2. ait; *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ lege ſunt, faciunt*; ergo agunt bona ex ſolis naturæ viribus.

Reſp. negando conſequentiam; ſiquidem teſte S. Auguſt. lib. de Spir. & littera cap. 26. item lib. 4. contra Julian. cap. 3. id intelligi vult de gentibus ad fidem Chriſti converſis, & ex fidei gratia legem obſervantibus: ita ut ſenſus ſit, gentes quæ legem ſcriptam non habent, naturali ſuâ ratione pro lege ſcripta utentes, adjutâ tamen divinâ gratiâ, ea quæ legis ſunt faciunt; eapropter illud, *naturaliter*, in textu, non opponitur gratiæ, quaſi illam excludens, ſed legi ſcriptæ: unde S. Fulgentius lib. de gratia Jeſu Chriſti cap. 25. ait „ quem quidem Apoſtoli locum „ illi qui gratiæ Chriſti contradi„ cunt, gentibus incredulis aſſi„ gnare contendunt: inter quos Joannes Caſſianus, qui gratiæ Dei adverſarius, hunc locum ad illum finem allegavit Collat. 13. c. 12. ut initium bonorum operum ex nobis eſſe oſtenderet.

Objectio 5. Dices; doctrina hæc, quod nullum detur opus moraliter bonum ſine gratia Chriſti, contrariatur diverſis propoſitionibus in Bayo damnatis in quadam Bulla à Pio V. edita anno 1567. & à Greg. XIII. confirmata anno 1579. ad ſedandas contentiones in Academia Lovanienſi exortas; quarum propoſitionum tenor eſt iſte.

N. 29. „ Pelagianus eſt error dice„ re, quod liberum arbitrium valeat „ ad ullum peccatum vitandum.

Num. 30. „ non ſolum hi fures „ ſunt & latrones, qui Chriſtum „ viam, & oſtium veritatis & vitæ „ negant; ſed etiam quicumque

" aliunde, quam per Chriſtum, in " viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam " juſtitiam conſcendi poſſe dicunt, " aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem " poſſe, ſic ut in eam non incidat, " aut ab ea ſuperetur.

Num. 36. „cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, " hoc eſt, quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.

Num. 61. „ non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus alicujus liberi arbitrii bonus, ſive " non malus; & gratiæ Chriſti " injuriam facit qui ita ſentit, & " docet.

Explanatio Bullæ Pontificiæ.

Reſp. & dico 1. pro explanatione hujus Bullæ Pontificiæ, complures Doctores Theologos eam ſic interpretari, ut cenſeant aliquas propoſitiones in ea damnari, non propter doctrinam, quaſi illa contineret errorem; ſed ob ſolam cenſuræ acrimoniam, quam Michaël Bayus ſententiis oppoſitis adverſariorum inurebat; & hanc eſſe genuinam & germanam hujus Bullæ interpretationem cenſent Suares Tom. 1. de Gratia Proleg. 6. cap. 2. Turrianus Opuſ. de Gratia, titulo ſpeciali de hac materia. Mercatius, Toletus, & alii Societatis Jeſu Theologi.

Quid deſuper ſenſerit Ripalda.

Unus tantum, Joannes Martinez Ripalda Societ. Jeſu Theologus, omnes & ſingulas propoſitiones in Bulla contentas, ſeclusâ mordacitate cenſuræ, ob errores in doctrina contentos, damnatas eſſe aſſerit: qui nihil tamen ſolidi adfert, cur ei potius, quam Suari, Turriano, Mercatio, Toleto, Bellarmino, & tot aliis Societatis Jeſu Theologis, longè ipſo ſapientioribus, credere debeamus.

Quid deſuper ſenſerit Vaſquez aliique Societ. Jeſu Theologi.

Quod verò peculiariter attinet ad quatuor propoſitiones ſuprà recenſitas, Gabriel Vaſquez, unus è præcipuis Societat. Jeſu Theologis, dum hanc noſtram doctrinam tuetur, nullum ſcilicet dari opus moraliter bonum ſine gratia Chriſti 1. 2. quæſt. 109. diſp. 190. cap. 18. objicit ſibi ipſi has quatuor propoſitiones damnatas, & reſolvit hoc modo; ſi damnatio harum propoſitionum obeſſet huic noſtræ ſententiæ, obeſſet quoque ſententiæ aſſerenti, nulli tentationi, ne leviſſimæ quidem poſſe reſiſti ſine gratia Chriſti; quam tamen quoque tenet Bellarminus, qui optimè noverat damnationem illarum propoſitionum; quippe qui tunc temporis Lovanii habitabat, quando ejuſmodi contentiones inter Doctores fuerunt exortæ; & poſtea Romæ fuit, dum Bulla fuit edita, & confirmata.

Senſum hujus damnationis, ait Vaſquez, contuli cum Illuſtriſſimo Cardinale Toleto, qui auctoritate Apoſtolicâ miſſus eſt Lovanium pro hac Bulla recipienda; illumque probavit, & germanum eſſe dixit, propriaque manu ſubſcripſit, cujus ſubſcriptionis

prionis exemplar apud me adhuc eſt, ait Vaſquez. Qui proinde dictas propoſitiones, propter aſperitatem cenſuræ, ſolùm damnari aſſerit, prout & adhuc diverſas alias in dicta Bulla contentas: pro exemplo ſufficiat, ait Vaſquez, illa, quæ continetur num. 23. & eſt hæc „ cum Pelagio ſentiunt qui „ textum Apoſtoli ad Roman. 2. „ *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*, intelli„ gunt de gentibus fidei gratiam „ non habentibus „ quæ tamen, ut inquit Vaſquez, eſt Auguſtini, & omnium pæne SS. Patrum; qui cenſent dictum textum intelligi de gentibus fidei gratiam habentibus.

DUBIUM IV.

An homo ſolis naturæ viribus ſine Dei Gratia poſſit Deum diligere ſuper omnia in ſtatu naturæ corruptæ.

PRænotandum: Thomiſtas hic diſtinguere duplicem Dei amorem; unum nempe, ut finis naturalis; alium, ut finis ſupernaturalis. Dilectionem naturalem oriri dicunt ex conſideratione perfectionum naturalium; ſupernaturalem verò, ex conſideratione perfectionum ſupernaturalium, quas in Deo conſideramus & diligimus.

Docent 2. Deum amore naturali dupliciter poſſe diligi, perfecto nimirum, & imperfecto. Imperfectum, ajunt, conſiſtere in mero affectu complacentiæ erga Deum, quo homo ſibi complacet in perfectionibus divinis naturaliter notis; quem dicunt poſſe conſiſtere cum peccato mortali: perfectum Dei amorem, dicunt conſiſtere in efficaci Dei dilectione.

Tertiò docent; Deum imperfecto & inefficaci amore poſſe diligi in ſtatu naturæ corruptæ ſolis naturæ viribus ſine ullo adjutorio gratiæ Chriſti.

Quibus præmiſſis, quidquid ſit de diviſione amoris Dei in naturalem & ſupernaturalem, de qua inferius, nos inhærentes filo doctrinæ in ſuperiori dubio traditæ (nempe quod ullum detur opus moraliter bonum ſine gratia Chriſti) conſequenter dicimus, nullum dari actum amoris Dei ſine gratia quæ communicetur ex meritis Chriſti.

Probatur 1. omnibus rationibus & fundamentis quibus præcedenti dubio probavimus nullum dari opus moraliter bonum ſine gratia Chriſti.

Probatur 2. nullum opus ad ſalutem pertinens fieri poteſt ſine gratia, poſtulat enim hæc ut omne illud, quod ad illam obtinendam juvat, ſit ordinis ſupernaturalis; ſed dilectio Dei eſt opus maximè pertinens ad ſalutem; ergo fieri nequit ſine gratia Chriſti Hinc Joan. 14. ait Chriſtus; *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum*

veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Unde Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 3. „ Si quis dixerit ſine „ prævenienti Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur; Anathema ſit. Quod eiſdem pœne verbis in Conc. Arauſic. 2. can. 22. fuit definitum. Hoc prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea poſſit diligere Deum ſicut oportet, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit: unde & addit; prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Et infra ſubdit; ipſe nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.

3. Probatur omnibus Scripturæ locis, quibus charitas & dilectio appellantur donum Dei: Sic 1. Joan. c. 4. *Charitas ex Deo eſt* & ad Gal. 5. *Fructus Spiritus charitas, gaudium, &c.* ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.*

Objectio. Nec valet objectio per charitatem dictis ſcripturæ locis intelligi ſupernaturalem, non verò naturalem: cum enim in ſcriptura nuſquam inveniatur mentio ejuſmodi duplicis dilectionis, nulla poteſt eſſe ratio, ob quam dictâ diſtinctione illa teſtimonia eludamus. Adde quoque, cum SS. Patres de dilectione charitatis loquuntur, aſſeruntque eſſe donum Dei; eos hujus diſtinctionis numquam meminiſſe; ſed omnem dilectionem Dei, appellaſſe donum Dei. Et ita ſignanter S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei c. 16. item lib. 4. contra Julianum cap. 3. item lib. de Gratia & lib. Arbitrio c. 17. & 18. improbat ſententiam illorum, qui dicunt, dilectionem Dei in nobis eſſe ſine auxilio gratiæ. Qui præterea quamplurimis locis, docet, ad nullum opus veræ pietatis liberum noſtrum arbitrium valere ſine auxilio gratiæ per Chriſtum; ſed dilectio Dei, quâcumque tandem ratione conſideretur, eſt opus maximę pietatis & religionis; ergo &c. Hinc epiſt. 29. ait „ pietas eſt cultus Dei, qui præcipuè diligendo exhibetur. Et epiſt. 107. ait „ liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati „ gravitate perdidimus.

Objicies; poteſt homo in ſtatu naturæ corruptæ ſolis naturæ viribus Deum cognoſcere, dicente Apoſtolo; *à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poteſt creator horum inveniri*; ergo & ſic poterit amari.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod per peccatum originale magis ſit infirmata voluntas quam ipſe intellectus; eò quod per illam peccatum ſit perpetratum: unde nullatenus ſequitur, quidquid intellectus poteſt cognoſcere, poteſt voluntas amare.

Præ-

Digitized by Google

Non poteſt practicè judicari viribus naturæ Deum ſuper omnia debere diligi.

Præterea, eſto intellectus ſpeculativè & in genere poſſit Deum cognoſcere tamquam ſummum bonum ſolis naturæ viribus, non tamen poteſt practicè ſic judicare eum ſuper omnia eſſe diligendum; quale tamen practicum judicium prærequiritur ad Deum ſuper omnia amandum; quod viribus naturæ formari non poteſt, eò quod imperari debeat à bona & pia voluntate: unde patet quod voluntas ſit magis impotens ad proſecutionem boni, quam intellectus ad cognitionem veri, juxta illud *ſcio meliora, proboque, deteriora ſequor*.

Objectio

Dices; poteſt quis ſolis naturæ viribus patrem, matrem, conjugem, patriam, concubinam plus quam ſemetipſum amare, adeoque ſuper omnia; ergo eiſdem naturæ viribus poterit Deum amare ſuper omnia.

Homo deſtitutus gratia ſeipſum ſuper omnia diligit.

Reſp. & dico 1. eos qui pro patria, amicis, concubina, idolo, &c. mortem oppetunt, ordinariè vanam gloriam, au famam poſt mortem quærere, ſemper autem ſeipſos, & illa propter ſeipſos: ſicque non plus illa diligere, quam ſemetipſos: unde S. Auguſt. lib. de Patient. cap. 17. ſic ait „quemque iniquorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda duriorem, quantò in eo major eſt cupiditas mundi; & quemque juſtorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo eſt major charitas Dei; eò quod ut ait S. Auguſt. ad epiſt. ad Gal. „quod amplius delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.

Quod amplius delectat ſecundũ id operemur neceſſe eſt.

Dico 2. & licet quidem hoc admitteretur, quod quis ſolis naturæ viribus idolum, aut patriam, &c. poſſit magis amare quam ſemetipſum, moriendo pro illis; non inde tamen ſequi quod aliquis poſſit amare Deum viribus naturæ ſuper omnia: & ratio diſparitatis eſt, quod dilectio Dei ſuper omnia includat voluntatem obſervandi omnia Dei mandata, & per conſequens voluntatem vitandi omnia peccata hiſce præceptis oppoſita; prout & efficax propoſitum reſiſtendi omnibus tentationibus & concupiſcentiis contra inſurgentibus; quæ omnia ſolis naturæ viribus ſuperari non poſſunt; ſecus ſe res habet in dilectione alicujus creaturæ ſuper omnia, ad quod non requiritur ut omnis peccati affectus deponatur; quod tamen requiritur ad hoc ut Deus ſuper omnia diligatur.

Dilectio Dei ſuper omnia includit volũtatem obſervãdi omnia ejus mãdata.

Voluntas ſuo põdere ſemper fertur ad infima niſi per gratiã elevetur.

Præterea tanta eſt naturæ noſtræ ægritudo & infirmitas contracta per peccatum originale, ut voluntas pondere concupiſcentiæ continuò feratur deorſum in bonum ſenſibile, ſemetipſam non valens elevare ad bonum ſpirituale principaliter propter Deum, niſi per Dei gratiam adjuvetur & ſanetur: eapropter eo prorſus modo, quo oculus ægrotus minus eſt ca-

Digitized by Google

pax ad inſpiciendum majus lumen ſolis, quam minus lumen candelæ; ita voluntas ægrota minus capax eſt ad affectum boni majoris ſpiritualis, quam minoris ſenſualis.

Dices; poteſt quis ex ſolis naturæ viribus Deo optare ſuas perfectiones & attributa, etiam ipſam divinitatem, quod eſt Deum diligere ſuper omnia.

Reſp. negando antecedens pro poſteriori parte. Pro cujus explicatione.

Amor Dei alius affectivus alius effectivus

Notandum duplicem eſſe Dei amorem, nimirum affectivum, qui hæret in ſolis affectibus; & effectivum, qui tendit ad opera. Affectivus eſt ille quo voluntas ſibi complacet in perfectionibus divinis, gaudens Deum illas habere &c. Et hic amor non eſt ſuper omnia; quippè qui poſſit conſiſtere cum peccato mortali: patet hoc quandoque in homine luxurioſo, ebrioſo, avaro, &c. qui, cognoſcens Deum eſſe bonum infinitum, gaudet quod Deus honoretur; & econtra ægrè fert quod nomen ejus blaſphemetur, aut aliquâ injuriâ afficiatur, paratus etiam eapropter ſuſcipere duellum, hærens interim in cæno ſuarum voluptatum, ebrietatum, &c. Oriuntur nihilominus ejuſmodi pii affectus ex auxilio gratiæ per Chriſtum, quibus peccatores nonnumquam paulatim diſponuntur ad ſalutem. Porrò amor effectivus non tantum vult Deo bonum quod habet in ſe, ſed & nititur accuratè obſervare omnia ejus mandata, & fugere quidquid illis adverſatur: & hic poteſt eſſe appretiative ſummus; ſecus verò anterior.

Amor affectivus non ſemper eſt amor Dei ſuper omnia.

Luxurioſus, itẽ ebrioſus nõnum quã ſibi complacet in divinis perfectionibus.

Dices; propoſitio num. 14. à Pio V. & Gregorio XIII. in Bayo damnata ſic ſe habet „diſtinctio „illa duplicis amoris, naturalis „videlicet, quo Deus amatur ut „auctor naturæ; & gratuiti, quo „Deus amatur ut beatificator, eſt „vana & commentitia, ad illuden-„dum ſacris litteris,& plurimis ve-„terum teſtimoniis, excogitata; ergo diſtinctio hujus duplicis amoris, naturalis ſcilicet & ſupernaturalis ſubſiſtit, quippè per Pontifices aſſerta.

Diſtinctio duplicis amoris naturalis & ſupernaturalis quomodo admittẽda

Reſp. negando conſequentiam; ſiquidem, ut ait Vaſquez diſp. 194. cap. 4. Pontifex hic ſolum damnat auſterum nimis & ſeverum modum cenſurandi propoſitionem oppoſitam: de materia verò propoſitionis nihil definit. quod ſpectat ad duplicem illam diſtinctionem, nihil ibi agitur: quod quidem, niſi verum eſſet, dicere deberemus in ea propoſitione etiam damnari eos, qui aſſerunt Deum non poſſe amari amore amicitiæ ſine gratia; quorum tamen ſententia, ait Vaſquez, jam multò probabilior eſt in ſcholis: eapropter Pontifex tantum intendit prohibere cenſuram, quâ Bayus in ea propoſitione utebatur; quatenus ſcilicet nullatenus volebat admittere duplicem illam in Deo conſidera-

ſiderationem, ut auctoris naturæ, & ut auctoris gratiæ, quæ tamen merito notari non debet; eò quod plures graves Scholaſtici Thomiſtæ eâ utantur, & ideo cenſura tam inſolens & ſevera eſſet ſcandali occaſio.

DUBIUM V.

An aliqua tentatio ſuperari poſſit ſine auxilio gratiæ Christi.

Quid tentatio. Dico primo; tentatio non eſt aliud quam ſollicitatio ad peccatum.

Dico 2. cum Cardinale Bellarmino, & Gabriele Vaſquez, magis conſentaneè ad S. Scripturam, ad SS. Patres, & conſuetudinem fidelium eos loqui; qui dicunt nullam tentationem, nequidem leviſſimam, vinci poſſe ſine auxilio gratiæ Chriſti.

Ne leviſſima poteſt vinci ſine gratia Dei.

Probatio 1. Probatur 1. quia leviſſimam etiam tentationem comprehendit Chriſtus, nec ullam excluſit, quando docuit nos ſic orare Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem* & iterum adhortatio Chriſti Matth. 26. *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, ſatis oſtendit nulli tentationi ſine gratia poſſe reſiſti.

Probatio 2. Probatur 2. ad Roman. 8. ubi cum Apoſtolus enumeraſſet complures tentationes, ut anguſtias, famem, nuditatem, carceres &c. *In his omnibus*, inquit, *ſuperamus propter eum qui dilexit nos*: & 1. ad Corinth. 16. generaliter ſic loquitur *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Probatio 3. Hoc ipſum demonſtrant quamplurima teſtimonia ex Pſalmis deſumpta, quæ victoriam tentationum ſimpliciter Deo attribuunt; ita enim Pſalm. 17. dicitur, *In te eripiar à tentatione.* & 26. *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.*

Probatio 4. Eapropter Innocentius Papa epiſtola ad Concil. Carthag. apud Aug. epiſt. 91. ſic ait „ quotidiana „ præſtat ille remedia, quibus, niſi „ freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus „ errores; neceſſe eſt enim ut quo „ auxiliante vincimus, eodem rurſus non adjuvante, vincamur.

Eodem quoque modo loquitur Celeſtinus Papa in Epiſt. 1. ad Gallos cap. 6. „ nemo etiam Baptiſmatis gratiâ renovatus, idoneus eſt „ ad ſuperandas diaboli inſidias, & „ ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ „ converſationis acceperit: & epiſt. 91. apud S. Auguſt. „ ſuperbum eſt „ enim ut quidquam ſibi humana „ natura præſumat: & clamante Apoſtolo ad Eph. 6. *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum* & iterum Rom. 7. dicit, *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Eadem

Probatio 4. Eadem veritas probatur ex S. Auguſt. lib. de perfectione juſtitiæ, dum ait „ quiſquis negat nos orare " debere ne intremus in tentatio- " nem, negat autem hoc, qui con- " tendit ad non peccandum gratiæ " Dei adjutorium non eſſe neceſſa- " rium, ſed ſolâ lege acceptâ hu- " manam ſufficere voluntatem, ab " auribus omnium removendum " & ore omnium anathematiſan- " dum eſſe non dubito. „ quare & lib. 2. Confeſſ. cap. 7. ut oſtendat nullam nobis victoriam tentationum eſſe tribuendam, ait „ gratiæ " tuæ deputo & miſericordiæ quod " peccata mea tamquam glaciem " ſolveris; gratiæ tuæ deputo quæ- " cumque non feci mala. Et alio loco addit „ nullum enim eſt pec- " catum quod facit homo, quod " non poſſet facere alter homo, ſi " deſit rector à quo factus eſt ho- " mo.

Probatio 5. Eadem veritas manifeſtè probatur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ in ſuis quotidianis precibus nihil magis frequentat quam hunc verſiculum; *Deus in adjutorium meum in tende, Domine ad adjuvandum me feſtina*: cujus proinde adjutorium fideles fallaciter peterent, ſi putarent ſeſe propriis ſuis viribus tentationem vincere poſſe: prout irriſoriè Deo, pro quibuſcumq; tentationibus ſuperatis, gratias agerent, ſi putarent ſeſe ab eo contra illas non adjuvari.

Dices; plurimi gentiles Philoſophi libidines, avaritiam, ebrietates, & alia ſimilia vitia propriis viribus ſuperarunt quando ab illis tentabantur; ut patet in Diogene, Socrate, & aliis.

Qualiter gentiles ſuperaverint vitia. Reſp. negando antecedens; illi enim tantum clavum clavo repulerunt, ut dici ſolet, hoc eſt unum vitium ad quod tentabantur, alio fortiori ſuperarunt: & quidem tentationem ad aliquod vitium, habens annexam manifeſtam turpitudinem aut infamiam, gloriæ cupiditate vincebant, eo modo quo & defacto homines politici facere ſolent: quod non eſt vitia abſolutè ſuperare, ſed ab ipſis ſuperari: tunc enim propriè tentatio vincitur, quando ſuperatur ex Dei amore, dicente S. Aug. lib. 21. de Civ. Dei, cap. 26. " tunc rectè victa vitia deputanda " ſunt, cum Dei amore vincuntur.

Petes; an tentatio ad peccatum nequeat ſufficienter vinci amore honeſtatis naturalis virtutis oppoſitæ, v. g. tentatio luxuriæ, an nequeat vinci amore caſtitatis; aut tentatio ebrietatis, amore ſobrietatis.

luxuria nō vincitur ſolo amore caſtitatis. Reſp. negan: ibi ſiſtendo; cum enim non admittamus opus in individuo moraliter bonum, non poſſet ejuſmodi tentatio vinci, quin incideretur in aliud peccatum; eò quod amor caſtitatis aut ſobrietatis, ibi ſiſtendo, propter defectum relationis ad ultimum finem ſit peccata.

Dices; propoſitio 29. in Bulla Pii V. & Greg. XIII. damnata, ſic ſe habet,

Digitized by Google

ſe habet, quod fures ſint & latrones, qui docent tentationi ulli ſine gratiæ Chriſti adjutorio poſſit reſiſti; ſic ut in eam non inducatur aut ab ea non ſuperetur; ergo

Reſp. dictam propoſitionem non eſſe condemnatam, quaſi contineret erroneam doctrinam, ſed merè ob aſperitatem cenſuræ; nec enim inquit G. Vaſquez diſput. 190. capite 18. incuſatur Bayus quod hanc ſententiam ſequatur, ſed quod oppoſitam erroris arguat; ſicut incuſaretur, inquit, qui cenſeret hæreticam opinionem Thomiſtarum aſſerentium B. Virginem conceptam in peccato originali: non, inquam, damnaretur quod oppoſitam ſequeretur, ſed quod prædictam carperet ac morderet. Quod inſuper probat Vaſquez ex auctoritate Cardinalium Bellarmini, & Toleti, qui in eadem quoque ſententiâ fuerunt, ſcilicet nullam tentationem poſſe vinci ſine gratia Chriſti; & tamen hujus bullæ ambo optimè meminerunt, prout ſupra vidimus: ſciebant ergo condemnationem hujus articuli doctrinæ ſuæ non adverſari.

DUBIUM VI.

An Conſtitutus in ſtatu Gratiæ habitualis poſſit operari actionem aliquam bonam, nempè quæ ſpectat ad ſalutem & pietatem ſine novo auxilio Gratiæ actualis.

RESP. negat. probatur 1. ex c. 2. ad Philip. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate*: Probatur ſecundò ex orationibus Eccleſiæ, quibus juſti petunt à Deo fidei, ſpei, & charitatis augmentum: prout & dominica 8. poſt pentecoſten petunt, „ſibi à " Deo largiri ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius & agendi. & iterum dominica 12. poſt pentecoſten; ubi ita orat; „ Deus, de cujus " munere venit, ut tibi à fideli" bus tuis dignè & laudabiliter ſer" viatur &c.

Juſtus nequit facere actionē bonā ſine prævia gratia actuali.

Probatio 1.

Probatio 2.

Tertiò probatur; quia ſi ſufficeret gratia habitualis ſe ſolâ ad bene rectèque vivendum; ſequeretur quod unus juſtus poſſet ſe diſcernere ab alio juſto; quod eſt directè contra illud Apoſtoli 1. ad Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* ſiquidem ſi unus duorum eſſet operatus, & non alter; poſſet gloriari quod aliquid boni operis præ illo feciſſet, etſi non aliam à Deo gratiam quam ipſe accepiſſet: & ſic ille non in Domino ſed in ſe ipſo gloriaretur.

Sola gratia habitualis non ſufficit ad bene operandum.

Probatur 4. ex ipſa oratione

 domi-

dominicâ, in qua & juſti petunt à Deo ut faciant ejus voluntatem; non inducat illos in tentationem; illos liberet à malo; &c. quæ omnio fruſtra peterentur à juſtis niſi ad ſingula bona opera facienda, vel mala ſalubriter avertenda, actuali Dei gratiâ egerent.

Quintò probatur; quia licet juſtus ſit ſanatus per gratiam juſtificantem, tamen tamdiu quam degit in mortali corpore, remanet in illo fomes concupiſcentiæ, qui, niſi continuâ gratiæ coöperatione frangatur, adinſtar rabidi canis venenum ſuum exeret. Secundò, quia manet in intellectu tanta ſæpe obſcuritas, ut homo neſciat quid agendum, quid cogitandum, vel quid orandum ſit: inſuper varia occurrunt pericula peccandi, tantæque tentationes, ut, niſi homo per Dei gratiam corroboretur, non poſſet ſubſiſtere ſine lapſu. Et hinc ait Innocentius I. Pontifex; „neceſſe eſt, „ut quo auxiliante vincimus, eo „non adjuvante vincamur.

Sextò; nullus juſtus tam erit præſumptuoſus, ut bonum opus Deo adſcribat illo ſolo titulo, quia dedit illi gratiam habitualem; totum verò operis incrementum, veluti quod illa gratia ſit bene uſus hoc vel illud bonum agendo, ſibi adſcribat.

Dices; ſi auxilium actuale eſſet neceſſarium, hoc eſſet ad elevandas potentias noſtras in ordine ad productionem actuum ſupernaturalium v. g. credendi, ſperandi, diligendi, ad quos illæ ſufficienter videntur elevari per habitus infuſos fidei, ſpei, & charitatis

Reſp. illas quidem per dictos habitus ſufficienter elevari in actu primo, nempe ad poſſe, non tamen in actu ſecundo, videlicet ut eas actualiter faciant & operentur.

Dices; poteſt homo juſtus elicere actus fidei, ſpei, & charitatis quando vult; ergo ad hoc non indiget auxilio aliquo actuali.

Reſp. negando conſequentiam; quia juſtus non volet niſi quando Deus faciet ipſum velle; ſiquidem præparetur voluntas à Domino, qui facit ut homo velit bonum; dicente Auguſt. lib de Correp. & gratia cap. 12. „tantum Spiritu S. accenditur voluntas eorum; ut ideo „poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic „velint, quia Deus operatur ut velint. Et cap. 16. ejuſdem libri ait, „certum eſt nos facere, cum facimus; ſed ille facit ut faciamus, „præbendo vices efficaciſſimas voluntati, qui dixit, *faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis.*

DUBIUM VII.

An homo juſtus in ſtatu naturæ lapſæ indigeat ſpeciali auxilio ad perſeverandum.

Reſp. Affirm. quia indiget dono perſeverantiæ; quod non eſt aliud, quam ſpeciale auxilium, dans homini

Digitized by Google

homini juſto actualem ſine interruptione continuationem in ſtatu gratiæ ſanctificantis uſque ad finem vitæ; quod donum perſeverantiæ eſt aggregatum ex pluribus Chriſti beneficiis gratuitis, quibus homo juſtus, Deo illum protegente, dirigente, & conſervante in ſtatu gratiæ uſque ad finem vitæ perſeverat: ut verò quis uſque in finem vitæ ſic perſeveret, oportet illum ſervare omnia Dei mandata, omnes tentationes incidentes vincere, aut certè ab illis præſervari; quod probatur primò ex ipſis Eccleſiæ orationibus, quibus petimus perſeverantem in Dei voluntate famulatum; prout quoque in ſacrificio Miſſæ; in oratione ante communionem, ubi petimus ut Deus numquam permittat eos ſeparari à ſe; nugatorium verò eſſet aliquid petere à Deo, cujus ipſe non eſſet dator: hinc S. Auguſt. libro de dono perſeverantiæ cap. 2. „cur " inquit, perſeverantia iſta poſcitur à " Deo, ſi non datur à Deo? an non " iſta irriſoria petitio eſt, cum id à " Deo petitur, quod ſcitur ipſum " non dare; ſed ipſo non donante " eſſe in hominis poteſtate: ſicuti " deriſoria eſt illa quoque gratiarum actio, ſi ob hoc gratia agatur Deo, quod ipſe non donavit vel fecit.

Idem probatur ex Conc. Arauſ. Can. 10. ubi ait, „adjutorium Dei " ſemper etiam renatis, & ſanctis eſt " implorandum, ut ad finem bonum " pervenire, vel in bono, poſſint " opere perſeverare. Idem probatur ex Trid. ſeſſ. 6. Can. 22. „Si quis " dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo " non poſſe: anathema ſit.

Dices; ſi donum perſeverantiæ ſit neceſſarium ad perſeverandum uſque ad finem; ergo non omnes juſti poſſunt perſeverare uſque ad finem; eò quod non omnes habeant donum perſeverantiæ.

Reſp. negando conſequentiam; quia illud auxilium, non eſt neceſſarium ad poſſe perſeverare, ſed ad actu perſeverandum; ſiquidem ad poſſe propinquè ſufficit aliquem eſſe in gratia habituali: nam ut ait Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. „in Dei " auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent: " Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ " defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle " & perficere.

Dices; poteſt contingere quod juſtus ſtatim moriatur poſt acceptam gratiam habitualem; & conſequenter nullam habeat gratiam actualem; ut patet in parvulis, qui poſt Baptiſmum ante uſum rationis moriuntur; ergo non omnis juſtus opus habet auxilio actuali ad perſeverandum.

Reſp. negando conſequentiam; & dico juſtum, qui ab acceptâ juſtitia ſtatim moritur habuiſſe donum perſeverantiæ; ſiquidem illud eſt

Dei gratia, quod tunc aliquis ſubſtrahatur ex hac vita, quando erat in ſtatu gratiæ; nec ſit paſſus tentationes diabolicas & laqueos diaboli: ad exemplum parvulorum reſpondeo, hoc illos habere ex Dei gratia quod migrent ex hac vita ante uſum rationis; adeoque quod gratia ſanctificans in Baptiſmo illis collata uſque ad finem in ipſis perſeveret.

Dices; Deus hominem juſtificatum non deſerit, niſi prius ab ipſo deſeratur, ut habet Trid. Seſſ. 6. c. 11. ergo eſt in poteſtate hominis juſtificati per gratiam habitualem in juſtitia perſeverare, abſque alio auxilio actuali ſuperadito per Deum dando; nam alioqui hoc auxilium denegans Deus, prius deſereret hominem.

Quo ſenſu dicatur Deus hominẽ non deſerere.

Reſp. negando conſequentiam; quia ſenſus Tridentini eſt, quod Deus gratiam ſanctificantem nemini tollat, niſi ipſe prius Deum deſerat peccando mortaliter: quod inde patet, quia ille ſimpliciter tantum dicitur Deum deſerere, qui ab eo tamquam fine ultimo avertitur, creaturam creatori præponendo: unde nemo dicit, quod juſtus venialiter peccans deſerat Deũ; ac conſequenter nec videtur dicendum, quod Deus juſtum abſolutè deſerat, quando non dat ei auxilium actuale quo evitet peccata venialia.

Dices; Deus tunc deſerit juſtum, quando permittit ipſum labi in peccatum aliquod mortale; quia illa permiſſio antecedit peccatum mortale, & ante peccatum patratum juſtus abſolutè necdum deſeruit Deum.

Reſp. nec hoc caſu Deum abſolutè deſerere juſtum; quia quamdiu juſtus non deſerit Deum, actu peccando mortaliter, Deus adhuc manet in illo, juxta illud 1. ad Corinthios 3. *neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

Petes; an omnes juſti poſſint in accepta gratia habituali perſeverare, ſi velint.

Reſp. affirmativè, quod eſt de fide; intelligendo particulam, *ſi velint*, de bona voluntate quam habere poſſunt per Dei gratiam, non verò ex ſe ipſis. Quod probatur: quia Scriptura Sacra præcipit omnibus juſtis perſeverantiam; cum ergo Deus nihil præcipiat impoſſibile; ſequitur omnes juſtos poſſe perſeverare; quatenus videlicet eſt in poteſtate juſti quod ipſe per Dei gratiam poteſt habere & obtinere a Deo; ſic enim in hominis poteſtate eſt habere auxilium ad perſeverandum uſque ad finem vitæ, neceſſarium; quatenus illud poteſt impetrare à Deo per jejunia, eleëmoſynas, orationes; de quibus copioſè diſſerit Sanctus Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. & 7. & concludit in hoc ſenſu „ nemo dicat quod homo „ illa à Deo non poſſit obtinere, „ quæ ipſe voluit aut juſſit à ſe peti; ſed

Digitized by Google

ſed Deus voluit & juſſit ut omnes à ſe peterent donum perſeverantiæ; ergo omnes poſſunt obtinere auxilia ad perſeverandum neceſſaria.

Dices; ad orandum quoque eſt opus divinâ gratiâ, dicente Aug. Epiſt. 105. „ quod ipſa oratio inter „ gratiæ munera reperiatur: & affirmat Cæleſtinus Pontifex in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ c. 9. dum ait „ quod ita Deus in cordibus „ hominum, atque in ipſo libero „ operetur arbitrio; ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſ„ que motus bonæ voluntatis ex „ Deo ſit; ſed non omnes juſti habent illam actualem gratiam orandi; ergo &c.

Reſp. concedendo ſubſumptum: dico tamen illis non eſſe impoſſibile orare; quia quilibet juſtus habet gratiam ſanctificantem, quâ mediante poteſt obtinere auxilia ad orandum neceſſaria: ut verò actualiter oret, opus habet adjutorio actuali; quod ſi non oret, ſuâ culpâ non orat: & ulterius, ne quis ſapere velit plus quam oportet, & quæ ſunt inſcrutabilia perſcrutari, meminiſſe oportet, quod perditio noſtra ex nobis ſit, ſalus autem noſtra ex Deo.

Dices; ſi juſtus poſſit perſeverare in Dei gratia, ſi velit, non oportet recurrere ad inſcrutabilia Dei judicia; quando petitur, cur uni detur perſeverantia, & alteri non detur; ſed reſolutio in promptu erit; nempe hæc, ille perſeveravit, quia voluit; ille non perſeveravit, quia noluit.

Reſp. neg. antecedens: quamvis enim ſi quæratur, cur iſte voluerit perſeverare, & iſte noluerit, rectè reſpondeatur, quod volitionis iſtius cauſa fuerit prava voluntas, quâ v.g. voluit inhærere vanæ gloriæ, & inde contigerit illum labi in peccatum mortale: tamen ubi quæritur ultimatè, cur Deus permiſit ut ille conſentiret vanæ gloriæ, & tandem laberetur in peccatum mortale; hic non ultra; ſed reprimenda venit humana curioſitas, & exclamandum, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & quis conſiliarius ejus fuit.* E converſo verò, ſi quæratur; cur alter divinæ gratiæ deeſſe noluerit, ſed illi uſque ad finem vitæ voluerit cooperari, ultimata cauſa in Deum ejuſque gratiam eſt referenda; non verò in propriam juſtificati voluntatem: hinc S. Aug. lib. de dono perſeverantiæ c. 8. „ Ex duobus æqualiter „ impiis; cur iſte ſic vocetur ut vo„ cantem ſequatur; ille autem non „ ſic vocetur ut vocantem ſequa„ tur, inſcrutabilia ſunt Dei judicia: „ inſuper ex duobus piis, cur huic „ donetur perſeverantia uſque in „ finem, illi autem non donetur, „ inſcrutabilia ſunt judicia Dei.

Petes; an omnes juſti habeant donum perſeverantiæ.

Reſp. neg. nam cum illud habeat conjunctam actualem conti-

nuationem ſine interruptione in ſtatu gratiæ uſque ad finem vitæ nec omnes juſti uſque ad finem vitæ in accepta juſtitia perſeverent, patet non omnes eos habere donum perſeverantiæ.

Petes; à qua juſtitia inchoetur donum perſeverantiæ, & an forſan à prima juſtificatione.

Reſp. non ſemper à prima; eò quod contingat multos prædeſtinatos, quibus illud donum eſt proprium, adeoque quibus ſolis contingit uſque ad finem vitæ perſeverare, in ſtatu gratiæ nonnumquam excidere à prima, item ſecunda, tertia, vel quarta juſtificatione: unde dicendum eſt, donum perſeverantiæ inchoari ab illa juſtificatione, quam juſtificatus ſine interruptione retinet uſque ad finem vitæ.

Petes; an donum perſeverantiæ ſit idem quod confirmatio in gratia.

Reſp. negativè; quia confirmatio in gratia ſuperaddit quamdam inflexibilitatem ad peccandum; non quidem abſolutam, quaſi faciat hominem ſimpliciter impeccabilem (nam B. Virgo item Apoſtoli, qui omnes dicuntur fuiſſe confirmati in gratia, liberè ſervaverunt Dei mandata & ſervando fuerunt meriti; quinimo ipſe Apoſtolus Paulus, qui erat vas electionis, de ſe ipſo loquitur 1. ad Cor. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*) ſed ſecundum quid, faciendo ſcilicet ipſum juſtificatum ita fixum in bono, ut non poſſit niſi difficulter peccare; illa firmitas autem, ſeu impeccabilitas ſecundum quid, partim provenit à principio intrinſeco nimirum gratiâ habituali, aſſiduâ contemplatione, & fervore charitatis, ſiquidem mens ſimilium animarum quaſi aſſiduo fertur in Deum, quantùm corporis imbecillitas patitur, partim à principio extrinſeco, nempe auxilio divino & particulari ejus aſſiſtentiâ quaſi continuâ,

Petes; quid ergo ſit confirmatio in gratia.

Reſp. Eſt auxilium divinum reddens juſtum in gratia firmum ac ſtabilem, & ſecundum quid impeccabilem.

Petes; an auxilium iſtud, quod homini datur ad actualiter perſeverandum uſque ad finem vitæ, quod uno verbo vocatur donum perſeverantiæ, ſecundum ſe pendeat à cooperatione liberi arbitrii.

Reſp. negativè; ſive illud ſpectetur in actu primo, ſive ſecundo: ratio eſt, quia cooperatio liberi arbitrii eſt effectus iſtius doni perſeverantiæ; quippe quod ſuâ efficacia facit, quod liberum arbitrium actualiter operetur: porro cum efficacitas cauſæ efficientis non pendeat ab effectu quem producit, ſequitur donum perſeverantiæ nullam habere dependentiam à cooperatione liberi arbitrii: & ſane ſi efficacia-

cacia doni perſeverantiæ penderet à bono uſu liberi arbitrii, quem Deus prævidit; ſequeretur quod donum iſtud ſolum tribuat prædeſtinatis per Chriſtum poſſe perſeverare, ſi velint; ipſum verò actualiter perſeverare eſſe ad ipſo homine: quod inde ulterius patet, quia juxta ſuppoſitionem, donum perſenerantiæ non eſt efficax prout procedit à Deo, aut à decreto divinæ voluntatis, antecedenter ad prævíſum bonum uſum liberi arbitrii ſub conditione futurum: ex quo conſequenter ſequitur, quod illud, independenter ab uſu liberi arbitrii conſideratum, non det voluntatem perſeverandi, nec faciat actualiter perſeverare; ſed tantum tribuat poſſe perſeverare, ſi velit; ergo illa bona voluntas, quæ previdetur futura tribuit illi auxilio rationem formalem doni perſeverantiæ quo quis pèrſeverat uſque in finem & per conſequens, auxilium iſtud habet rationem doni perſeverantiæ ab homine, & non à Deo; quia neque eſt Deus, neque ejus auxilium quod facit ut homo velit perſeverare & actualiter perſeveret; ſed potius eſt ipſe homo à cujus previsâ cooperatione dependet, ut auxilium, quod Deus illi tribuit, ſit efficax. Præterea ſi efficacia doni perſeverantię vel alterius gratiæ actualis penderet ex previsâ cooperatione liberi arbitrii, illa efficacia deberet potius tribui divinæ præſcientiæ, quam divinæ omnipotentiæ: cui tamen poſteriori attributo Scriptura S. omnem efficaciam tribuit: patet dicta conſequentia, quia illa efficacia inniteretur Divinæ ſcientiæ, quâ certò & infallibiter prævidetur inclinatio voluntatis ad cooperandum ſi hoc vel illo modo, in his vel illis circumſtantiis illa excitetur; cum tamen præſcientia, in quantum talis, non ſit activa. Quibus omnibus attentis patet, quod efficacia doni perſeverantię, item vis & virtus cujuſcumque alterius actualis gratiæ movendi voluntatem, & efficiendi ut liberè velit & conſentiat, conveniat illi independenter à cooperatione liberi arbitrii; atque adeo antecedenter ad liberam noſtram cooperationem, ut præcognitam per ſcientiam mediam.

Hoc tamen notandum, quod effectus doni perſerantiæ, qui in adultis comprehendunt omnes actus liberos & bonos, in quibus uſque ad finem perſeverant, procedant omnes efficienter à libero arbitrio, attamen per auxilium divinæ gratiæ.

DUBIUM VIII.

An gratia Dei actualis ſit neceſſaria ad ſingulos actus.

GRatiam dari ad ſingulos actus bonos, definitum eſt à Patribus in Concil. Palæſtino contra Pelagium.

Pelagium hæreticum; cujus acta, eſto hodie non exſtent, verba tamen, definitionem hujus dogmatis continentia, exſtant apud S. Auguſtinum epiſt. 106. ad Paulinum: ubi recenſet duodecim articulos, quos Pelagius coactus eſt revocare, ne alioqui tamquam hæreticus damnaretur: inter quos ſeptimus erat „ gratiam Dei non ad ſingulos " actus dari: quæ definitio, cum condemnatione Pelagii, & Celeſtii tamquam hæreticorum, poſtmodum repetita eſt in Concil. ducentorum & viginti quatuor Epiſcoporum, & conſcripta his verbis " conſtituimus in Pelagium, atque " Celeſtium, per venerabilem Epiſ" copum Innocentium, de beatiſſi" mi Apoſtoli Petri ſede prolatam " manere ſententiam, donec aper" tiſſimâ confeſſione fateantur gra" tiâ Dei per Jeſum Chriſtum Do" minum noſtrum, non ſolum ad " cognoſcendum, verùm etiam ad " faciendum juſtitiam, nos per actus " ſingulos adjuvari: ita ut ſine illa " nihil veræ ſanctæque pietatis ha" bere, cogitare, dicere, agere va" leamus. quæ verba leguntur apud S. Proſperum lib. contra Collatorem cap. 10. & fuit illud Concilium in Africa habitum, à ſede Apoſtolica approbatum: ut ſcribit idem S. Proſper in reſponſione 8. ad Capitula Gallorum.

Eapropter tenendum eſt, gratiam ad ſingulos actus bonos dari; hoc eſt, quod homini ad omnes & ſingulas pias ſeu ſalutares actiones exercendas, neceſſaria ſit nova aliqua graria actualis; ita ut per actum bonum non intelligatur is qui ſolum moraliter bonus eſt, ſed qui ad ſalutem vitæ æternæ pertineat, ſeu qui conducat ad vitam æternam obtinendam, de quo Chriſtus ait Joannis 14. *Ego ſum via veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, niſi per me*: Et per gratiam actualem intelligatur illa, quæ datur homini per Chriſtum, ſive ex meritis Chriſti; beneficia autem quæ dantur per Chriſtum, initium habent à fide; prout S. Auguſt. & S. Proſper ſæpè teſtantur: eapropter id, quod præcedenti dubio diximus de juſtis: in hoc, generaliter affirmamus, tam de cathecumenis, quam de fidelibus bonum aliquod ſalutare, ſeu ad ſalutem conducens cogitantibus, volentibus, agentibus; quod nihil eorum faciant, niſi ad ſingulos actus ipſis detur nova aliqua ſpecialis gratia actualis ſupernaturalis per Chriſtum.

Probatur primò, omnibus eiſdem rationibus, quibus ante probavimus in hominibus juſtis ultra gratiam habitualem neceſſariam eſſe gratiam actualem ad quemcumque actum bonum.

Secundò probatur Iſaiæ cap. 26. his verbis *Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine.* Hinc Celeſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap. 5. gratiam Chriſti vocat aſſiduum adjutorium; quem ſen-

ſum

ſum clarius expreſſit Soſimus Papa, in Epiſtola ad univerſos orbis terrarum Epiſcopos, dicens „ omnia bona ad ſuum actorem ſunt " referenda unde naſcuntur (quod ergo tempus intervenit quo Dei non egemus auxilio ?) in omnibus " igitur actionibus, cogitationibus, " motibus adjutor, & protector " orandus eſt: ſuperbum enim eſt, " ut quidquam ſibi natura humana " præſumat &c. Ad quem Pontificem reſcribentes Epiſcopi Africani, ſuam quoque de gratiâ, ad ſingulos actus neceſſariâ, declarant ſententiam his verbis „ præparatur " voluntas à Domino, & ut boni " aliquid agat, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda " fidelium ; quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt, " ut nec noſtrum deeſſe cenſeamus " arbitrium, & in bonis cujuſque " voluntatis humanæ ſingulis motibus illius valere non dubitemus " auxilium. Breviſſimè verò hæc omnia complectitur S. Leo Papa I. his verbis „ quoties bona agimus, " Deus in nobis, atque nobiſcum " operatur.

Tertiò probatur ex orationibus fidelium, præſertim Oratione Dominica, quæ, inquit S. Aug. lib. de dono perſeverantiæ „ ſi alia non " eſſent documenta, ſola ſufficeret " ad cauſam gratiæ, quam defendimus; quia nihil nobis relinquitur, in quo, tamquam in noſtro, " gloriemur.

Quartò probatur hoc ex illis orationibus Eccleſiæ; ſignanter ad Primam: hinc etiam eſt quod ab eccleſia tam frequenter repetatur ſingulis diebus iſte verſiculus *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtinà*: qui profecto fruſtra diceretur, prout & fruſtra peteretur auxilium, niſi ad ſingula bona opera facienda, & mala avertenda actuali Chriſti gratiâ egeremus juxta illud dictum S. Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. „ non poſcerentur a Deo " quæ præcipit fieri, niſi ab illo donaretur ut fierent: quid enim ſtultius quam orare ut facias, quod in " tua habeas poteſtate ? Hoc argumento, ex orationibus Eccleſiæ deſumpto, utitur Celeſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ c. 10. ut doceat à nobis agnoſci oportere neceſſitatem divinæ gratiæ ad ſingulos actus: adeo ut, quemadmodum ait „ legem credendi faciat lex " ſupplicandi; id eſt, ex orationibus & ſupplicationibus eccleſiæ diſcimus, quid de neceſſitate gratię ad bona opera, ſecundum fidem Catholicam nos credere oporteat.

Quintò probatur ex gratiarum actione, quam omnes fideles reddunt Deo pro omnibus ſuis bonis operibus; ſiquidem, per illam confitentur eſſe divini muneris totum illud pro quo Deo gratias agunt.

Sextò probatur ex pia fidelium conſuetudine, quâ omnium & ſingulorum

gulorum bonorum operum laudem & gloriam Deo adſcribunt, nec in alio quam in Domino gloriantur juxta illud 1. Cor. 10. *qui gloriatur, in Domino glorietur*: Et 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria*: Et ex antiquiſſimo eccleſiæ more quo terminantur omnes Pſalmi, hoc verſiculo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.*

Petes; qualis ſit illa actualis gratia, quæ eſt neceſſaria ad ſingulos actus.

Reſp. efficax; quæ nimirum facit ut faciamus, nos excitans, præveniens, & adjuvans; juxta illud Sancti Auguſt. lib. de peccatorum meritis cap. 18. „quod à Deo non „petimus, noſtrum eſt; & hæc „eſt voluntas mala; quod verò ad „Deum nos convertimus, niſi ipſo „excitante atque adjuvante non „poſſumus; & hæc eſt voluntas „bona: quid enim habemus quod „non accepimus? Quia vero Dei gratia dupliciter intelligi poteſt nos adjuvare, primò quatenus influit cum homine ſimul in bonum opus, abſque eo tamen quod influat in hominem 2. influendo, primò in hominem, ipſum movendo & faciendo ut agat, ac inſuper ſimul influendo in opus.

Notandum quandocumque Scriptura Sacra & SS. Patres loquuntur de adjutorio gratiæ adjuvantis, eos loqui juxta hunc poſteriorem modum.

DUBIUM IX.

An homo ſine auxilio gratiæ poſſit totam legem naturæ ſervare.

PRænotandum legem naturalem dupliciter poſſe adimpleri: ſemel quoad ſolam actus ſubſtantiam, videlicet quando ponitur actus ſecundum ſe præceptus; ut v.g. dum reſtituitur alienum, honorantur parentes, datur eleëmoſyna, ibi ſiſtendo: ſecundò quando ſervatur præceptum non tantum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum; quando ſcilicet actus qui præcipitur, non tantum fit, ſed inſuper eo modo fit, quo fieri oportet, ut puta, cum relatione ad Deum tamquam ad finem ultimum. *Lex naturalis bifariè attenditur ſemel quoad ſubſtãtiam & ſemel quoad modũ.*

Quod verò dicta diſtinctio ſit admittenda, patet ex Articulo inter Bayanos damnato à Pio V. & Gregorio XIII. qui ſic ſe habet „illa „Doctorum diſtinctio, divinæ le„gis mandata bifariam ſervari, uno „modo quo ad ſubſtantiam, alio „quoad modum, ſecundum quem „ſcilicet valent operantem perdu„cere ad regnum cœlorum, com„mentitia eſt & explodenda. His præſuppoſitis.

Dico 1. in ſtatu naturæ corruptæ poſſe ſolis naturæ viribus ſervari quædam præcepta nudè quoad ſubſtantiam; quia poteſt quis implere præceptum, *Non fornicaberis*, eſto tranſgrediatur præceptum de bono- *Aliqua præcepta juris naturæ ſolis naturę viribus*

poſſũt ad impleri quo ad ſubſtā-tiam.

honorandis parentibus; non poteſt tamen totam legem naturalem, etiam nudè ſumptam quoad ſubſtantiam, ſolis naturæ viribus adimplere: ratio eſt, quia quicumque ſervat totam legem naturæ, juxta dictum Chriſti Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ſalvabitur; nemo autem poteſt ſalvari ſine Dei gratia. ergo nec ſine illa totam legem adimplere: unde S. Aug. lib. de natura & gratia „ Si per naturam juſtitia, inquit, ergo Chriſtus „ gratis mortuus eſt.

Aliqua vero non.

Secundo ſunt aliqua præcepta legis naturæ, etiam ſpectata quoad ſolam operis ſubſtantiam, tam difficilia, ut ſine Dei gratia adimpleri nequeant: veluti, Deum ut auctorem naturæ diligere ſuper omnia, ſecundum aliquos Theologos; qui enim ſic diligit, ita debet eſſe conſtitutus ut vitam propriam, famam, & omnia temporalia ſua bona potius velit amittere, quam ipſius amicitiâ privari: eapropter Innocentius I. in Epiſtola ad Patres Carthaginenſes ſupra ſæpius citatâ „ neceſſe eſt, inquit, ut quo adju- „ vante vincimus, eo non adjuvan- „ te vincamur; quod non eſſet verum ſi totam legem quoad ſubſtantiam poſſemus implere ſolis naturæ viribus: nam qui taliter mandata ſervat, nullis tentationibus contra impletionem talium præceptorum vincitur; ſiquidem obſervatio legis naturæ quoad ſubſtantiam ſolam poſtulat, ut ejus præcepta ſic

Tota lex naturalis ſolis naturę viribus nequit adimpleri ne quidem quoad ſubſtā-tiam.

adimpleantur, ut non peccetur contra illa: denique ſic cenſet S. Auguſt. plurimis logis ſignanter Epiſtolâ 90. 91. 92. 93. & 94. prout & S. Leo ſignanter Sermone 11. ubi ait „ ideo Deus dat præceptum, „ ut excitet deſiderium; & præſtat „ auxilium.

Objectio 1.

Dices; Patres intelligi debere de obſervatione præcepti quo ad modum.

Reſp. neg. Aſſumptum, quia SS. Patres dicunt illam legem ſine gratia Dei non poſſe adimpleri, quam Pelagiani affirmabant ſine gratia Dei poſſe adimpleri, quæ erat lex naturalis: ut patet ex Epiſt. Innocentii I. apud S. Aug. Epiſt. 91.

Objectio 2.

Dices; ex admiſſis conſtat unum aliquod præceptum naturæ per ſolas naturæ vires poſſe adimpleri quoad ſubſtantiam operis; ergo & ſic ſucceſſivè poterunt omnia.

Reſp. negando conſequentiam; quia, ut ſupra diximus, non omnia legis præcepta ſunt impletu æquè facilia quoad ſubſtantiam; ſed unum multò difficilius altero.

Objectio 3.

Dices; ad Roman. 2. ait Apoſt. *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*; ergo poſſunt ſine Dei gratia etiam omnia legis præcepta adimpleri.

Reſp. negando conſequentiam; quia ſecundum S. Auguſt. lib. 4. contra Julianum cap. 3. locus Apoſtoli intelligitur de gentibus ad fidem converſis & ex gratiæ dono operantibus: neque in illo teſtimo-

Bbbb 2 nio

nio vox illa, *naturaliter*, opponitur gratiæ, ſed legi ſcriptæ: perinde ac ſi diceret, gentes quæ per naturam gratiâ reformatam, abſque adminiculo legis ſcriptæ legem naturalem adimplent.

Dices; tam Scriptura S. quam SS. Patres, & Concilia clamant Deum nihil præcipere homini impoſſibile „ Deus enim impoſſibilia " non jubet, ait Concil. Trident. " ſed jubendo monet, & facere " quod poſſis, & petere quod non " poſſis; ſed jubet Deus obſervari totam legem naturæ; ergo illa non eſt impoſſibilis obſervatu; & conſequenter ſecundum ſe totam poteſt adimpleri.

Reſp. concedendo totum; lex enim quæ poteſt impleri per gratiam non debet dici impoſſibilis; nam, ut ait, Sanctus Thomas, 2. 2. quæſt. 2. artic. 5. „quod poſſumus cum divino auxilio non " eſt nobis omnino impoſſibile; " ſecundum illud philoſophi, quod " per amicos poſſumus, aliqualiter " nos poſſumus.

Dũ homo dicitur poſſe facere bonum intelligitur nonniſi cũ Dei gratia.

Pro quo notandum; quando in rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus dicitur aliquid nobis poſſibile, vel eſſe in noſtra poteſtate; id numquam eſſe intelligendum per ſolas naturæ noſtræ vires; ſed cum auxilio divinæ gratiæ: alioqui enim ſequeretur poſſe hominem credere, ſperare, pœnitentiam agere ſine Dei gratia; cum certum ſit illa ei præcipi; & conſequenter illi eſſe poſſibilia: unde S. Thomas 2. 2. quæſt. 2. artic. 5. ad 1. ſic ait „ ſi in poteſtate homi- " nis aliquid eſſe dicatur excluſo " auxilio divinæ gratiæ, ſic ad mul- " ta tenetur homo, ad quæ non " poteſt ſine gratia reparante, ſi- " cuti ad diligendum Deum, & " proximum & ad credendum arti- " culis fidei; ſed tamen hoc po- " teſt cum auxilio gratiæ, quod " quidem auxilium quibuſcum- " que datur miſericorditer datur, " quibus autem non datur, ex ju- " ſtitia non datur, in pœnam præ- " cedentis vel ſaltem, originalis " peccati.

Dices, auxilium illud divinum cum quo poſſumus ſervare divina mandata, non eſt in hominis poteſtate ſemper habere, ergo illud non poteſt dici homini poſſibile quod tantum poteſt ſuppoſito illo auxilio.

Reſp. complures negare antecedens, dicendo illud eſſe in hominis poteſtate in quantum Deus dat omnibus gratiam ſufficientem per quam poſſunt adimplere ſi velint; ſed perperam; quia imprimis quoad illud, ſi velint, petam, quis efficiat illam volitionem? an forſitan ſolus homo? hoc dici non poteſt, quia eo ipſo ſemetipſum diſcerneret, & haberet aliquid à ſe, quod non haberet à Deo: quod eſt contra S. Auguſt. lib. 1. ad Bonifacium, dum ſic ait „ libero arbitrio nemo bene " uti poteſt niſi per gratiam; quæ

non

" non ſecundum debitum redditur, "ſed Deo miſerante donatur: quod & manifeſtè contrariatur Scripturæ S. ad Phil. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate* proinde fatendum eſt, volitionem illam quidem effici à libero arbitrio, ſed non niſi Deo illam in ipſo operante.

Præterea ſive detur gratia aliqua ſufficiens ſive non, ea eſt impertinens in ordine ad ſervanda divina mandata; ſiquidem ut illa ſerventur, gratia ſolum ſufficiens non ſufficit; ſed inſuper neceſſaria eſt gratia efficax pendens à ſolo Deo, quâ homo operetur & velit.

Petes; an ſit inconveniens dicere quod infideles careant omni auxilio gratiæ tam operantis, quam cooperantis in ordine ad bene vivendum, vel ad vincendum tentationes.

Non eſt inconveniẽs dicere infideles care-re gratiæ auxilio ad bene vivendum.

Reſp. negativè; tum quia illis gratiis ſunt indigni, tum quia in illis primum gratiæ initium eſt per vocationem ad fidem; qui, donec huic vocationi reſpondeant, non recipiunt ulteriora gratiæ auxilia ad bene operandum, vel ad vitandum alia peccata.

Petes; quomodo ergo tales peccant, qui non habent gratiam benè operandi.

Reſp. quia equidem ſunt liberi, & abſolutè poſſunt tentationi non conſentire; habentque poteſtatem vitandi quodlibet peccatum in particulari: unde quandocumque peccatum ab illis committitur, voluntariè committitur: hinc S. Auguſt. epiſt. 105. ,,excuſabunt ſeſe, in" quit, homines qui nolunt rectè " & fideliter vivere, dicentes, quid " nos fecimus mali qui malè vivi" mus; quandoquidem gratiam, " unde benè viveremus non accepi" mus? quibus ipſe reſpondet, " non poſſe eos veraciter dicere ſe " nihil mali facere; quia malè vi" vunt; nam ſi malè vivunt, de ſuo " malè vivunt, vel quoad origina" le quod contraxerunt, vel quoad " aliud quod inſuper addiderunt: & rurſum, ſeſe excuſantibus quid de nobis ſit querela quod Deum offendimus malè vivendo cum illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit, miſericordiam non præſtando? ſic ille reſpondet, ,, ſi illos non pudet hâc ex" cuſatione uti, cur nos pige" bit identidem illis reſpondere, " quod, ait Apoſtolus ad Roman. 9. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

Quibus omnibus attentis, ad hoc ut mandata divina cenſeantur homini poſſibilia, adeoque cenſeatur homo benè poſſe vivere, ſatis eſt eum eſſe viatorem, præditum libero arbitrio, & in eo ſtatu in quo Deus ſolet malos convertere, bonos adjuvare.

Non omnibus obſervatio praece-

Hoc tamen hîc notandum; quod non omnes æqualiter poſſint ſervare Dei mandata: nam, ut ſupra diximus, aliter homini juſto eſt obſer-

proram obſervatio divini præcepti poſſibilis, nempe proximè; aliter fideli peccatori; aliter denique homini infideli; qui tamen dicitur poſſe, in quantum habet liberum arbitrium ad bonum & malum, & eſt in illo ſtatu in quo poteſt illi Euangelium prædicari, & alia adhiberi, quibus Deus ſolet aliquem vocare ad fidem & juſtitiam; neque enim illud dici debet alicui impoſſibile, quod in multis aliis ſimiliter affectis fuiſſe poſſibile probat experientia: ea-propter S. Auguſtin. quantumvis preſſus Pelagianorum argumentis, numquam confugit ad gratiam ſufficientem ad hoc ut homines dicerentur poſſe obſervare mandata, & piè vivere; ſed ipſi ſatis fuit quod eſſent viatores, præditi libero arbitrio, & in tali ſtatu, cui conjuncta eſt poſſibilitas vitandi ſingulos actus peccati: prout ſupra diximus. Quod ſi autem Deus alicui concedat illam gratiam, miſericorditer concedit; cui autem illam negat, juſtè negat, nempe ob peccata præterita per quæ homo poſuit obſtaculum divinæ gratiæ. Unde qui experiuntur ſe in peccatis ſuis hærere, nec vitam ſuam in melius commutare, agnoſcant id ſuo vitio accidere quod malè vivant, & ſuâ culpâ fieri quod huc uſque Deus illos non converterit: habent arbitrium quidem liberum, ſed meminerint perditionem noſtram tantum eſſe ex nobis ipſis, ſalvationem verò noſtram eſſe ex Deo, Oſee 13.

eſt æque propinque poſſibilis.

Advertant quoque nos ſecundum fidem eſſe libero arbitrio præditos, attamen non eſſe dominos abſolutos, quaſi ſine aliqua dependentia poſſimus nos convertere ad bonum; ſed ſic ut in omni uſu liberi arbitrii dependeamus ab eo, qui dicit, *Sine me nihil poteſtis facere:* ea-propter ſic meminerimus nos habere liberum arbitrium, quod quidem ad peccatum ſufficit, ita tamen ut nullum bonæ voluntatis motum habere poſſimus ſine Dei Gratia, juxta definitionem Concil. Arauſ. can. 9. „ quoties bona agimus, „ Deus in nobis, atque nobiſcum, „ ut operemur, operatur.

Petes; an gratia, ad obſervationem mandatorum neceſſaria, ſit juſtificans & habitualis.

Poſſunt mandate Dei abſolute obſervari ſine gratia habituali.

Reſp. abſolutè loquendo neg. ſed actualis: Ratio eſt, quia, ut loquitur Concil. Arauſ. can. 25. „ Deus adultis, priuſquam baptizentur, nullis eorum meritis præcedentibus, fidem & amorem „ ſui inſpirat; ergo ipſi obſervant præcepta fidei & amoris, antequam habeant gratiam habitualem: præterea Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 6. deſcribens modum hominem diſponendi ad juſtitiam, ait, eos divinâ gratiâ adjutos primo credere, ſecundò timere, tertiò ſperare, quartò diligere, antequam juſtificationis gratiam per baptiſmum conſequantur.

Non tamē omnia neque diu.

Notandum tamen; gratiam ſanctificantem, ſeu habitualem eſſe neceſſa-

neceſſariam ad omnia Dei mandata ſemper ſervanda, vel etiam ad aliquamdiu illa ſervanda, ita ut contra illa mortaliter non peccetur: ratio eſt; quia ſic ſervare divina mandata eſt ſpeciale beneficium, quod Deus non ſolet communicare niſi ſuis amicis; taceo aliqua eſſe præcepta quæ impleri nequeant ſine gratia habituali: prout eſt præceptum recipiendæ Euchariſtiæ, extremæ Unctionis, & aliorum, quæ prærequirunt ſtatum gratiæ.

Petes quomodo ſit explicandum hoc Axioma *Facienti quod in ſe, eſt Deus non denegat gratiam.*

Explicatur axioma facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiã.

Reſp. dictum axioma pati ſenſum Pelagianum; prout & verè Catholicum: ſi enim per hoc intelligatur quod homo ſolis naturæ viribus poſſit obſervare totam legem, quâ obſervatione Deus moveatur ad gratiam juſtificationis illi largiendam; hic ſenſus eſt manifeſtè Pelagianus; ſiquidem per illum indicatur gratiam dari ſecundum noſtra merita: quod ſi verò dictum axioma intelligatur hoc modo, quod homini facienti quod in ſe eſt, cum auxilio divinæ gratiæ ipſum moventis, Deus dabit gratiam ulteriorem, v. g. gratiam juſtificationis, vel ejus augmentum, vel fidem explicitam & perfectam; talis ſenſus eſt verè Catholicus, in quo dictum axioma venit explicandum.

DUBIUM X.

An homo ſine ſpeciali gratiæ auxilio, ſolis naturæ viribus, poſſit ſeſe præparare ad gratiam.

Solis naturæ viribus, nemo ſe poteſt præparare ad gratiam.

RESP. neg. contra Semipelagianos, qui falsò admittebant fidem quidem & bona opera non eſſe ex nobis; initium verò fidei, prout & bonorum operum eſſe ex nobis; quia nimirum per bonum uſum liberi arbitrii initialem illam fidei gratiam, vel alterius boni operis ſecundum ipſos meruimus obtinere:

Probatur 1. Joannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum*, prout & eodem capite *Nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo*; ſed omnis ille qui ſe præparat ad gratiam tali præparatione (quæ etſi non ſit condigna, eſt tamen congrua) incipit venire ad gratiam; ergo non poteſt ſe ad illam præparare, niſi fuerit illi datum deſuper.

Probatur 2. ex 2. ad Corinth. cap. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* In quæ verba S. Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. ſcribens „attendant, inquit, & verba illa „perpendant, qui putant ex nobis „eſſe fidei cœptum: & ſane ſi quis poſſet ſine Dei gratia ſeſe ad gratiam præparare, poſſet in ſe, & non

non in Domino gloriari; poſſet quoque ſe ab altero diſcernere, quippe qui æquales vires naturales habens non ſimiliter ad gratiam ſe præparaſſet.

Probatur 3. quia eſt de fide gratiam non dari ſecundum noſtra merita, prout eſt definitum in Concilio Palæſtino contra Pelagium; ut teſtatur S. Auguſt. Epiſtola 106. quod certè falſum eſſet, ſi homo ſolis naturæ viribus poſſet ſe præparare ad gratiam: nam Patres, per merita, intelligunt ea, quæ fiunt ex propriis noſtris viribus ſine Dei gratia, ſive interim ſint meritoria de condigno, ſive de congruo: alioquin enim, ſi merita noſtra capiantur prout procedunt ex divina gratia, plane fatendum eſt aliquam gratiam dari ſecundum noſtra merita; nempè augmentum gratiæ ſanctificantis, quod juſti per bona ſua opera merentur, prout & vitam æternam, quæ eſt merces noſtrorum bonorum operum.

Denique id manifeſtè declarat Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. dum ait,, ipſius juſtificationis exordium " in adultis à Dei per Jeſum Chri- " ſtum præveniente gratia ſumen- " dum eſſe: hoc eſt, ab ejus voca- " tione, quâ, nullis eorum exiſten- " tibus meritis vocantur: eodem modo loquitur Concil. Arauſic. Can. 25. dum ait „ in omni opere " bono nos non incipimus; & po- " ſtea per Dei miſericordiam ad- " juvamur; ſed ipſe nobis, nullis " præcedentibus bonis meritis, & " fidem, & amorem ſui inſpirat.

Petes; an tantum initium cujuſque boni operis ſit à divina gratia ſed inſuper quoque progreſſus, & conſummatio totius operis ſint ab eadem.

Reſp. Affirmativè: ut patet ex Apoſtolo ad Philip. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu* & cap. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Unde conſequenter Concil. Trident. cap. 16. ait „ Chriſtus, " tamquam caput in membra & " tamquam vitis, in palmites in ip- " ſos juſtificatos jugiter virtutem " influit; quæ virtus, bona ipſorum " opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur. Initium progreſſus & cõſummatio operis boni ſunt à gratia.

Dices; ſi Deus totum operetur quod eſt in bono opere: quid ergo nos operamur. Objectio 1.

Reſp. cum S. Bernardo lib. de Gratia & libero Arbitrio „ quod à " ſola gratiâ cæptum eſt, pariter ab " utroque perficitur; non partim " gratia, & partim liberum arbi- " trium; ſed totum ſingula opere " individuo peragunt, totum qui- " dem hoc, & totum illa; ſed ut to- " tum in illo ſit, totum ex illa.

Dices; frequenter in Scriptura Sacra monentur homines ut ſe ad Deum convertant, & quod tunc Deus ſe convertet ad illos prout habetur Zachariæ 1. ſimiliter Pſalmo 80. dicitur *dilata os tuum & implebo illud* item Apocal. 3. habetur, *ſi quis audierit* Objectio 2.

Digitized by Google

audierit vocem meam & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum; ergo prima diſpoſitio & primus conatus boni operis eſt ex viribus naturæ.

Reſp. negando conſequentiam:& notandum pro explicatione harum Scripturarum,prout & aliarum,quibus aliquid requiritur ab homine pertinens ad ſalutem animæ:notandum inquam, Scripturam per hoc nō velle inſinuare,quod initium boni operis poſſit eſſe ex naturæ viribus: ſed Scripturam ita loqui ad ſignificandum quod homo libere velit & cooperetur, quodque ipſe ſit, qui ſe ad Deum convertat,dilatet os ſuum, & aperiat januam cordis ſui, etiamſi ipſe ſolus aperire nequeat ſine Dei gratia:eapropter illa quæ Scriptura S. uno loco adſcribit homini,alio loco aſcribit divinę gratię ſic enim Zach. 1. ubi dicitur *convertimini ad me* Pſal. 84. dicitur *Converte nos Deus ſalutaris noſter*: ita quoque Prov. 16. ubi dicitur *hominis eſt animam præparare* Prov 8. dicitur *paratur voluntas à Domino*. ſic quoque Pſ. 80 dicitur *dilata os tuum & implebo illud* & tamen Pſal. 50. dicitur *Domine labia mea aperies:* hinc Conc. Trid. ſeſſ.6. c. 5. ait „unde in in Sacris litteris " cum dicitur *convertimini ad me & ego " convertar ad vos* libertatis noſtræ " admonemur. Cum reſpondemus " converte nos Domine ad te, & " convertemur;Dei nos gratia præ" veniri confitemur: ita ut uno loco ſemper admoneamur noſtræ libertatis, alio vero loco admoneamur noſtræ indigentiæ.

Dices; Actorum 10. Cornelius Ceuturio adhuc gentilis,naturæ viribus orans, & eleëmoſynas faciens impetravit Baptiſmum.

Reſp negando aſſumptum,neque enim ſolis naturæ viribus,ſed divinâ gratiâ præventus ipſe oravit, ut inquit S. Aug. lib. de prædeſtinatione SS. c. 7. & quidem verum eſt quod orationes ejus fuerint exauditæ antequam explicitè crederet in Chriſtum,qui per fidem unius Dei, quâ imbutus erat, & per cujus donum operabatur, erat bonus antequam crederet in Chriſtum; etſi non antequam crederet in Deum.

Dices;homo ſine gratia poteſt facere opera aliqua moraliter bona; ſed illa ſunt quædam præparatio ad gratiam;ergo poteſt homo ſolis naturę viribus ſe prępararc ad gratiam. Objectio 3.

Reſp.neg.antecedens:quod patet ex antedictis; cum enim opus moraliter bonum ſit illud quod omnibus attentis,nempe objecto, fine,& circumſtantiis, non eſt vitiatum; patet tale non poſſe dari viribus naturæ,quippe quod debeat referri ad Deum tamquam ad finem ultimum; quæ relatio viribus naturæ fieri non poteſt. Itaque ex dictis patet, quod ad gratiam Dei actualem ſuſcipiendam nulla præparatio ex parte hominis prærequiratur præveniens divinum auxilium; ſed quæcumque diſpoſitio quæ eſt in homine, ea eſt ex actuali Dei adjutorio ipſum moventis ad bonum Eapropter ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præ-

præparatur ad Dei gratiam ſuſcipiendam, eſt quædam Dei gratia.

Petes; an ſaltem ad gratiam habitualem ſuſcipiendam in homine adulto non requiratur aliqua diſpoſitio.

Reſp. Affirm. nam ſicut in naturalibus præſupponuntur diſpoſitiones in materia ante introductionem formæ; ita Deus, qui operatur convenienter naturis rerum, non introducit gratiam habitualem in animam, niſi prius rectè diſpoſitam.

Quænā diſpoſitiones requiſitæ ad gratiam juſtificātem.

Petes quænam ſit illa diſpoſitio requiſita.

Reſp. eſſe converſionem mentis ad Deum per fidem, ſpem, amorem, pœnitentiam, prout tradit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi ait, „Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, „dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum „credentes vera eſſe, quæ divinitus „revelata & promiſſa ſunt; atque „illud imprimis à Deo juſtificari „impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto „Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe „intelligentes, &c.

DUBIUM XI.

An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit non peccare.

Triplex error quoad peccata cavēda.

De peccatis ab hominibus cavendis triplex fuit error. Primus Manichæi, ponentis in homine mentem aliquam malam productam à Deo malo, quæ hominem neceſſitet ad peccatum: ſecundus fuit error Lutheri aſſerentis, naturam humanam poſt peccatum adeo eſſe corruptam, ut in omni ſuo opere peccet mortaliter; quæ tamen peccata, inquit Lutherus, per Dei miſericordiam illi non imputantur qui credit in Chriſtum. Tertius eſt error Pelagii aſſerentis, quod homo in ſtatu naturę lapſæ poſſit ſine Dei gratia omne peccatum vitare & bene vivere. His ſuppoſitis.

Dico 1. homo in ſtatu naturæ corruptæ eſt planè liber ad peccandum, tam quoad ſpecificationem, quam quoad exercitium: unde poteſt peccatum facere hujus vel illius ſpeciei; & poteſt idem peccatum facere vel omittere: ut patet ex Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors bonum & malum quod placuerit ei, dabitur illi*: Ex quo loco patet hominem eſſe liberum ad peccandum, tam libertate contrrrietatis, quam contradictionis. Probatur experientia; ſiquidem qui tentatur ad ebrietatem, vel luxuriam, poteſt illa facere vel omittere.

Homo eſt liber ad peccādum tā quoad ſpecificationem quam quoad exercitium.

Petes, an ergo poſſit homo ſingula peccata vitare ſine Dei gratiâ.

Poteſt homo ſine gratia vitare ſingula peccata.

Reſp. Affirm. quia poteſt ſemper unum peccatum vitare ex vehementiori affectu alterius peccati: & ſic v.g. luxuriam vincere ex affectu ſuper-

ſuperbiæ; ebrietatem ex affectu avaritiæ, ſicque clavum clavo pellere, ut ſuprà diximus. Quamquam tamen verum ſit, hoc non eſſe abſolutè vitare peccatum, ſed incidere in aliud; quia, ut ait S. Aug. lib. 20. de Civit. Dei c. 16. „ tunc vitia victa " deputanda ſunt, cum Dei amore " vincuntur: ex quo ſequitur hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ non poſſe ſine Dei gratia abſolute vitare peccatum non incidendo in aliud, quod tamen poterit per Dei gratiam; quæ, licet illi ſemper non adſit, eſt tamen quodam modo in ejus poteſtate, quatenus eam à Deo poteſt petere, & ab eo impetrare.

Peccatũ mortale ſi nõ deleatur in aliud hominẽ trahit.

Dico ſecundò; homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens non poteſt diu ſubſiſtere ſine alio peccato mortali: quod probatur Threnorum 1. *Peccatum peccavit Jeruſalem propterea inſtabilis facta eſt*: Quo loco ſignificatur, quod ex peccato mortali naſcatur inſtabilitas in bono. Unde S. Greg. lib. 25. Moral. c. 13. bene ait, „ peccatum " quod mox per pœnitentiã non de" letur ſuo pondere ad aliud trahit.

Probatio 1.

Probatur hoc ipſum ratione; quia homo qui non habet cor ſuum tam firmum & fixum in Deo, ut malit potius quodlibet malum famę, vitę, vel bonorum temporalium quam à Deo ſeparari; non poteſt diu ſubſiſtere ſine peccato mortali, eò quod plurima in dies occurrant homini infirmo & inſtabili vel mala vitanda, vel bona conſequenda, propter quæ negligit ſervare divina præcepta, & ita peccat mortaliter: præterea ſicuti ſenſualitas non ſubjecta rationi poſt breve tempus hominem facit peccare venialiter; ita ratio non ſubjecta Deo poſt breve tempus eum facit peccare mortaliter, ſiquidem qui affectu inhæret rei alicui malæ & perverſæ, non diu ſtat, quin eligat aliquod medium malum ad rem illam perverſam conſequendum: præterea in hoc ſtatu naturæ corruptæ habet homo plurima quæ illum incitant ad peccatum, nempè ignorantiam in intellectu, concupiſcentiam in voluntate ad quærendum ſe & ſua commoda; præterea habet hoſtes infeſtiſſimos, nempe carnem, mundum, & diabolum; & præter hæc mala, quæ ſunt tam juſtis, quam impiis hominibus communia, peccator, quam diu eſt in peccato mortali, ſtatuit ſibi amorem ſui tamquam finem ſuum ultimum, in tantum, ut cupiditates & delectationes ſuas præponat divinæ amicitiæ: quamdiu autem aliquis habet rem aliquam pro fine ultimo, naturaliter inclinatur ad operandum propter eam.

Juſtis quãdoque deeſt gratia proximè ſufficiẽs ad bene operandum.

Dico 3. omnes juſti, ope interioris gratiæ, poſſunt ſemper mandata Dei ſervare, & vitare peccata; adeoque Thomiſtico ſenſu habent gratiam ſufficientem ad non peccandum: cum quo tamen bene ſtat, juſtis quandoque deeſſe gratiam efficacem ad non peccandum actu; qualis defuit S. Petro, dum Chriſtum negavit.

 Potes;

Digitized by Google

Juſtus poteſt vitare ſingula peccata venialia; non tamen omnia ſine ſpeciali privilegio.

Petes; an homo juſtus poſſit vitare non ſolum ſingula, ſed etiam omnia peccata venialia; ita ut nequidem unquam venialiter peccet.

Reſp. ad primum poſſe illum vitare ſingula peccata venialia, non verò omnia, ita ut aliquando non peccet venialiter: ratio prioris eſt, quia alioquin non haberent rationem peccati ſi non poſſent vitari, utpote non libera: ratio poſterioris eſt, quia Joan. 1. dicitur, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Inſuper quia ad nos omnes ſpectat dicere, dum legimus Pater noſter *& dimitte nobis debita noſtra*. His adde Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 23. quod dicit anathema illi „ qui dixerit juſtum poſſe in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum, de Beata Virgine tenet eccleſia.

Petes; de quo veniali peccato hoc ſit intelligendum; an de illo quod oritur ex imperfectione actus; an vero de peccato veniali ex genere ſuo.

Reſp. de utroque; idque ob frequentes, quæ occurrunt, occaſiones peccandi, & multitudines tentationum hujus vitæ.

Petes; an homo juſtus, ſaltem ad tempus nequeat vitare omnia peccata venialia: ut v.g. ad aliquot dies, quibus abſtractus ab omni occaſione hæret in exercitiis ſpiritualibus, vel ferventibus contemplationibus inſiſtit.

Reſp. Affirm. cui non obſtat quod Prov. 24. dicitur *Septies in die cadet juſtus*; quia illa verba, *in die*, non ſunt in textu Hæbraïco, nec apud 70. interpretes: unde per hæc verba non ſignificatur quod juſtus ſepties in die cadat; ſed quod frequentius cadat, abſtrahendo à tempore.

Dices; Deus tam bene præcipit vitari omnia peccata venialia collectivè, quam ſingula; cum verò Deus nihil præcipiat impoſſibile; poterit ergo juſtus illa omnia vitare etiam ſumpta collectivè.

Reſp. negando aſſumptum: neque enim eſt aliquod ſpeciale præceptum obligans hominum ad ſervandam totam collectionem preceptorum; eò quod tota illorum collectio non ſit diſtincta à ſingulis in particulari: unde fruſtra daretur præceptum obſervandi omnia præcepta collectivè ſumpta, diſtinctum à ſingulis præceptis in particulari.

Dices; hic actus, nolo obſervare omnia præcepta ad mortale obligantia, eſt peccatum mortale; ergo eſt contra aliquod præceptum obligans ſub mortali: quod non videtur eſſe aliud, quam illud, quod obligat ad omnia præcepta ſervanda.

Reſp. negando conſequentiam; quia qui dicit, nolo ſervare omnia præcepta; æquivalenter dicit, volo deficere in obſervatione alicujus præcepti: qui actus non eſt contra determinatum aliquod præceptum mandans ſervari omnia præcepta collectivè, ſed eſt contra aliquod

præce-

Digitized by Google

præceptum vagè & in confuſo.

Petes; quare Deus ſingula peccata venialia prohibuerit, cum præſciret, neminem præter Chriſtum, & BB. ejus Matrem, ſingula eſſe vitaturum.

Reſp. & ſimul peto à te, cur Deus primis noſtris parentibus dederit mandatum quod præſcivit eos non eſſe facturos; quod ſi tu ignores hujus cauſam, ego quoque ignoro cauſam alterius.

Dices; non vitare omnia peccata venialia, etiam pro toto tempore vitæ, reputabitur homini in peccatum; ergo potuit homo illa omnia vitare.

Reſp. antecedens poſſe intelligi de omnibus, vel collectivè ſumptis, vel diviſim ſumptis: ſi intelligatur priori modo, tunc dicendum eſt ad antecedens quod non vitare omnia peccata venialia non imputabitur homini ad culpam diſtinctam à culpâ violationis ejus præcepti quod prævaricatur, quod ſicut illi imputatur ad culpam tranſgreſſio quam facit, ita poſſit non tranſgredi, & conſequenter culpam illam vitare.

Dices; juſtus, ex conceſſis, poteſt vitare ſingula venialia disjunctivè ſumpta; ergo & poterit illa vitare collectivè ſumpta: nam ſi id quod eſt in potentia, ponatur fieri (nempe quod vitet ſingula) etiam vitabit omnia.

Reſp. negando conſequentiam; quia proceditur à ſpeciebus ſingulariter enumerandis ad genus collectivè ſumptum, quæ argumentatio eſt ſophiſtica; quippe cum in ſimili, poſſit dari antecedens verum, conſequente falſo; qualis eſt hæc, Petrus poteſt abſtinere à qualibet portione cibi (non enim poteſt determinari quænam portio ſit illi neceſſaria ad vitam) ergo poteſt abſtinere ab omni portione cibi collectivè ſumpta.

Dices; ſuppoſito quod Petrus abſtineret à ſingulis venialibus, abſtineret ab omnibus, ſed poteſt abſtinere à ſingulis; ergo poteſt abſtinere ab omnibus,

Reſp. argumentationem non valere, quia fit tranſitus à ſenſu compoſito, quem importat major ad ſenſum diviſum, quem importat minor, & in quo ſolo illa eſt vera; ſimilis huic, ſi album eſſet nigrum, contraria eſſent ſimul vera; ſed album poteſt eſſe nigrum; ergo contraria poſſunt eſſe ſimul vera.

Dices; nemo peccat in eo quod vitare non poteſt; ſed nemo poteſt vitare omnia peccata venialia collectivè ſumpta; ergo non peccat non vitando omnia peccata venialia.

Reſp. antecedens eſſe verum in eo qui nullo modo poteſt aliquid vitare; impotentia autem, quâ quis dicitur non poſſe vitare omnia peccata venialia, non eſt abſoluta; cum ſingula poſſit vitare per Dei gratiam: unde non habet unde excuſetur, ſi peccatum non vitet.

DUBIUM XII.

An homo fidelis, exiſtens in ſtatu peccati mortalis, poſſit efficere aliquod opus bonum.

Peccator fidelis poteſt exercere aliquod opus bonum.

RESP. Affirm. quod eſt de fide contra hæreticos noſtri temporis, dicentes, hominem fidelem, quantumvis juſtum nihil poſſe operari quod non ſit peccatum.

Probatur 1. ex Conc. Trid. ſeſſ 6. can. 7. ubi feriuntur anathemate aſſerentes „ omnia opera, quę ante juſtificationem fiunt, quâcumque „ ratione facta ſint, verè eſſe peccata. Idem probatur ex Conc. Arauſ. can. 4. & ſequentibus: ubi docet „ initium bonæ voluntatis & alios „ bonos affectus, quibus homo paulatim ad juſtitiam diſponitur, eſſe „ Spiritus S. dona.

2. Probatur hæc veritas, ex variis Scripturæ locis, quibus peccatores ad facienda bona opera excitantur ut: Luc. 10. *Date eleëmoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis*: & Job. 4. *Eleëmoſyna à morte liberat*: & Act. 10. ubi Angelus alloquitur Cornelium necdum juſtum *Orationes tuæ, & eleëmoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*

DUBIUM XIII.

An ſepoſitâ revelatione poſſit quis, certitudine infallibili, ſcire ſe habere gratiam.

SUper hac quæſtione maxima eſt controverſia inter Catholicos & modernos hæreticos; qui conſtanter, attamen vanè, affirmant, quod Catholici conſtantiſſimè negant.

Dico primo; per divinam revelationem poteſt homo juſtus habere certitudinem infallibilem de divina gratia; quia Deus, cum ſit omnipotens, poteſt id revelare cui placuerit; prout per Angelum revelavit Beatiſſimæ Virgini, his verbis, *Ave gratia plena Dominus tecum*: idem quoque revelavit Salvator Magdalenæ, his verbis, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*: hanc quoque revelationem factam fuiſſe omnibus Apoſtolis docet S. Thom. de veritate. Quæſt. 24. art. 9. qui omnes proinde firmâ fide potuerunt credere ſe obtinuiſſe remiſſionem peccatorum, & obtinuiſſe gratiam ſanctificantem.

Sepoſita revelatione nemo infallibiliter novit ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Dico ſecundò; ſine revelatione nemo poteſt habere certitudinem infallibilem de obtenta gratia ſanctificante.

Probatur 1. Eccleſiaſtes 9. ſunt *juſti, & opera illorum in manu Dei & neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit.*

Dices; homines peccatores habent infallibilem certitudinem quod ſint Deo odioſi & ingrati, ergo antedicta Scriptura eſt falſa.

Objectio 1.

Reſp. neg. conſequentiam: illa enim Scriptura ſolum agit de hominibus juſtis, non verò peccatoribus.

Unde probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 9. „ quilibet, dum ſe ipſum „ ſuamque propriam infirmitatem, „ & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua „ gratia

„ gratia formidare & timere poteſt; „ cum nullus ſcire valeat certitudi-„ ne fidei cui non poteſt ſubeſſe fal-„ ſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecu-„ tum. Hinc ait Apoſt. 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum*: quaſi diceret, nihil mihi conſcius ſum, ſed hoc mihi non ſufficit ut poſſim eſſe certus de mea juſtificatione. Et c. 9. ejuſdem Epiſt. ait, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Et certe ſi haberemus certitudinem fidei de noſtra juſicatione, nec poſſemus, nec deberemus metuere; quod eſt contra Apoſt. ad Phil. 2. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Denique probatur hac ratione; quia nihil poteſt eſſe certum certitudine fidei niſi vel immediatè contineatur in verbo Dei, vel ex eo deducatur per neceſſariam conſequentiam; quod verò Petrus, vel Paulus ſit in ſtatu gratiæ, hoc nec continetur in verbo Dei, neque per neceſſariam conſequentiam inde deducitur; cum Dei verbum, id eſt Scriptura, non faciat mentionem perſonarum particularium; ſed tantum generales hinc inde continet ſententias, quæ pro ſui ueritate, ſuas requirunt conditiones & circumſtantias; veluti v.g. omnes ſalvabuntur *Si ad Deum ſeſe convertant, ſi verè pœniteant &c.* Item *qui manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; ſi nempe ritè diſpoſitus manducet ex hoc pane: de quibus conditionibus & diſpoſitionibus nemo poteſt eſſe certus an illas habeat.

Dices; Apoſt. ad Rom. 8. ait. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filii Dei*. Et in fine ipſius capitis ait, *Certus ſum quia neque mors neque vita .. .. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*: præterea idem Apoſt. 1. ad Cor. 2. ait, *Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis* & iterum 2. ad Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: Et 2. ad Cor. 13. idem Apoſt. ait, *Vos met-ipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate*; ergo poſſumus ſcire nos eſſe in gratia, quia teſtimonium Spiritus S. nequit eſſe falſum.

Reſp. ad primam Scripturam ad Roman. 8. per teſtimonium illud Spiritus S. homini tantum conjecturaliter innoteſcere quod ſit filius Dei; quippe cum illud conſiſtat in interna mentis tranquillitate internâ pace, & pio motu ad Deum; quæ, cum quandoque poſſint reperiri in hominibus impiis, poſſunt non eſſe infallibilia, ſed tantum conjecturalia. Quod attinet ad ſecundum locum Apoſtoli, vel loquitur de ſe ipſo; & tunc dicendum quod habuerit ſpecialem revelationem, vel dici poteſt eum loqui in perſona electorum. Ad tertium locum dicimus, Apoſtolum ibidem non agere de gratia ſanctificante; ſed de myſteriis Chriſtianæ religionis, quorum notitiam habemus.

Digitized by Google

habemus à Spiritu S. nobis ea & per Scrip. S. & divinas traditiones revelante. Ad quarum locum. Reſpondeo inde minimè ſequi nos habere certitudinem de noſtra gratia; ut enim in Domino lætemur, non eſt neceſſe quod habeamus abſolutam certitudinem; ſed ſufficit confidentia & bona fiducia. Ad ultimum Scripturæ locum. Reſpondeo Paulum admonere Corinthios, ut ſe probent utrum in fide perſiſtant: ex quo non ſequitur eos poſſe eſſe certos poſt probationem; ſed tantum poſſe habere probabilia indicia.

Dices; *nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu S.*: ut ait Apoſt. 1. ad Cor. 12. ergo qui hoc dicit, ſcit ſe habere Spiritum S.

Reſp. negando conſequentiam: quia Scriptura venit intelligenda, quod nemo poſſit dicere Dominus Jeſus, ſicut oportet: nobis autem non conſtat, an proferamus verba illa ſicut oportet.

Petes; an ſaltem certitudine morali excludente omnem formidinem poſſit quis eſſe certus ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Reſp. neg. ut patet ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 9. „ quilibet, dum ſe ipſum, „ ſuamque propriam infirmitatem, „ & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua „ gratia formidare & timere poteſt.

Dices; Baptiſmus confert gratiam non ponentibus obicem; ſed Petrus adultus experitur ſe non ponere obicem; ergo eſt certus ſe habere gratiam ſanctificantem.

Reſp. negando conſequentiam; quia imprimis non certò conſtat de intentione Baptizantis nec ipſe Baptizatus eſt certus de diſpoſitionibus in ſe prærequiſitis.

Dices, majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ſed eſt aliquis qui vult mori, & re ipsâ moritur pro Chriſto; ergo eſt infallibiliter certus ſe habere charitatem.

Reſp. negando conſequentiam; quia illi non certò conſtat quod ex animo moriatur pro Chriſto; quandoquidem hęretici quandoque exiſtiment ſe mori pro Chtiſto cum tamen moriantur pro defendendo ſuo errore.

Petes; an homo ſaltem nequeat eſſe tam certus quod ſit in ſtatu gratiæ, quam eſt certus quod ſit baptizatus, vel quam eſt certus quod ſit ſacerdos.

Reſp. neg. quia horum habemus certitudinem excludentem omnem formidinem eò quod nullam habeamus cauſam dubitandi, vel de adminiſtratione Sacramenti, vel de intentione miniſtri; at verò de eo quod ſumus in ſtatu gratiæ, ſemper habemus rationem timendi; juxta illud Prov. 20. *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*: & præſertim poſſumus ſemper timere ne forte in nobis ſint peccata occulta, vel aliena, quæ ignoramus: prætерea timere poſſumus, an cum ſufficienti diſpoſitione ſuſcepеrimus Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ: & inſuper, an

an actus amoris quos elicimus erga Deum ſint ſupernaturales, an verò tantum naturales; & denique an actiones, quantumvis piæ, quas videmur facere propter Deum, non faciamus ob amorem proprium.

Homo poteſt habere conjecturalē certitudinem de ſua juſtitia.

Dico ultimò; quamvis homo juſtus ſine revelatione nequeat habere certitudinem abſolutam de ſtatu gratiæ, poteſt tamen habere conjecturalem; ſi quidem non ſine indiciis relinquit amicos ſuos Deus, quibus quaſi moraliter certo cognoſcunt ſe eſſe Deo gratos; quæ, licet non excludant omnem formidinem, tollunt tamen omnem inordinatam anxietatem, & præſtant fiduciam quâ homo confidat ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Signa ex quibus poſſit homo colligere ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Et quidem I. indicium eſt efficax contritio & deteſtatio omnium peccatorum, cum legitimâ eorum confeſſione.

II. Eſt firma & conſtans voluntas nullum umquam grave peccatum perpetrandi.

III. A multo tempore grave aliquod peccatum non admiſiſſe: nam ut, inquit S. Greg. „peccatum quod citò per pœnitentiam „non deletur, mox ſuo pendere ad „aliud trahit.

IV. Divinæ legis ſedula & accurata adimpletio: nam, ut ait Chriſtus Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea; ille eſt qui diligit me.*

V. Lux quædam celeſtis mentes juſtorum illuſtrans, quâ ſæculi vanitates deſpiciunt & contemnunt, celeſtia verò contemplantur & diligunt.

VI. Charitas, quâ Deo per omnia placere, & proximum propter Deum diligere ſatagunt: nam Chriſtus ait Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

VII. Gaudium, non quod concipitur de rebus vanis, ſed cæleſtibus; nam cum gaudium oriatur ex præſentia rei amatæ, meritò debet gaudere anima quæ Deum ſuum ſummè dilectum, gratiæ ſuæ beneficio, in ſe habet præſentem

VIII. Pax interna omnes tumultus & inordinatas anxjetates conſcientiæ ſedans.

IX. Fuga honorum, voluptatum, & divitiarum: & econtra cæleſtis patriæ deſiderium, cum fervore & exercitatione virtutum.

X. Non timere mortem, ſed eam reſignato animo omni die exſpectare.

XI. Conſcientiæ propriæ teſtimonium, non increpantis nos, nec oblatrantis ſuper gravi aliquo peccato.

XII. Teſtimonium Spiritus S. qui nonumquam latenter mentibus fidelium per aliqua publica indicia antedicta inſtillat quod ſint filii Dei.

Petes; an homo, quò eſt ſanctior, eò habeat majorem certitudinem de ſua gratia, & minorem formidinem de damnatione.

Reſp. neg. ut patet ex vita mul-

Digitized by Google

to:um Sanctorum; & præſertim S. Hilarionis; qui, quamvis eſſet ſanctiſſimus, maximè tamen metuebat; ita ut in fine vitæ exclamare cogeretur „egredere anima „mea quid mori times? 70. an„nis ſerviviſti Chriſto, & adhuc „mori times?

Petes; an quis citra Dei revelationem poſſit eſſe certus de ſua prędeſtinatione.

Reſp. negat. contra noſtri temporis hæreticos, aſſerentes fideles eſſe certos de ſua prædeſtinatione ad gloriam: quod probatur ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 12. „nemo, „quamdiu in hac mortalitate vivi„tur, de arcano divinæ prædeſti„nationis myſterio adeo præſu„mere audeat ut certò ſtatuat ſe, „omnino eſſe in numero prædeſti„natorum &c. Quod & manifeſtâ rationę probatur; ſi quidem id quod merè pendet ex ſola Dei voluntate, non poteſt certò cognoſci niſi ipſe hoc ipſum revelet; ſed prædeſtinatio pendet ex ſola Dei voluntate; ergo illa non poteſt certò à nobis cognoſci citrà Dei revelationem.

Hic Lector proſternendo te coram Domino, Dic

SAncte Sanctorum Deus. infinitæ potentiæ: ecce ego vermiculus; attamen filius ancillæ tuæ, flecto cervicem cordis mei ſub pedibus Majeſtatis tuæ; & confiteor quod ſine te nihil poſſim nec ad inchoandum, nec ad continuandum, nec ad perficiendum minimum opus bonum, ſed quod gratiâ tuâ ſum id quod ſum: eapropter ſi quid boni umquam feci, id præſtiti illius adminiculo: ſi quando ſteti, per illam ſteti; ſi quando cecidi, per me cecidi: & ſemper in luto jacuiſſem, niſi illa me erexiſſet: ſemper cæcus fuiſſem, niſi illa me illuminaſſet: quando cecidi, numquam ſurrexiſſem, niſi illâ erigente: & poſtquam illa me erexit, iterum cecidiſſem, niſi fulcro potentiori gratia tua me corroboraſſes. Sic Domine Deus gratia tua me ſemper prævenit, liberans me à malis, ſalvans à præteritis, muniens à præſentibus, præſervans à futuris. O quam victrici mihi adhuc opus eſt gratiâ, ut vincatur natura mea depravata, & prona ad malum ab adoleſcentia ſua. O verè cæleſtis gratia, quæ non datur meritis operantis; ſed miſeratione donantis: O verè celeſtis gratia, ſine qua nulla ſunt propria merita, nulla quoque naturæ dona ponderanda: tu fortitudo mea, tu medicina mea, tu magiſtra veritatis, nutrix devotionis & pietatis: & quid ego ſum ſine te? niſi lignum aridum, arbor infructuoſa, navis ſine vento; quod ultimum, dum cogito, heu me infelicem exclamo! Sine quippe inter caliginoſas nebulas per hujus maris magni fluctus, procelloſaſque voragines, naviculam meam trahens; inter ſcyllam & charybdim numquam ad portum optatæ ſalutis ſine te incolumem deducam Idcirco ſpes humanæ generis Chriſte Ieſu, iterum tibi confiteor paupertatem meam, ut adjuvet infirmitatem meam; & obſecro ut inveniam gratiam in oculis tu‥ quæ me ſemper ubique præveniat, & ſequatur, & bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum. Amen.

TRA-

TRACTATUS XIX.

De Juſtificatione Impii.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Juſtificatio Impii: & quotupliciter accipiatur.

PRænotandum; verbum *Juſtificare* in Scriptura S. accipi proeò, quod eſt juſtum, aut Deo gratum facere: eapropter juſtificatio activè ſumpta non eſt aliud, quam operatio quâ Deus aliquem efficit juſtum aut ſanctum: paſſivè verò ſumpta, non eſt aliud, quam motus ad juſtitiam; prout calefacto eſt motus ad calorem: porrò ſicut is qui cauſat hujuſmodi motum, dicitur juſtificans: ita qui ejuſmodi motum recipit, dicitur juſtificatus.

Quid juſtificatio activè ſumpta.

Quid juſtificatio ſumpta paſſivè.

Hæc autem juſtificatio paſſiva, de qua hic potiſſimum agitur, eſt adeptio ipſius juſtitiæ, qualis etiam fuit juſtificatio primi hominis, aut Angelorum: ſed communiter ſumitur pro mutatione, quæ pro termino à quo habet privationem juſtitiæ. Et hæc eſt propriè dicta juſtificatio impii, quæ à Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. ita deſcribitur „ tranſlatio „ ab eo ſtatu, in quo homo naſci- „ tur filius primi Adæ, in ſtatum „ gratiæ & adoptionis filiorum Dei „ per ſecundum Adam Jeſum Chri- „ ſtum, Salvatorem noſtrum. Quæ quidem eſt juſtificatio omnium prima, quâ, nempe per baptiſmum, à peccato originali juſtificamur. Alioqui juſtificatio impii generaliter ſumpta, non eſt aliud quam tranſitus à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum gratiæ ſanctificantis.

Quid juſtificatio Adæ.

Quid juſtificatio impii.

Porrò hic bene notandum; quia homo in juſtitia accepta poteſt proficere, hoc juſtificationis nomen quandoque ſumi pro juſtificationis incremento: quo modo accepta, non eſt aliud, quam tranſitus ab uno gradu juſtitiæ ad alium: & hoc modo accipitur Apocalypſis ultimò cum dicitur, *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.*

Juſtificatio quandoque ſumitur pro incremẽto juſtitiæ.

Petes; quid nomine juſtitiæ, quo peccator tranſit tamquam ad terminum ad quem, intelligatur.

Quid juſtitia & quotupliciter accipiatur.

Reſp. quamvis nomen *Juſtitia* plures patiatur acceptiones; nam ſumitur quandoque pro virtute particulari, quæ tribuit unicuique quod ſuum eſt ad æqualitatem: 2. Verò accipitur pro juſtitia legali, quæ hominem, quatenus eſt membrum & pars reipublicæ, inclinat ad reddendum id, quod in qualitate membri debet corpori aut communitati: hoc

verò loco accipitur pro rectâ hominis diſpoſitione erga Deum, ſemetipſum, & proximum: & conſiſtit in aggregato omnium virtutum; nam illud eſt quod hominem formaliter per leges à Deo poſitas rectificat.

Juſtitia quãdoque venit nomine charitatis.

Porrò, quia charitas eſt eminenter omnis virtus, ſæpe nomine charitatis ejuſmodi juſtitia ſignificatur; eò quod charitas reddat hominem conformem toti legi divinæ, volens illi in omnibus, & per omnia placere: & ita in hac acceptione S. Aug. lib. de natura & gratia cap. ultimo de charitate, ait „quod inchoata charitas, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta, provecta juſtitia; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.

Diſpoſitiones ad juſtificationẽ quãdoque veniunt nomine juſtitiæ.

Ultimò nota; nomine juſtitiæ quandoque venire prævias diſpoſitiones, quibus homo diſponitur ad juſtificationem: quo modo loquitur Conc. Trid. dum ſeſſ. 6. cap. 5. ait „juſtificationis exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum, præveniente gratia ſumendum eſſe, per quam incipimus diſponi ad juſtificationem.

DUBIUM II.

Quæ, quot, & quales diſpoſitiones ad Juſtificationem Impii ſint prærequiſitæ.

HÆretici noſtri temporis paſſim docent, hominem juſtificari per ſolam fidem: quorum fundamentum eſt (quod poſtea refutabimus) quod paſſim in Scriptura Sacra juſtificatio tribuatur fidei.

Ad juſtificationem adulti prærequiritur motus liberi arbitrii.

Dico primò ad juſtificationem adulti pollentis uſu rationis prærequiri aliquem motum liberi arbitrii ad hoc ut juſtificetur: quod eſt de fide: nam Chriſtus Joan. 6. ait, *omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me*: diſcere autem nemo poteſt, prout neque venire, aut audire ſine motu liberi arbitrii: dicente Salvatore eodem cap. *nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo.*

Hoc ipſum probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6, cap. 7. dum ait, impium juſtificari per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: prout & ex ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait „fuit autem quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus neceſſarius; &c.

Petes; quid à parte rei ſit ille motus liberi arbitrii ad juſtificationem prærequiſitus.

Quid à parte rei ſit ille motus liberi arbitrii.

Reſp. eſſe actum voluntatis, quo peccator vult peccatum deſerere, & amplecti juſtitiam; eò quod per hunc cenſeatur cooperari ſuæ juſtificationi, & voluntariè gratiam juſtificantem recipere.

Petes; quot, & quinam ſint iſti motus liberi arbitrii ad juſtificationem requiſiti.

Quot motus liberi arbitrii tamquã

Reſp. quinque: & quidem hi ſequentes, nempe motus, ſeu actus fidei, timoris, ſpei, charitatis, pœnitentiæ: quod probatur ex Conc. Trid. ſeſſ.

Digitized by Google

diſpoſitiones ad juſtificationẽ ſint prærequiſiti.

ſeſſ 6. cap. 6. ubi ſic loquitur „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt; atque illud imprimis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiç fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem; hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.

Illi motus non omnes nec eodem ordine ad juſtificationẽ requiruntur.

Petes; an hi omnes actus, à Concil. Trident. requiſiti, eodem ordine & formaliter ſemper in omni juſtificatione debeant reperiri.

Reſp. negativè; quandoquidem experientiâ conſtet, peccatores non ſemper in ſe-ipſis formaliter omnes ejuſmodi motus excitare: eapropter ſufficit eos reperiri formaliter, aut virtualiter: quia tamen adultus, qui primò venit ad fidem, & aſpirat ad gratiam juſtificantem, communiter per tales actus diſponitur, dici poteſt, quod Concilium ibidem deſcribat communiſſimum modum juſtificationis, & voluerit diſtinctè numerare omnes actus qui ſolent in juſtificatione reperiri, quamvis non ſemper re ipsâ in ea reperiantur.

Porro horum quinque motuum neceſſitas probatur ex Scriptura. Et quidem, quod attinet ad motum, ſed actum fidei, probatur ex Apoſt. ad Heb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* De timore, habetur Eccli. 1. *timor Domini expellit peccatum.* De ſpe, habetur Pſalm. 36. *ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* De charitate fit mentio 1. Joann. 3. *qui non diligit: manet in morte.* De pœnitentia, habetur Luc. 13. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Qua ratione Scriptura ſingulis illorum attribuat juſtificationem.

Ex his omnibus patet; ſingulis hiſce motibus, ſeu actibus in S. Scriptura attribui vim juſtificandi: eapropter, ſicuti quandoque à S. Scriptura beatitudo adſcribitur, partialibus ejus cauſis; prout patet in octo beatitudinibus (quatenus nimirum, vel ſunt quædam principia inchoatæ beatitudinis, vel quatenus intelliguntur ſimul conjungi cum aliis partibus requiſitis) eodem modo Scriptura S. nunc juſtificationem attribuit fidei, nunc timori, nunc ſpei, &c. ſcilicet tamquam partialibus cauſis diſponentibus ad juſtificationem.

Ad ejuſmodi motus volũtas liberè concurrit.

Petes; an ad ejuſmodi actus, ſeu diſpoſitiones ante juſtificationem requiſitas, voluntas activè & liberè concurrat.

Digitized by Google

Reſp. Affirm. quod eſt de fide contra Lutherum, & ejus Aſſeclas, dicentes hominem ſeſe in his merè paſſivè habere.

Probatio 1. Probatur hoc verò ex Trident. ſeſſ.6. cap. 5. item Can. 4. his verbis „ ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & „ excitatum nihil cooperari aſſen„tiendo Deo excitanti atque vo„canti, quoad obtinendam juſti„ficationis gratiam ſe diſponat ac „ præparet neque poſſe diſſentire, „ ſi velit; ſed veluti inanime quod„dam nihil omninò agere, merè„que paſſivè ſe habere; anathe„ma ſit.

Probatio 2. Probatur hoc ipſum ex omnibus Scripturæ locis, quæ docent in poteſtare noſtra eſſe converti ad Dominum: prout quoque ex illis, quę docent Dei auxilium nobis ad ejuſmodi converſionem eſſe neceſſarium: ita Ezech. 18. dicitur, *Convertimini ad me, & agite pœnitentiam*; prout & Joëlis 2. *Convertemini ad me in toto corde veſtro*: unde S.Auguſt. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli rectè ait „ ſi homo non eſſet operator, „ Deus non eſſet cooperator.

Petes; an univerſaliter in quavis juſtificatione peccatoris requirantur hi motus liberi arbitrii, tamquam diſpoſitiones.

Hi quinque motus tamquā diſpoſitiones nō pręrequiruntur in juſtificatione parvulorū.

Reſp. negat. non enim in juſtificatione parvulorum, aut adultorum ratione non utentium; cum enim tales culpam originalem contraxerint ſine proprio & actuali motu voluntatis, etiam ſine proprio voluntatis motu per Baptiſmum juſtificantur; quippè quem illi excitare non poſſunt.

Petes; an in adultis ratione utentibus iſti motus liberi arbitrii debeant eſſe ſimul cum ipſa juſtificatione.

Nec adultorū ratione non utentium.

Reſp. quando quis juſtificatur per ſuſceptionem alicujus Sacramenti, non eſſe neceſſe motus illos liberi arbitrii eſſe ſimul; ſed ſufficere illos præceſſiſſe: ut patet in illo qui mane elicuit contritionem, & vi illius, unâ aut alterâ horâ poſt confitetur, & abſolvitur certe in ipſa abſolutione diſtrahitur, nihil tunc cogitans de contritione: quod ſi quis verò juſtificetur per propriam diſpoſitionem ſine reali ſuſceptione alicujus Sacramenti, tunc motus liberi arbitrii ſimul debet adeſſe cum ipſa juſtificatione; quia ille eo ipſo eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem, quâ poſitâ, ipſa infunditur.

Petes, an motus ille, qui tunc eſt ultima diſpoſitio ad gratiam juſtificantem, procedat ab illa tamquam cauſâ efficiente.

Diſpoſitiones illæ nō procedunt efficiēter à gratia habituali.

Reſp. negativè, ſed à gratia actuali liberum arbitrium movente: quod probatur; quia videmus in naturalibus diſpoſitiones prævias, ſubjectum aliquod diſponentes ad introductionem alicujus formæ non effici ab ipſa forma, quia ſunt priores formâ, illaque eſt poſterior; agere autem præſuppo-

nit

Digitized by Google

nit eſſe. Eapropter Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ait adultos, qui juſtificantur, recipere juſtitiam ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem; utique præviam ipſi juſtificationi.

Petes, an ejuſmodi motus; v. g. contritio, efficienter cauſet gratiam juſtificantem.

Contritio non cauſat efficienter gratiã habitualem.

Reſp. negativè: quia, ut adhuc poſtea dicemus, hâc poſitâ, adhuc pendet à voluntate Dei infundere gratiam habitualem, ita ut quando illam iufundit, ſit novum beneficium diſtinctum ab ipſa contritione, quam gratuitò dedit.

DUBIUM III.

An has diſpoſitiones neceſſariò ſequatur Juſtificatio.

Diſpoſitio alia remota, alia proxima.

SUpponendum, duplicem dari diſpoſitionem ad juſtificationem; unam remotam, conſiſtentem in actibus fidei, timoris, ſpei, &c. aliam proximam, conſiſtentem in actu contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia. Quibus præmiſſis.

Diſpoſitionem proximã non conſequitur neceſſario juſtificatio.

Dico 1. diſpoſitionem remotam non neceſſariò ſequitur juſtificatio; in quo omnes Catholici conveniunt: loquendo verò de proxima; quamvis diverſi aliter ſentiant dicimus tamen, juſtificationem non neceſſariò illam conſequi.

Probatur.

Probatur 1. quia licet formæ naturales, naturaliter ſtatim conſequantur ſubjectum ultimè ad illas diſpoſitum (prout experientiâ videmus) quæ, & in eodem ſic quoque conſervantur (niſi aliter fiat per miraculum) tamen gratia juſtificans neque naturaliter conſequitur ſuas diſpoſitiones; quippe quæ non datur ſecundum naturalem rerum ordinem, ſed ex puro Dei beneplacito & miſericordia infunditur illis quibus vult, quando vult, & quibus modis vult.

Probatur 2. ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. ubi ait, "eccleſiaſtica autem conſuetudo "declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius moralis peccati, quantumvis contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere debeat .... modo non deſit illis copia confeſſoris: & hoc ideo, ne tantum ſacramentum indignè ſuſcipiatur; ac proinde ſentit pœnitentem ordinariè non juſtificari per ſolam contritionem: nam ſi per contritionem quis ordinariè juſtificaretur, non malè faceret, nec periculo ſacrilegii ſe exponeret, qui contritus, abſque prævia confeſſione, hoc ſacramentum ſuſciperet.

Probatur 3. ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait „ quod contritionem "aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo "reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur: ex quo infertur, ſi aliquando; ergo non ſemper: &, ſi contingat; ergo non,

non infallibiliter: ſicuti de Sacramentis non rectè diceretur quod contingat ea aliquando conferre gratiam ex opere operato, eò quod ſemper & infallibiliter conferant gratiam non ponentibus obicem. Præterea eodem loco agnoſcit Synodus Tridentina veram contritionem, licet imperfectam, quæ per ſe non valet juſtificare ſine ſacramento.

Probatur 4. S. Paulus, licet mirabiliter converſus, non ſtatim tamen accepit remiſſionem peccatorum, ſed tunc demum, quando fuit baptizatus: prout indicatur Actor. 22. ubi dicitur *exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

Probatur 5. Magdalena, eſto multùm diligeret, non prius tamen eſt juſtificata, nec conſecuta remiſſionem peccatorum, quam, dum audivit à Chriſto *remittuntur tibi peccata tua.*

Probatur 6. quia peccata nec ordinariè, nec frequenter remittuntur cathecumenis, quantumvis contritis, ante realem ſuſceptionem baptiſmi; ut ait S. Auguſt. tract. 13. in Joan. dum ait „quantumcumque cathecumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat; nec illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum. & lib. 4. de Baptiſ. cap. 8. ait „quamvis laudetur Cornelius Centurio à ſcriptura, nondum tamen fuit talis ut ſalvus eſſe poſſet.

Probatur 7. omnibus rationibus & argumentis, quibus probatur neceſſitas ſacramenti pœnitentiæ.

Et hanc ſententiam tenet Molanus in ſua Theologia practica c. 8. ubi ait „non eſt exiſtimandum per ſolam contritionem regulariter remitti peccata. Ita quoque ſentit Eſtius in 4. ſent. diſt. 17. Ita quoquè Sylvius in ſupplement. quæſt. 5. art. 1. Idem habent Statuta Attrebatenſia, titulo de pœnitentia.

Dices; hæc ſententia, per contritionem etiam charitate perfectam non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis & martyrii ſine actualis ſuſceptione ſacramenti, eſt inter Articulos Bay, num. 68. damnata à Pio V. *Objectio 1.*

Reſp. hanc propoſitionem prohibitam nihil contra nos facere; neque enim nos aſſerimus contritionem charitate perfectam numquam juſtificare extra caſum neceſſitatis & martyrii, quod Pontifex damnat: ſed hoc ſolum dicimus, contritionem, etiam charitate perfectam, neque ordinariè, neque ſemper remittere peccata ante ſacramenti ſuſceptionem; ſed aliquando.

Petes; ſi contingat contritionem, aut actum amoris Dei ſuper omnia aliquando juſtificare ſe ſolis ſine actuali ſuſceptione ſacramenti; quandonam hoc contingat. *Quandonam cõtritio ſe ſolâ juſtificet ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

Reſp. non eſſe dubium quin hoc accidat in mortis articulo, quando ſacerdos haberi nequit: 2. quando occurrit caſus ſcandali, aut alterius peccati

peccati incurrendi ſi petatur abſolutio. 3. quando deeſt copia confeſſarii, aut ad confeſſarium non patet acceſſus. Ultimò denique, etiam extra ejuſmodi caſus, nimirum quando, & quibus vult Deus.

Dices Ezech. 33. dicitur, *impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* & cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus eſt .... omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor.*

Objectio 1. Reſp. ejuſmodi & ſimiles ſcripturæ, quæ juſtificationem aut remiſſionem peccatorum adſcribunt pœnitentiæ, non excludunt alia ad juſtificationem requiſita: præterea dico; ad ſcopum Scripturæ, bene dici quod impietas tunc non nocebit impio; quia, licet needum ſint ipſi remiſſa peccata, tamen ad eorum remiſſionem eſt propinqua diſpoſitio: ſimili modo intelligitur illud Gen. 2. *In quocumque die ex eo comederis morte morieris*: Id eſt pœnæ mortis eris obnoxius, & ad illam ſubeundam diſpoſitus; quamvis mors longè poſt fuerit ſubſecuta.

Objicies in veteri lege contritio erat ultima diſpoſitio ad juſtificationem impii; ergo & in nova.

Reſp. & dico 1. antecedens non eſſe univerſaliter verum, quandoquidem ex Levitico pateat, quod quædam peccata non poterant remitti ſine ſacrificiis à Moyſe præſcriptis; quæ licet tunc nullam ad hoc haberent vim, valebant tamen ex fide mediatoris.

2. Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia nunc habemus ſacramenta, quæ ſunt efficacia remiſſionis peccatorum, quæque quamdam moralem certitudinem præſtant veniæ acceptæ; qualia in veteri Teſtamento non erant: unde tunc peccata illis hominibus remittebantur, vel quando ſingularem aliquem actum proteſtationis fidei in mediatorem eliciebant per ſacrificia, vel alio tempore incerto; non verò ſtatim ac erant contriti.

Dices: converſio ad Deum tollit averſionem à Deo; ſed per actum charitatis, aut contritionis quis convertitur ad Deum; ergo.

Reſp. converſionem ad Deum quidem tollere averſionem à Deo quoad affectum, non tamen ſtatim quoad effectum; hoc eſt, quoad maculam & peccatum.

Dices Catheciſ. Romanus in materia de Contritione quæſt. 30. dicit „ Statim ut eam mentibus noſtris concepimus, peccatorum remiſſionem nobis à Deo tribui .... ex quo licet cognoſcere, veræ contritionis eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus: quomodo & S. Leo epiſt. 91. ait „ apud Deum nullas patitur moras vera converſio.

Reſp. ad primum; admittendo verba Catheciſmi; quæ tamen de-

Digitized by Google

bent conferri cum iis, quæ habet quæſt. 32. ubi ſe ipſum explicat, dum ait, „ut hoc concedamus, " contritione peccata deleri, quis " ignorat illam adeo vehementem, " acrem, intenſam eſſe oportere, " ut doloris acerbitas cum ſcele- " rum magnitudine æquari, con- " ferri poſſit? at quoniam pauci " admodum ad hunc gradum per- " venirent, fiebat etiam, ut à pau- " ciſſimis hâc viâ peccatorum ve- " nia ſperanda eſſet. Quare neceſ- " ſe fuit, ut clementiſſimus Do- " minus faciliori ratione commu- " ni hominum ſaluti conſuleret: " quod quidem admirabili conſilio " effecit, cum claves regni cæleſtis " Eccleſiæ tradidit. Ex quo patet non omnem contritionem ſtatim & infallibiliter conſequi juſtificationem.

Dices, Pſalmo 50. ait Pſalmiſta, *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*; ergo tale cor ſtatim eſt juſtificatum.

Reſp. negando conſequentiam; nam eſto Deus non ſtatim remittat peccatum, propterea tale cor contritum, non deſpicit: ſicuti quoque non deſpicit fidem, eleëmoſynas peccatorum pœnitentium; eſto propterea non ſtatim illis peccata remittat.

Dices, Concil. Trid. ſeſſ. 6. recenſens diſpoſitiones, ad juſtificationem, ſtatim ſubjungit: hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur.

Reſp. admittendo verba Concilii; in quibus bene notandum quod non dicat, infallibiliter conſequi; nec ſemper, nec proximè; alioquin enim homo peccator ſemper juſtificaretur ante ſuſceptionem Sacramentorum; & conſequenter illa numquam conferrent primam gratiam.

DUBIUM IV.

Quæ fides ad juſtificationem ſit neceſſaria.

POſteaquam in præcedentibus oſtendimus, ad juſtificationem peccatoris adulti prærequiri aliquos motus liberi arbitrii; hoc Dubio in particulari inquiremus an prærequiratur motus fidei. Ad quod.

Reſp. Affirm. quia ad juſtificationem peccatoris adulti prærequiritur actus voluntatis, quo avertatur à creatura, & convertatur ad creatorem; quæ converſio fieri non poteſt ſine prævia ſupernaturali cognitione dirigente; quæ eſt actus fidei. *Ad juſtificationē in adulto requiritur actus fidei.*

Patet hoc ipſum ex diverſis Scripturæ locis: præſertim ad Hæb. 11. ubi ait Apoſt. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: item Marci ultimo, *qui non crediderit condemnabitur*.

Probatur hoc ipſum ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi dicitur, " diſponuntur autem ad ipſam juſti- " tiam dum excitati divina gratia & " adjuti, fidem ex auditu conci- " pientes &c.

Porro

Digitized by Google

Hæretici male dividūt fidē in hiſtoricā, miraculorum, & promiſſionū.

Porro in hoc puncto, nempe ad juſtificationem prærequiri fidem, hæretici cum Catholicis conveniunt: qui tamen male fidem illam tripliciter dividunt, dicentes aliam eſſe fidem hiſtoricam; quâ nimirum credimus verum eſſe quidquid in Scriptura S. continetur: ſecundam appellant fidem miraculorum; quâ nimirum credimus Deum poſſe facere miracula: tertiam appellant fidem promiſſionum, quâ credimus Deum promiſiſſe remiſſionem peccatorum. Hanc ultimam ſpeciem fidei ſubdividunt illi in generalem, & ſpecialem: generalem vocant, qua credimus Deum generaliter omnibus credentibus promiſiſſe remiſſionem peccatorum: ſpecialem appellant, qua quis in particulari certiſſimè credit peccata ſua ſibi eſſe remiſſa. Et hanc ſolum appellant fidem juſtificantem; eò quod per eam apprehendant Chriſti juſtitiam ſibi applicari in particulari: ſed falsò, quippe cum talis fides ad juſtitiam nihil conferat; nam talis fides non exſtat, nec citra revelationem haberi poteſt; & contrarium ejus eſt à Conc. Trid. tamquam hæreſis, reprobatum.

Quam pejus ſubdividunt in generalem, & ſpecialem.

Quid fides juſtificās apud hæreticos.

Eapropter, hoc hæreticorum errore rejecto, prout & ante dictis fidei diviſionibus, dicimus quod fides ad juſtificationem requiſita, ſit illa quâ credimus vera eſſe quæ divinitus revelata ſunt: unde Marci ultimo habetur *qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit* & Act. 8. Eunucho petenti *Ecce aqua quis prohibet me baptizari*: reſpondit Philippus *ſi credis ex toto corde, licet*, qui ait, *credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. His accedit vetuſtiſſima eccleſiæ conſuetudo, quâ cathecumeni interrogantur, an credant articulos fidei: eapropter fides hæc non eſt certa fiducia, adeoque nec actus voluntatis; ſed intellectus.

Quid fides ad veram juſtificationē requiſita.

Porro hæc falſa hæreticorum fides, qualiſcumque illa ſit, eſt ſummè pernicioſa; quippe auferens omne ſtudium & exercitium bonorum operum, & laxans fræna omnibus vitiis & concupiſcentiis: nam poterit quiſque hâc falsâ fidei imaginatione imbutus ſic argumentari; quidquid agam, ſive luxurioſè vivam, ſive adulterer, ſive furer, dummodo ego mihi per fidem applicem juſtitiam Chriſti, equidem juſtificabor: quo diſcurſu profecto nihil eſt pernicioſiùs. Et ſane quis dubitat inter fideles credentes, multos eſſe fornicarios, adulteros, ebrioſos; & tamen ait, Apoſt. 1. ad Cor. 6. *nolite errare neque fornicari, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque .... molles regnum Dei poſſidebunt*.

Petes; an ſola fides, tamquam diſpoſitio, ſufficiat ad juſtificationem obtinendam, prout ſomniant hæretici (quamvis aliqui illorum ſimul requirant opera tamquam ſigna fidei ſuæ.)

Reſp. negat. quod probatur ex Apoſt. 1. ad Cor. 13. *ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, chari-*

Sola fides non juſtificat.

tatem autem non habuero: nihil ſum. Et Jac. 2. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere: opera autem non habeat? num quid poterit fides ſalvare eum?*

Probatur hoc ipſum ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 9. ubi dicitur " ſi quis dixerit ſola fide impium " juſtificari; ita ut intelligat nihil " aliud requiri, quod ad juſtifica- " tionis gratiam conſequendam " cooperetur, & nulla ex parte ne- " ceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis " motu præparari atque diſponi; " anathema ſit.

Probatur hoc ipſum ratione, quia quando homo peccat, voluntate ſua avertitur à Deo; igitur ut tollatur illa averſio, requiritur converſio voluntatis ad Deum.

Qualiter bona opera concurrant ad juſtificationem.

Petes; quomodo ergo bona opera ſe habeant in ordine ad juſtificationem.

Reſp. ſi illam præcedant, juſtificant diſpoſitivè; ſi verò ſubſequantur, juſtificant formaliter juxta illud 1. Joann. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.*

Petes; quomodò ſola fides non juſtificet, quandoquidem ad Roman. 3. dicat Apoſtolus *arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.*

Objectio 1.

Reſp. Apoſtolum ibidem ſolum excludere opera legis Moyſaïcæ; non verò opera facta ex Dei gratia, prout ſunt dolor, ſpes, charitas: quod patet ex ſcopo Apoſtoli ibidem: quod & multis aliis locis inſinuat, nominatim ad Epheſ. 2. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem (& hoc non ex vobis Dei enim donum eſt) non ex operibus*; nempe legalibus.

Objectio 2.

Dices; ad Rom. 4. ait Apoſt. *Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Reſp. dicto loco non agi de prima juſtificatione, ſed de ſecunda; hoc eſt de augmento ipſius juſtificationis: nam libenter concedimus, per unum ſolum actum fidei vivæ, nos poſſe acquirere augmentum juſtificationis; eò quod actus fidei in homine juſto ſit meritorius de condigno augmenti gratiæ ſanctificantis.

Objectio 3.

Dices; Scriptura S. frequentiſſimis aliis locis juſtificationem attribuit fidei: prout ad Rom. 1. *Juſtus ex fide vivit*: & Marc. 5. *Fides tua ſalvam te fecit* &c.

Reſp. id eſſe verum; ſed bene quoque notandum, juſtificationem à Scriptura non adſcribi ſoli fidei: unde, eſto dictis locis ſolius fidei fiat mentio, non tamen excluduntur alii actus neceſſarii ad juſtificationem, quorum aliis locis fit mentio: ſic enim quandoque juſtificatio à Scriptura tribuitur ſpei, pœnitentiæ, dilectioni: ut patet ad Rom. 8. ubi dicitur, *ſpe ſalvi facti ſumus*; ac proinde ſicuti nihil novi eſt in Scriptura S. beatitudinem adſcribi partialibus ejus cauſis, quatenus aliquouſque ad illam diſponunt, ita nihil mirum quod ab eadem, juſtificatio adſcribatur partialibus ejus diſpoſitionibus.

Petes;

Cur Scriptura juſtitiâ tribuat particulariter fidei.

Petes; cur potius Scriptura Sacra faciat mentionem fidei, quam aliorum actuum in ordine ad juſtificationem.

Reſp. ex eo, quod fides ſit fundamentum, initium, & radix noſtræ juſtificationis: fundamentum quidem, quia tota noſtra juſtificatio illi tamquam baſi innititur: initium verò, quia juſtificatio noſtra inchoatur à motu fidei, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. „diſponuntur " autem ad juſtificationem, dum " excitati divinâ gratiâ & adjuti, fi" dem ex auditu concipientes &c. radix verò, quia illa inſtar radicis, germinare facit actus aliarum virtutum: ſic enim actus quo quis credit Deum ſummum bonum, excitat dilectionem Dei ſuper omnia: actus verò quo quis Deum credit ſummè juſtum, excitat timorem: & ſic de cæteris.

Itaque fides dicitur juſtificare diſpoſitivè; quia nempe ad juſtificationem diſponit, illamque de congruo impetrat & meretur; nam, ut ait S. Aug. lib. de præd. SS. c. 7. „intui" tu fidei donantur cætera, quæ ad " juſtificationem pertinent.

Petes; an fides informis, hoc eſt quæ non eſt charitate formata, juſtificet diſpoſitive.

An fides informis juſtificet.

Reſp. Affirm. quamvis non omnis: datur enim duplex fides informis; una operoſa, altera otioſa: hæc reperitur in peccatore impœnitente; in eo, modo quaſi mortuo, exiſtens; quæ proinde nec diſpoſitivè, nec formaliter juſtificat; prior, nempe operoſa, reperitur in peccatore pœnitente, illumque excitat ad actum timoris, ſpei, pœnitentiæ, & charitatis; adeoque illum diſpoſitivè juſtificat; quæ non eſt dicenda abſolutè mortua, nec abſolutè viva; ſed imperfecta. quod attinet ad fidem charitate formatam, non eſt dubium quin illa juſtificet; eò quod illa ſit pars cauſæ formalis noſtræ juſtificationis, ex qua procedunt omnia opera meritoria de condigno.

Petes; quodnam ſit objectum fidei juſtificantis.

Reſp. omne id, quod Deus eccleſiæ ſuæ revelavit, ſive illud ſcriptum ſit, ſive non ſit, & per eccleſiam ſuam credendum propoſuit.

Petes; an ſit neceſſe omnia illa objecta explicitè credere ut quis juſtificetur.

Reſp. negat. ſed illa ſolum quæ ſunt credenda neceſſitate medii ad ſalutem: & præſertim „juſtificari " impium à Deo per gratiam ejus, " per redemptionem quæ eſt in " Chriſto Jeſu: prout dicitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.

Petes; an actus fidei, ad juſtificationem requiſitus, ſit neceſſarius eo puncto temporis, quo eliciuntur actus voluntatis ad juſtificationem requiſiti.

Reſp. quandoquidem ex parte intellectus ſemper prærequiratur aliquis actus ſupernaturalis, qui dirigit actus voluntatis ſupernaturales;

les; neceſſe eſſe præcedere, vel ejuſmodi actum formalem fidei aut ſaltem actualem memoriam credendorum.

Petes; poſteaquam aliquis per fidem juſtificatus eſt, ſi poſtea labatur in peccatum mortale: an denuo requiratur actus fidei, ut quis de novo juſtificetur. Ratio dubitandi eſt, quia fides non amittitur per omne peccatum mortale.

Reſp. Quandoquidem ad juſtificationem prærequirantur aliqui actus voluntatis, nempe timoris, ſpei, amoris, doloris, &c. eatenus quoque prærequiri actum fidei, aut ſaltem memoria credendorum, ad ſiſtendum voluntati objecta ſuorum actuum.

DUBIUM V.

De diſpoſitionibus, ex parte voluntatis requiſitis, ad juſtificationem impii.

ENarravimus ſupra ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. actus ex parte voluntatis requiſitos ad juſtificationem impii, 1. timorem, 2. ſpem, 3. amorem Dei, tamquam omnis juſtitiæ fontis. 4. odium, ſeu deteſtationem peccati, 5. propoſitum obſervandi omnia Dei mandata.

Timorē prima diſpoſitio ad juſtitiā ex parte voluntatis.

Quod attinet ad timorem elicitur ille à peccatore ex conſideratione divinæ juſtitiæ, & pœnarum peccatis debitarum; de quo Eccleſiaſt. 1. dicitur *timor Domini expellit peccatum.* & ſane quod ejuſmodi timor ſervilis ſit utilis & bonus ad juſtificationem, patet ex Trid. ſeſſ. 6. can. 8. " ſi quis dixerit gehennæ metum, " per quem ad miſericordiam Dei " de peccatis dolendo confugimus, " vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores " facere; anathema ſit.

Quod & manifeſtâ ratione probatur; quia cum timor pœnarum, & privationis beatitudinis, oriantur ex amore boni oppoſiti; nempe beatitudinis, & integritatis proprii corporis, non poteſt is eſſe malus: quandoquidem amor beatitudinis, prout & integritatis proprii corporis, non ſit ex objecto ſuo malus.

Timor ſervilis non cōſiſtit cū charitate perfecta.

Dices 1. Joan. cap. 4. habetur, *Timor non eſt in charitate; ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.*

Reſp. inde tantum ſequi, timorem ſervilem non conſiſtere cum charitate perfecta; ſed non ſtatim inde ſequi, eum eſſe malum: quod autem perfecta charitas expellat timorem, patet, quia illa expellit peccatum, & conſequenter hunc timorem, qui eſt peccati comes; utpote qui ex peccati necdum remiſſi conſideratione naſcitur: qui tamen non eſt malus, utpote initium ſapientiæ, introducens charitatem, ſicut ſeta ſutoris filum, ut ait S. Aug. tract. 9. in Joan. ſeta enim prius intrat, ſed niſi exeat, non intrat filum: ſic timor pœnarum primò invadit peccatoris voluntatem, ſed non remanet;

Non eſt malus quoad ſubſtātiam.

manet; quia ideo intravit, ut introduceret charitatem, non remanet, inquam, cum ſua ſervilitate, licet poſſit manere quoad ſuam ſubſtantiam.

Neque neceſſaria diſpoſitio ad juſtificationem; attamen utilis.

Petes; an timor ſervilis ſit neceſſaria diſpoſitio in adulto pro conſequenda juſtificatione.

Reſp. neg. quod patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi ait, quo peccatores, utiliter, concutiuntur; non verò neceſſariò. Probatur hoc ipſum ratione; etenim poteſt quis, cognito per fidem Deo, ſperare per ejus miſericordiam veniam peccatorum, illum ſuper omnia diligere, & dein elicere perfectam contritionem; ita ut per naturalem oblivionem non recordetur pœnarum inferni: quamvis tamen hoc rariſſimè contingat; imo verò numquam, ut quiſquam, volens ex Ethnico fieri Chriſtianus, veniat, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus, ut ait S. Aug. lib. de Cathec. rudibus: hoc ipſum inſinuatur Eccli. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.*

Secũda diſpoſitio eſt actus ſpei.

Secundus actus, ſeu diſpoſitio eſt, ſpes veniæ conſequendæ, quam peccator concipit ex conſideratione divinę miſericordię propter Chriſti merita: de hac loquitur Apoſt. ad Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus*: de qua S. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 1. „ nemo poteſt agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam: quod inde patet, quia niſi peccator ſperaret conſequi juſtitiam, ad illam conſequendam, media non adhiberet.

Actus ſpei eſt ad juſtificationẽ neceſſarius.

Petes; an actus ſpei ſit diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem.

Reſp. Affir. quod patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. „ Si quis dixerit, " ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem, credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferarur; anathema ſit.

Petes; quodnam ſit objectum ſpei in peccatore; ſeu quidnam oportet ipſum ſperare.

Reſp. 1. dandam gratiam ad pœnitendum, 2. veniam peccatorum concedendam per Chriſti merita, & ultimatè vitam æternam.

Petes; an hic actus ſpei in peccatore debeat eſſe formalis in ipſo puncto juſtificationis.

Reſp. neg. ſed ſufficere, fuiſſe formalem; & modò virtualiter permanere.

Tertia diſpoſitio eſt actus charitatis.

Tertia diſpoſitio, eſt amor Dei, tamquam fortis omnis juſtitiæ, utique actus amoris amicitiæ, non concupiſcentiæ; & quidem amor concupiſcentię eſt actus ſpei ex genere & objecto ſuo bonus; unde dum tract. 2. dub. 5. diximus eum eſſe malum, id intelligendum venit de amore concupiſcentiæ conſiderato in individuo, ſemper malo ob defectum relationis ad ultimum finem. De qua dilectione communiter intelligitur Scriptura, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: & Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus*

Digitized by Google

meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Quarta odium peccati

Quarta diſpoſitio, eſt odium peccati, ſeu deteſtatio & pœnitentia: de qua Lucæ 13. dicitur *Si pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Quinta propoſitũ ſervandi Dei præcepta.

Quinta diſpoſitio, eſt propoſitum obſervandi omnia Dei mandata; adeoque ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, vel pœnitentiæ; eò quod neque vera dilectio, neque vera pœnitentia ſine hujuſmodi propoſito conſiſtere poſſit, dicente Chriſto Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt qui diligit me.*

Ad juſtificationem ſemper prærequiritur actus fidei.

Petes; an ad juſtificationem adulti omnes iſti motus requirantur explicitè & formaliter in ſe.

Reſp. ex ante dictis; ſemper præ-requiri explicitum aliquem actum fidei; explicitus verò actus timoris (licet ordinariè adſit) non tamen ſemper requiritur: ut patet ex dictis, quinimo nec implicitus, ſaltem ſervilis; ſecus filialis: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 6 can. 3. enumerante omnes diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas; ubi non meminit timoris. Quod verò attinet ad motus ſpei, dilectiois, pœnitentię, & propoſiti; etſi frequenter adſint expliciti & formales; ſufficiunt tamen impliciti: quia ſufficit dilectio Dei ſuper omnia, virtute includens ſpem veniæ, odium peccati, & propoſitum obſervandi omnia Dei mandata in illo homine diligente, cui non occurrerent peccata ut vitanda, neque divina mandata ut ſervanda: quod ſi verò peccata occurrerent memoriæ, deberet ſimul cum Dei amore eſſe formalis illorum deteſtatio; ſiquidem convincitur Deum non amare, qui ejus offenſam, quæ diſſolvit ejus amicitiam, non odit.

Alii motus etſi frequẽter ſint expliciti, ſufficiunt tamen ſæpe impliciti ad juſtificationem, excepto actu dilectionis.

Petes; an omnes hæ diſpoſitiones, vel ſaltem ultima procedat à gratia habituali, ſeu charitate.

Reſp. negat. quia agere præſupponit eſſe; gratia autem habitualis ordine naturæ eſt poſterior ipsâ contritione; ſicuti forma, ſuâ diſpoſitione: quod inde patet, quia illa demum eſt, quando inhæret ſubjecto; diſpoſitio verò intelligitur ante eidem infuiſſe utpote quę diſpoſuerit ſubjectum ad introductionem formæ: hoc ipſum patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. ubi refert omnes illas diſpoſitiones in gratias prævenientes, tamquam in cauſas illarum.

Dices; actus ille, qui eſt quaſi ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, eſt meritorius vitæ æternæ de condigno; ergo efficienter procedit à gratia habituali.

Reſp. eſto quamplurimi negent antecedens; negando conſequentiam: ad hoc enim ut hujuſmodi actus ſit meritorius, ſufficit ut procedat à perſona exiſtente in gratia, quamvis non procedat effectivè ab ipſa gratia.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM VI.

An Juſtificatio impii includat remiſſionem peccatorum.

DIco primò: juſtificatio ſimpliciter ſumpta, neque eſt remiſſio peccatorum, neque illam eſſentialiter includit: quod patet in juſtificatione Angelorum: item primorum noſtrorum parentum in ſui creatione, in quibus nullum præceſſit peccatum: unde juſtificatio ſimpliciter ſumpta non eſt aliud, quam acquiſitio juſtitiæ, vel tranſitus à negatione juſtitiæ ad juſtitiam.

Juſtificatio impii includit eſſẽtialiter remiſſionẽ peccatorũ ſecus juſtificatio in genere.

Dico 2. juſtificatio impii includit eſſentialiter remiſſionem peccatorum: cum enim illa ſit tranſitus de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ ſeu juſtitiæ, includitur in ea remiſſio peccatorum quæ ſunt terminus à quo iſtius tranſitus; ipſa verò gratia juſtificans eſt terminus ad quem.

Petes; an ergo in juſtificatione impii peccata ſic remittantur, ut abſolutè auferantur.

Peccata in juſtificatione omnimodè tolluntur.

Reſp. Affirm. quod eſt de fide: prout patet ex Scriptura Joan. 20. ubi ait Chriſtus Apoſtolis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: Item Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*: quibus verbis (cum nihil hic cogat accipere Scripturam impropriè) in propria ſignificatione acceptis, ſignificatur peccata tolli & auferri. Adde quod Joan. 1. dicatur de Chriſto, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et 1. ad Cor. 6. dicitur *Hæc quidem fuiſtis*: (ſcilicet peccatores) *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificatis eſti*. Confirmatur hoc ipſum ex pluribus aliis Scripturæ locis, quibus dicuntur peccata deleri: ut Pſal. 50. *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*: & rurſus, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor.*

Dices Scriptura S. Pſal 31. ait, peccata ſic remitti, ut tantum tegantur: dum ait, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*; ſed id quod tegitur, manet; licet occultetur; ergo manent peccata.

Reſp. Etſi verbum, *Tego*, quando refertur ad homines, plerumque ſignificet, manere id quod tegitur; non tamen quando refertur ad Deum: cum enim omnia nuda ſint & aperta oculis ejus, nihil poteſt ipſi tegi, niſi id quod non eſt.

Dixi verbum *tego* quando refertur ad homines plerumque ſignificare, manere id quod tegitur, quia hoc non eſt ſemper verum; quia & Medicus bono emplaſtro dicitur tegere vulnera, ſic tamen ut illa omnimodè tollat: quo modo quoq; Deus dici poteſt tegere vulnera animæ noſtræ, id eſt peccata, dum ea tollit.

Dices; eodem Pſalmo dicitur *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, ergo remiſſio peccati eſt ſola non imputatio peccati, quod proinde non tollitur.

Reſp. neg. conſequentiam; idcirco

circo enim peccatum non amplius imputatur, quia non amplius eſt.

Dices 1. Petri 4. dicitur, *Charitas operit multitudinem peccatorum*; ergo peccata adhuc manent.

Reſp. negando conſequentiam; quia charitas eatenus peccata operit, quatenus illa delet; ſicut efficax emplaſtrum vulnera.

Quomodo concupiſcentia appelletur peccatum. Manet hæc in renatis.

Dices; concupiſcentia, quæ eſt peccatum, manet in homine, quomodocumque juſtificatur.

Reſp. concupiſcentiam, quæ in renatis manet vocari peccatum, non formaliter, ſed cauſaliter; quatenus nimirum inclinat ad peccatum, aut etiam, quia eſt effectus & pœna peccati originalis.

DUBIUM VII.

An gratia Sanctificans requiratur ad Juſtificationem Impii.

Juſtificatio non cōſiſtit in ſola remiſſione peccatorū; ſed in ſuper ad eam requiritur gratia ſanctificans.

RESP. affirm, quod eſt de fide; illa enim animæ hominis impii divinitus infunditur; ut patet ex Apoſtolo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*.

Idem probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. „Si quis dixerit „homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ „peccatorum remiſſione, excluſâ „gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut „etiam gratiam quâ juſtificamur, „eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit. Et cap. 7. ejuſdem Seſſ. dicitur. „Hanc diſpoſitionem, ſeu „præparationem juſtificatio ipſa „conſequitur; quę non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Petes; an gratia quâ juſtificamur, ſit forma nobis inhærens; an verò aliquis actus tranſiens charitatis, vel contritionis.

Quę eſt qualitas permanens.

Reſp. eſſe habitum, ſeu qualitatem permanentem: quod patet; quia homo etiam eſt juſtus dum dormit, & ceſſat ab omni actu: eo modo quo peccator, ceſſante actu peccati, ratione maculæ permanentiś, denominatur peccator, etiam dum dormit: præterea gratia quâ juſtificamur, creſcit, & paulatim fit intenſior: actus autem non intenditur, ſed habitus per actus ſequentes. Præterea juſtificatio adultorum non differt à juſtificatione parvulorum, ſaltem ex parte formæ (ſecus dicendum ex parte diſpoſitionum) ſed hi juſtificantur gratia permanente; ergo & illi. Inſuper ſicut fieri nequit, quod paries ſit formaliter albus, niſi recipiat albedinem: ita fieri nequit, quod homo ſit formaliter juſtus, niſi in ſe recipiat gratiam juſtificantem.

Objicitur.

Objicies cum hæreticis; nos eſſe tantum juſtôs denominatione extrinſecâ, ob juſtitiam Chriſti nobis imputatam; idque ob rationes & argumenta ſequentia 1. quia ad Corinth.

Corinth. 1. dicitur quod Chriſtus *Factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Item 2. ad Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Præterea ad Eph. 1. *Gratificavit nos in dilecto filio ſuo.* Et ad Rom. 4. *Credenti in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* Denique ad Rom. 5. *Per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.*

Reſp. Ad primum & dico, Chriſtum vocari juſtitiam & ſanctificationem noſtram, non formaliter, ſed efficienter; quatenus nimirum illam in nobis cauſat, non tantum efficienter, ſed & meritoriè.

Ex quibus quoque patet ſolutio ſecundi; nempe ſimiles propoſitiones importare ſenſum cauſalem, quaſi dicatur Chriſtus factus eſt nobis cauſa omnis juſtitiæ nobis inhęrentis: ſimili quoque modo explicari poſſunt quamplurimæ ſcripturæ, quibus Deus dicitur eſſe fortitudo noſtra, vita noſtra, ſapientia noſtra.

Ad tertium: Reſpondeo & dico ſenſum illius ſcripturæ eſſe, quod Chriſtus factus ſit peccatum, hoc eſt factus in ſimilitudinem peccatoris, dum Pater, adinſtar peccatoris eum permiſit crucifigi, ut nos ejus merito efficeremur intrinſecè juſti.

Ad quartum: reſpondeo & dico, idem eſſe ac ſi Apoſtolus diceret, gratos nos fecit per dilectum filium ſuum.

Ad quintum: dico, Apoſtolum aliud non velle, quam quod Abraham conſecutus ſit juſtitiam ſeu gratiam juſtificantem ratione actus credendi, quo Deo promittenti credidit ſemen ex ſe naſciturum, qui actus credendi, cum eſſet actus vivæ fidei, utique erat meritorius incrementi juſtitiæ.

Ad ſextum dico, illud, *per*, non deſignare cauſam formalem, ſed meritoriam; ita ut ſenſus ſit, quod Chriſtus obedientiâ ſuâ juſtis promeruerit juſtitiam.

Et certè ſi, ut hæretici ſomniant, fideles eſſent juſti ſolâ denominatione extrinſecâ, nempe à Chriſti juſtitia ipſis imputata, ſequeretur omnes juſtos eſſe æqualiter juſtos; neque enim ſanctitas, aut juſtitia Chriſti magis poſſet imputari uni quam alteri, cum extrinſecè ſeſe haberet æqualiter ad omnes: unde & ſequeretur omnes fore æqualiter ſanctos in cœlis, eò quod gloria correſpondeat ſanctitati in terris. denique ſequeretur juſtitiam noſtram non augeri merito bonorum operum, cum tamen dicatur Apoc. 22. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.*

DUBIUM VIII.

Quænam ſint cauſæ Juſtificationis.

HAs deſcribit Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. his verbis „ hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei & Chriſti, ac vita Quæ cauſæ noſtræ juſtificationis

Quæ causa efficiés. ,, vitâ æternâ, efficiens verò miſe-
,, ricors Deus, qui gratuitò abluit
,, & ſanctificat ſignans & ungens
Quæ meritoria. ,, Spiritu promiſſionis Sancto qui
,, eſt pignus hæreditatis noſtræ:
,, meritoria autem, dilectiſſimus
,, unigenitus ſuus Dominus noſter
,, Jeſus Chriſtus: qui, cum eſſemus
,, inimici, propter nimiam charita-
,, tem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſi-
Quę inſtrumẽtalis. ,, mâ Paſſione ligno Crucis nobis
,, juſtificationem meruit, & pro
,, nobis Deo Patri ſatisfecit: inſtru-
Quæ formalis. ,, mentalis item, Sacramentum Ba-
,, ptiſmi, quod eſt Sacramentum fi-
,, dei, ſine qua nulli umquam con-
,, tigit juſtificatio: demum unica
,, formalis cauſa, eſt juſtitia Dei,
,, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ
,, nos juſtos facit; quâ videlicet ab
,, eo donati, renovamur Spiritu
,, mentis noſtræ; & non modo re-
,, putamur ſed verè juſti nomina-
,, mur & ſumus, juſtitiam in nobis
,, recipientes, unuſquiſque ſuam ſe-
,, cundum menſuram, quam Spiri-
,, tus S. partitur ſingulis prout vult,
,, & ſecundum propriam cujuſque
,, diſpoſitionem & cooperationem.
,, Quamquam enim nemo poſſit eſ-
,, ſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis
,, Domini noſtri Jeſu Chriſti com-
,, municantur, id tamen in hac impii
,, juſtificatione fit, dum ejuſdem
,, ſanctiſſimæ Paſſionis merito per
,, Spiritum S. charitas Dei diffun-
,, ditur in cordibus eorum qui juſti-
,, ficantur, atque ipſis inhæret. Unde
,, in ipſa juſtificatione cum remiſ-
,, ſione peccatorum hæc omnia ſi-
,, mul infuſa, accipit homo per Je-
,, ſum Chriſtum cui inſeritur, fi-
,, dem, ſpem, & charitatem.

Petes; an juſtificatio impii fiat in inſtanti, an verò ſucceſſivè. An juſtificatio hominis inſtantanea.

Reſp. ſi juſtificatio accipiatur, non ſolum pro infuſione gratię ſanctificantis, ſed ſimul pro omnibus diſpoſitionibus præviis, illa fit ſucceſſivè; prout patet ex requiſitis à Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. quæ plerumque præcedunt juſtificationem ordine temporis; quamvis non ſemper: quippè cum non implicet Deum eodem inſtanti dare omnes illas diſpoſitiones prævias ſimul cum gratia ſanctificante.

Quod ſi verò juſtificatio accipiatur pro ſola infuſione gratiæ ſanctificantis, ſic fit in inſtanti: quod patet ex dictis Philoſophorum, qui dicunt, illa fieri in inſtanti, quæ habent ſuum eſſe totum ſimul; illa verò in tempore, ſive ſucceſſivè, quorum partes exiſtunt una poſt alteram cum negatione coexiſtentię; qualia ſunt motus localis, alterationis, generationis, &c. Etenim cum gratia juſtificans ſit quid permanens, habeatque totum ſuum eſſe ſimul, ſequitur juſtificationem hoc ſecundo modo acceptam fieri in inſtanti. Quod ulterius probatur; quia neque ex parte Dei infundentis gratiam quidquam obſtat quo minus in inſtanti ponatur, quippe cum ſit agens infinitæ virtutis; neque ex parte ipſius gratiæ, quippe quæ

poſtulet

poſtulet ex natura ſua poni in inſtanti.

An juſtificatio fiat gratis.

Petes; an juſtificatio ſit gratuita.

Reſp. Affirm. quod eſt de fide. & probatur ex Apoſt. ad tit. 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

Petes, an juſtificatio impii ſit majus opus quam creatio totius mundi.

Quomodo juſtificatio impii ſit opus majus quam creatio mundi.

Reſp. Affirm. ſi juſtificatio attendatur penes terminum ſuum ad quem, qui eſt gratia ſanctificans, quippe quæ eſt bonum ſupernaturale; cum per creationem totius univerſi tantum conferatur bonum naturale: bonum autem ſupernaturale longè prǣſtantius eſt bono naturali: quod ſi tamen juſtificatio & creatio univerſi ſpectentur quoad modum fiendi, tunc creatio erit præſtantior juſtificatione; quippe productio rei exnihilo, hæc verò productio rei dependenter à ſubjecto.

Hic Lector. Suſpirando ad Dominum, Dic

Domine Deus, formator meus ab utero matris meæ, non me ſinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari me voluiſſe gloriam tuam: tibi enim ſit gloria, cujus eſt omne bonum; mihi autem confuſio & miſeria; cujus eſt omne malum; niſi tu volueris altius miſereri, gratiâ enim tuâ ſalvus factus ſum per fidem; & hoc non ex me: tuum enim donum eſt, quo me juſtificaſti gratis per ſanguinem unigeniti filii tui: gratias itaque tibi ago Deo Patri, qui me feciſti dignum venire in partem ſortis SS. in lumine, qui eripuiſti me de poteſtate tenebrarum, & tranſtuliſti in regnum filii dilectionis, in quo habeo redemptionem & remiſſionem peccatorum meorum; ego enim eram aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino: eapropter ut filius lucis poſt-hâc conabor ambulare: eram aliquando inſipiens & errans, ſerviens deſideriis & cupiditatibus variis; cum autem apparuit benignitas & humanitas Salvatoris mei, non ex operibus juſtiæ meæ, ſed ſecundum miſericordiam ſuam magnam juſtificavit & renovavit me gratis per Spiritum S. ſuum, quem effudit in me abundè, cui Gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

TRACTATUS XX.

De Merito.

DUBIUM PRIMUM.

An Homo poſſit aliquid mereri apud Deum.

Meritũ & merces ſunt duo correlativa.

Præ notandum; meritum, & mercedem eſſe duo correlativa: ita ut meritum propriè dictum non ſit aliud, quam opus, cui ex juſtitia debetur merces: merces verò ſit res illa, quæ pro opere aliquo ex juſtitia debetur.

Quid meritũ. Quid merces.

Eapropter ſenſus hujus dubii eſt; an homo poſſit facere aliquod opus, propter quod ei ex juſtitia à Deo debeatur merces.

Errores hæreticorum circa meritũ.

Hæretici noſtri temporis mordicus ad hoc reſpondent negativè: ſtabilientes ſuam hæreſim, his ſequentibus argumentis.

Eorum objectiones.

1. Quia Apoſtolus ad Rom. 8. dicit *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: quibus verbis, inquiunt ipſi, excludit Apoſtolus condignitatem operum noſtrorum ad gloriam cœleſtem.

2. Quia ſi juſtus mereatur apud Deum, fiet injuria meritis Chriſti; quippe qui pleniſſimè nobis promeruit vitam æternam: inde enim ſequetur Chriſti meritum non fuiſſe ſufficiens.

3. Meritum dat jus ad mercedem, & retributorem conſtituit debitorem: ſed homo reſpectu Dei nullum poteſt acquirere jus; nec Deus poteſt eſſe debitor alicui creaturæ, cum ſit ſupremus omnium creaturarum dominus.

4. Si reſpectu hominum eſſet aliquod meritum apud Deum, eſſet is injuſtus ſi non retribueret; cum tamen injuſtitia non cadat in Deum.

5. S. Auguſtinus Epiſt. 105. ait „cum Deus coronat merita „noſtra, nihil aliud coronat quam „munera ſua. Quibus non obſtantibus.

Eſt de fide hominem poſſe mereri aliquid apud Deum.

Reſp. fide certum eſſe, hominem poſſe aliquid mereri apud Deum.

Probatur.

Quod probatur 1. ex omnibus ſcripturis, in quibus retributio vitæ æternæ appellatur merces: prout Matth. 5. ubi dicitur: *gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Item Sap. 5. *juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Prout quoque ex aliis Scripturæ S locis quibus vitâ æterna appellatur corona juſtitiæ: hinc

2. ad

2. ad Tim. 4. ait Apoſt. ***bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ***, & ad Hebr. 6. ***non enim injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri.***

Hoc ipſum definitur in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 32. his verbis. „ Si quis dixerit hominis juſtificati „ bona opera ita eſſe dona Dei, ut „ non ſint etiam bona ipſius juſtifi-„ cati merita; aut ipſum juſtificatum „ bonis operibus, quæ ab eo per „ Dei gratiam ... fiunt, non verè „ mereri augmentum gratiæ, vitam „ æternam, atque ipſius vitæ æter-„ næ, ſi tamen in gratia deceſſerit, „ conſecutionem, atque etiam glo-„ riæ augmentum; anathema ſit.

Ad objectiones hæreticorum.

Solutiones objectionũ. Reſp hoc ordine: & quidem ad primam dico; ex illo teſtimonio Apoſtoli tantum ſequi tribulationes noſtras ſecundum ſe conſideratas, prout ſunt à nobis, aut illas patimur, non eſſe proportionatas præmio cæleſti: non tamen id velle Apoſtolum, ſi illæ ſpectentur prout egrediuntur à nobis, & ſimul à Dei gratia: quia tunc habent proportionem ad cæleſtem gloriam, quam accipiunt ab ipſa gratia.

Ad ſecundam, negando aſſumptum: tantùm enim abeſt, ut ex noſtro merito detrahatur Chriſti meritis, ut potius Chriſti merita inde magis eleventur; quia inde ſequitur, quod non tantùm potuerit mereri per ſe, ſed etiam quod virtutem merendi pro nobis obtinuerit: unde cum actiones noſtræ non ſint meritoriæ niſi dependenter à meritis Chriſti, qui Joan. 15. ait, *Sine me nihil poteſtis facere* & ibidem *ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere*: ſequitur Chriſti meritum ex noſtris meritis magis exaltari: quippe cum inde ſequatur quod ille ſit prima cauſa in ratione meriti.

Ad 3. Dico quod ſicut quilibet ſe poteſt obſtringere & obligare ad aliquid præſtandum alteri; ita quoque Deus ex libera ſua voluntate poſſit ſe creaturæ rationali obligare ad dandam vitam æternam: prout de facto ſe obligavit dum dixit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: Et iterum Lucæ 10. interroganti legiſperito, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo*: Reſpondit Chriſtus: *In lege quid ſcriptum eſt: quomodo legis? Ille reſpondens dixit, diliges Dominum Deum tuum &c.* Dixitque illi Chriſtus, *rectè reſpondiſti: hoc fac, & vives.*

Itaque eſto Deus non poſſit ſimpliciter fieri debitor ſuæ creaturæ; quippè ſupremus illius dominus: poteſt tamen, præſuppoſitâ ſuâ promiſſione.

Ad 4. Reſpondeo; Deum ex juſtitia obligari reddere mercedem præſuppôſitâ voluntariâ ſuâ promiſſione: cui non repugnat, quod ſit ſupremus omnium dominus; eò quod

Digitized by Google

quod obligari alteri ex voluntaria promiſſione non deroget ſupremo alicujus dominio; quippe qui, in vim ſupremi ſui dominii, poſſet adhuc ab altero tollere jus ad rem promiſſam.

Ad 5. concedimus ſententiam S. Auguſtini tamquam veriſſimam; ſed nihil obſtare, quia opera noſtra meritoria non ſunt talia, niſi dependenter à gratia gratum faciente, quam Deus gratuitò nobis concedit: cum qua tamen bene ſtat, quod actiones noſtræ ſint meritoriæ vitæ æternæ propter condignitatem quam habent ad illam, quatenus fiunt ex Chriſti gratia, & præſuppoſitâ divinâ promiſſione de remunerandis illis præmio vitæ æternæ.

DUBIUM II.

Quotupliciter dividatur meritum.

Meritũ aliud rigoroſũ, aliud de condigno aliud de congruo.

MEritum à Theologis tripliciter dividitur; nempe in meritum rigoroſum, cui nimirum debetur merces ex rigore juſtitiæ, ita ut obligatio ejus non fundetur in aliqua gratia creditoris ipſi promerenti facta.

Secundò, in meritum de condigno: cui quidem debetur merces ex juſtitia, ſed non niſi præſuppoſito pacto, & promiſſione creditoris facta ipſi promerenti: cujus proinde obligatio & valor fundatur ultimatè in gratia ipſius creditoris.

Tertiò, in meritum de congruo ſic dictum, quia illi non ex juſtitia, vel ob dignitatem operis debetur merces; ſed ex mera Dei liberalitate, illud, ad hoc acceptantis.

Petes; an poſſit homo facere aliquod opus, cui debetur à Deo merces ex rigore juſtitiæ.

Purus homo ex rigore juſtitiæ nequit mereri apud Deum.

Reſp. negativè, id intelligendo de puro homine; eò quod objectum rigoroſæ juſtitiæ ſit æquale debitum alteri; nihil autem à Deo debetur homini ex juſtitia: eò quod omne id, quod homo habet boni, ſit ipſi ſpontaneè & liberè donatum à Deo: eapropter ſicut inter Dominum & ſervum, quâ talem, non eſt juſtitia ſtrictè dicta: ſic nec inter Deum & hominem; eò quod homo in omnibus ſubjiciatur Deo tamquam ſuo creatori, conſervatori, & Domino.

Petes, an homo poſſit facere aliquod opus cui debeatur merces de condigno; adeoque quod ſit meritum de condigno.

Secus verò de condigno quod eſt de fide.

Reſp. Affirm. quod eſt de fide, & patet ex dictis dubio præcedenti: quippè cum poſſit homo facere aliquod opus cui debeatur merces ex juſtitia, præſuppoſitâ promiſſione divinâ.

Dices; Deus abſque ulla promiſſione punit peccata; ergo etiam abſque ulla promiſſione debet mercedem bonis operibus.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod peccatum citra illam promiſſionem conſti-

conſtituat hominem debitorem pœnæ, quia injuriam facit alteri; bonum verò opus nequeat Deum conſtituere debitorem ſine ejus promiſſione.

Diſtinctio inter meritum rigoroſum de condigno, & rigoroſum.

Petes; quænam ergo ſit adæquata diſtinctio inter meritum rigoroſum, & meritum de condigno.

Reſp. quod primum ſi tale ex ſe, ſine ulla præſuppoſita gratia aut promiſſione ipſi promerenti facta; hoc verò ſit tale, præſuppoſitâ promiſſione, & gratiâ promerenti factâ.

Meritũ de congruo non tãtum Theologis, ſed & SS. Patribus notum.

Quod attinet ad meritum de congruo; iſtud non tantum eſt notum apud Theologos; ſed etiam apud SS Patres; ſignanter apud S. Auguſt. Epiſt. 106. ubi ait,, ſi " quis dixerit quod gratiam benè " operandi fides mereatur, negare " non poſſumus, imo verò gratiſ- " ſimè confitemur: hanc enim fi- " dem voluntas habet, quâ impe- " trat charitatem.

DUBIUM III.

De Conditionibus requiſitis ad hoc ut opus ſit meritorium de condigno apud Deum.

ITerum repetimus & dicimus; meritum de condigno eſſe verè & propriè dictum meritum, cui ex juſtitia debetur merces, ita ut abſque injuſtitia negari non poſſit: tale autem meritum hominis apud Deum eſſe, Scriptura Sacra aſſerit, dum ait, eum fore injuſtum, ſi non ſervaret promiſſa ut ad Hebr. 6. *Non enim injuſtus Deus, ut oblivisſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius*: quamvis tamen nullum puri hominis meritum ſit ex rigore juſtitiæ; eò quod ad illud requiratur, ut obligatio inde exorta non fundetur in aliqua gratia aut liberali promiſſione remunerantis: quomodo omne puri hominis meritum fundatur in multiplici gratia Dei remunerantis, nimirum gratiâ habituali & actuali: ita nimirum ut Deus non fiat nobis debitor ex ſola vi & condignitate operis noſtri abſque præſuppoſitione ſuæ promiſſionis. Quibus præſuppoſitis.

Ad meritũ de condigno præquiruntur ſex cõditiões.

Dicimus ut opus aliquod ſit meritorium de condigno apud Deum, prærequiri ſex conditiones. Quarum 1. eſt quod fiat ab homine viatore. 2. Quod fiat ab agente liberè. 3. Quod fiat ab exiſtente in ſtatu gratiæ. 4. Quod intercedat divina promiſſio, quâ tali operi promittitur merces. 5. Quod ſit opus ſeu actio bona. 6. Ut eliciatur, vel imperetur à charitate, & ad minus virtualiter referatur in Deum tanquam finem ultimum. De quibus omnibus ſigillatim & particulariter in ſequentibus agemus.

I. CONDITIO.

PRIMA CONDITIO.

Quod opus debeat fieri ab homine viatore.

PAteſcit hæc ex Scriptura Sacra pluribus locis: ſic enim Joan.9. dicitur, *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: venit nox* (id eſt mors) *quando nemo poteſt operari*: & ad Gal.6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Et Eccleſiaſtes 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*: Patet hoc ipſum, ex parabola Virginum Sapientum & fatuarum Matth. 20. quibus ultimis clauſa eſt pœnitentiæ & omnis operis boni faciendi janua.

Objicitur. Dices; Sancti in cœlo merentur nobis noſtram converſionem, vel augmentum gratiæ, aut piæ vitæ; ergo ad merendum non requiritur ſtatus viæ.

Reſp. negando antecedens; quia meritum de condigno debet eſſe tale opus cui ex juſtitia, præſuppoſitâ Dei promiſſione, debetur merces; preces autem SS. non ſunt tale opus, quo Deus conſtituatur debitor, ipſi dandi id pro quo orant; ita ſcilicet ut Deus teneatur ex juſtitia præſervare à mortali eos pro quibus orant, aut conferre has aut illas virtutes, has aut illas gratias: utpote cum omnes effectus hi pendeant à mera liberali Dei donatione; eſto præmiſſæ ſint à Sanctis orationes & preces: itaque poſſunt illæ bene appellari impetratoriæ converſionis, vel præſervationis à peccato mortali, vel collationis harum aut illarum gratiarum tamquam meritoriæ de congruo, ſed numquam ut meritoriæ de condigno.

Dices; Chriſtus morte ſua nobis promeruit ſalutem; mors verò exexcludit ſtatum viæ; ergo &c.

Reſp. mors Chriſti dupliciter poteſt ſpectari; nempe ſemel in fieri, & ſemel in facto eſſe: priori modo fuit meritoria, non verò poſteriori.

Dices; Sacramenta Eccleſiæ dicuntur communiter profluxiſſe ex latere Chriſti; quod tamen tantum fuit apertum poſt ejus mortem; ergo &c.

Reſp. apertionem lateris Chriſti etiam conſiderari dupliciter: 1. pro tempore quo fuit à Chriſto præviſa, & acceptata, & ordinata ad redemptionem generis humani; quo modo fuit meritoria. 2. pro inſtanti quo de facto apertum fuit latus Chriſti; quo non fuit meritoria, nec contulit vim ſanctificandi per Sacramenta. Eapropter bene ait S.Hieronymus in Epiſt. ad Gal. „tempus ſementis eſt præ„ſens vita quam currimus, cum „iſta vita tranſierit, operandi id „eſt merendi,tempus auferetur. Et quidem valde congruenter naturis rerum Deus ſtatum viæ limitavit ad præſentem vitam, conformiter ad

ad tempus pugnæ & agonis. Unde nec animæ in purgatorio ibidem quidquam merentur; nam eſto nondum ſint in termino, ſunt tamen extra ſtatum pugnæ.

II CONDITIO.

II. CONDITIO. *Quod opus debeat fieri ab homine liberè agente.*

Probatur. HÆc conditio patet ex Scriptura S Eccli. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te &c.*

2. Probatur ratione; quia commutatio operis meritorii, & mercedis eſt quidam contractus juſtitiæ, do, ut facias; juſtitia autem non eſt niſi inter illos qui ſunt liberi & actuum ſuorum domini: præterea opera meritoria vel demeritoria debent eſſe actus humani laude vel vituperio digni; opera autem neceſſaria, non ſunt laude vel vituperio digna.

Non ſufficit libertas à coactione. Petes; an ſufficiat libertas à coactione; ita ſcilicet ut quis ſponte, & non coactè agat.

Reſp. negativè; ſed inſuper requiritur libertas à naturali neceſſitate.

Nec requiritur libertas contrarietatis. Petes; an requiratur libertas contrarietatis; ſive quæ verſatur inter duo contraria v. g. bonum & malum.

Reſp. quamvis illa ordinariè adſit, prout patet in puris hominibus, qui illam habent; ſufficit tamen libertas contradictionis, quæ nempe verſatur inter duo contradictoria; ut v. g. agere, & non agere; prout patet in Chriſto Domino.

Objectio. Dices; Chriſtus meruit per acceptationem ſuæ mortis, item per actum dilectionis Dei ſuper omnia; & tamen actus illi non fuerunt ipſi liberi; alioqui deberet concedi eum potuiſſe peccare; puta, ſi non acceptaſſet mortem ſibi à Patre injunctam, aut Deum non dilexiſſet ſuper omnia; cum tamen ipſe, tam ex vi unionis hypoſtaticæ, quam beatitudinis, ſit impeccabilis.

Reſp. negando ſequelam; eſto enim neceſſe habuerit obedire patri ſuo præceptum mortis imponenti, adeoque, ut probat argumentum, non potuit non acceptare mortem; ſi, non acceptare ſumatur contrariè; nempe tamquam actus contrarius præcepto obedientiæ; potuit tamen non acceptare contradictoriè, hoc eſt, non ponere actum acceptionis mortis præſcindendo ab omni præcepto. Addo præterea, Chriſtum ex vi præcepti ſibi impoſiti fuiſſe neceſſitatum acceptare mortem, non quidem neceſſitate abſolutâ, ſed conditionatâ, & ex hypoteſi; quæ non officit libertati: ſic enim Deus liberè creavit mundum, licet ex ſuppoſitione ſui decreti, quo ſtatuit eum tali tempore creare, non potue-

Digitized by Google

potuerit non creare propter immutabilitatem voluntatis ſuæ.

Non tãtũ opera conſilii ſed & præcepti poſſunt eſſe meritoria.

Ex his deducitur non tantum opera conſilii; ſed & præcepti eſſe meritoria, quia præceptum non tollit libertatem ab opere: unde & Scriptura S. manifeſtè inſinuat, obſervationi præceptorum eſſe promiſſam mercedem: prout patet Matth. 5. ubi perſecutionem pro Chriſti nomine patientibus dicitur *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Dices Luc. 17. dicitur, *cum feceretis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*, ergo opera præcepta non ſunt meritoria.

Reſp. negando conſequentiam; quia hæc verba tantum dicuntur ad ſervandam & commendandam humilitatem; ne, quantumvis videamur bene operari, de meritis noſtris præſumamus; eò quod omnimodam certitudinem habere non poſſimus nos bene fuiſſe operatos.

Dices; parvuli baptiſati merentur vitam æternam; & tamen non ſunt liberi.

Reſp. illos quidem eſſe dignos vitâ æternâ, eò quod ſint filii Dei, & conſequenter hæredes: eos tamen eam non mereri propter defectum libertatis.

Chriſtus meruit, etiã dũ dormivit.

Dices; Chriſtus meruit etiam dum dormiret; ergo ad meritum non requiritur libertas.

Reſp. hoc ideo accidiſſe, quia potuit ipſe in ſomno uti libero arbitrio ob actus ſcientiæ infuſos: quod locum non habet in nobis hominibus.

Peccatũ originale in parvulis fuit aliquod demeritum.

Dices; peccatum datur in parvulis ſine ulla libertate, quod eſt tamen aliquod demeritum; ergo & meritum poteſt in illis dari ſine ulla libertate.

Reſp. neg. antecedens; peccatum enim illud fuit ipſis liberum voluntate primi parentis, ipſis communi.

III. CONDITIO.

Quod fiat ab homine exiſtente in ſtatu gratiæ.

III. CONDITIO.

Probatur.

HÆc eſt certa fide: prout patet Joan. 15. ubi Chriſtus ait, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis* ſcilicet per gratiam ſanctificantem. Probatur hoc ipſum 1. ad Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

2. Probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. „Hâc ratione juſtificatis " hominibus, ſive acceptam juſtitiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba 1. ad Cor. 15. abundate in omni opere bono ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Et iterum, quod Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra & tamquam vitis

Digitized by Google

" tis in palmites in ipſos juſtificatos " jugiter virtutem influat quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur: " & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.

3. Probatur ratione; quia homo in hoc ſtatu naturæ corruptæ, vel eſt in ſtatu gratiæ, vel eſt in ſtatu peccati mortalis; (nec enim hic datur medium). Si ſit in ſtatu peccati mortalis, eſt reus æternæ damnationis: juxta illud ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors*; ergo impoſſibile eſt quod extra ſtatum gratiæ mereatur vitam æternam: quippe de quo alioqui verum eſſet dicere, quod ſimul mereretur vitam æternam, & pœnam æternam: eapropter bene ait Scriptura S. Eccli. 34. *dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum*: quia nimirum Dominus primò reſpicit ad ſtatum & conditionem offerentis. Hinc Geneſ. 4. dicitur, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad numera ejus. Ad Cain autem, & ad munera ejus non reſpexit.*

Ex his concluditur, ut actus aliquis ſit meritorius vitæ æternæ, neceſſe eſſe ut proficiſcatur à perſona juſta & Deo grata; ita ut, etſi non efficienter procedat ab ipſa gratia ſanctificante, ab ea ſaltem informetur, ſicuti qualitas perſonæ opus efficientis debet illud reddere proportionatum vitâ æterna. Eapropter peccatores pœnitentes, necdum juſtificati, etſi mandata Dei cuſtodiant, & ſe ad juſtificationem præparent: per hæc tamen opera nihil de condigno merentur apud Deum, ſed tantum de congruo.

IV. CONDITIO.

IV. CONDITIO.

Quod antecedat devina promiſſio, quâ tali operi promittitur merces.

Merces nō oritur preciſè ex ipſa dignitate operum ſeclusâ promiſſione. Probatur.

PRobatur hanc conditionem debere intervenire: nam etiamſi opera bona juſtorum, quatenus procedunt à gratia ſanctificante, habeant quamdam proportionem ad vitam æternam, tamquam medii ſupernaturalis ad finem ſupernaturalem: tamen obligatio in Deo ejuſmodi opera remunerandi, non oritur preciſè ex dignitate ipſorum operum ſeclusâ promiſſione ita ut ſine illa, citra ullam injuſtitiam ant infidelitatem illud poſſet negari: quod probatur à ſimili: ſi quis faber lignarius occuparetur fabricando alterius domum, aut alio opere, digno mercede, ſi tamen nullum intervenerit pactum inter fabrum illum & Dominum domus, non tenebitur hic perſolvere mercedem ex juſtitia: quomodo tamen obligabitur interveniente pacto.

Prob. hoc ipſum ex Scriptura S. quæ rationem divinæ mercedis refert in divinam promiſſionem: ut dicitur, Matth. 20. *Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno*,

miſit eos in vineam ſuam, & iterum Jacobi 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Hoc ipſum probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. „bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Eapropter eſto opera noſtra, ſepoſitâ Dei promiſſione ſint condigna vitâ æternâ, in quantum illi proportionantur in ratione medii ad finem; non tamen illam reipsâ merentur: eò quod mereri, involvat obligationem, quæ in Deo non eſt reſpectu hominis, ſeclusâ ejus promiſſione.

V. CONDITIO.

V. CONDITIO.

Quod ſit opus, ſeu actio bona.

PAtet hæc evidenter: nam ſicuti ſolis actionibus malis debetur pœna, ita ſolis actionibus bonis debetur merces.

Petes; an ergo opera hominis juſti naturaliter bona, hoc eſt, facta ex quadam honeſtate naturali, ſint meritoria vitæ æternæ.

Opera hominis juſti naturaliter tantum bona non ſunt meritoria.

Reſp. negativè: ſed, ut meritoria ſint, debent ab eo procedere per influxum gratiæ actualis: quod probatur ex can. 18. Conc. Arauſic. ubi dicitur „Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

Hoc ipſum probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. „Si quis dixerit,...... ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c. anathema ſit.

Et ratio eſt; quia præmium, ſeu merces, ſcilicet vita æterna, ſeu clara Dei viſio, eſt quid ſupernaturale; ergo & meritum debet eſſe ſupernaturale; idque ut ſit proportio inter præmium, & meritum: & ut patet ex Conc. Trid. omnia noſtra merita ſunt particularia Dei dona; qualia non ſunt opera merè naturalia facta ex ſolis naturæ viribus: eapropter ſeſſ. 6. cap. 16. cum dixiſſet, Chriſtum in ſuos juſtificatos continuò virtutes influere, ait „Quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſunt.

Dices: Scriptura ait, Deum daturum vitam æternam propter opera miſericordiæ, Matth. 25. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: &c.* Sed ejuſmodi opera ſunt naturaliter bona; ergo.

Quomodo opera miſeri-

Reſp. ejuſmodi opera poſſe fieri ex duplici motivo: nempe ex motivo naturali, quia ſunt rectæ rationi

cordiæ quandoque ſint meritoria, quandoque non. rationi conformia: vel ex motivo ſupernaturali; ſi priori modo ſerventur, non ſunt meritoria: ſecùs verò ſi hoc poſteriori modo; quomodo præcedens ſcriptura venit intelligenda: quamvis enim tales conditiones expreſsè non apponantur, tamen ſubintelliguntur ex eo quod, cum finis ſit ſupernaturalis, opus quoque ipſum meritorium, ut ſit proportionatum, debet eſſe ſupernaturale.

Dices: opus naturale factum ab homine juſto eſt opus filii Dei; ergo eſt meritorium vitæ æternæ.

Reſp. negando conſequentiam: eò quod non habeat proportionem cum præmio reſpectu ſui principii.

Petes: an ergo actus virtutum acquiſitarum in homine juſto non ſint meritorii vitæ æternæ, ut v. g. ſobrietatis, temperantiæ, patientiæ, &c.

Quomodo actus virtutũ acquiſitarum quãdoque ſint meritorii, quãdoque non. Reſp. Affirmativè: ſi nempè fiant ex actuali gratia: neque refert virtutes illas eſſe acquiſitas, adeoque naturales; quia actus illarum, ut ſupponitur, non fiunt ex motivo naturali, ſed per influxum gratiæ actualis; atque ita ex motivo ſupernaturali: veluti quando juſtus dat hauſtum aquæ frigidæ propter Chriſtum.

VI. CONDITIO.

Ut eliciatur, vel imperetur à charitate; & ad minus virtualiter referatur in Deum tamquam finem ultimum. VI. CONDITIO.

HAnc conditionem requiri ad opus meritorium, patet ex S. Thom. quæſt. 114. art. 4. ubi ait meritum vitæ æternæ primò pertinere ad charitatem, ſecundariò verò ad alias virtutes, ſecundum quod ipſarum actus à charitate imperantur: & ibidem. Reſp. ad 3. ait "fidei actus non eſt meritorius niſi "fides per dilectionem operetur: ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur. Eodem modo loquitur S. Bonav. in 2. ſent. diſt. 41. quæſt. 3. "Notandum, inquit, quod ad hoc ut "aliqua actio ſit meritoritoria, non "oportet ut eam ſemper quis a"ctualiter referat in Deum; ſed "ſufficit relatio habitualis, per quam intelligit virtualem: nam ſubdit "Si quis intendat pro Deo dare "centum Marcas, & de Deo co"gitat in datione primæ Marcæ, & "in aliis non cogitat de Deo, nihi"lominus omnes illæ dationes ſunt "meritoriæ.

Nõ ſufficit habitualis relatio in Deũ ut opus aliquod ſit meritoriũ.

Sed requiritur formalis vel virtualis.

Hoc ipſum adſtruitur ex Scripturis, quibus ſollicitè homines admonentur ut opera ſua propter Deum operentur; prout 1. ad Cor. 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive*

ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Et iterum ad Coloſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite*: quibus adſtipulatur Concil. Trident. dum non quibuſlibet bonis juſtorum operibus, ſed illis dumtaxat quæ in Deo facta ſunt, aſſignat virtutem meriti.

Et quamvis oppoſita ſententia, docens quoſlibet virtutum actus ſupernaturales eſſe meritorios vitæ æternæ, ſine actuali, aut virtuali relatione in Deum, à multis habeatur probabilis; hæc noſtra tamen, tamquam tutior in praxi, eſt amplexanda: ſiquidem, ſi hanc ſequamur, non poterit obeſſe; quinimo plurimum prodeſſe: econtra verò, ſi quis in praxi ſequatur oppoſitum; hæc illi plurimum poterit obeſſe: nam ſi fortè hanc conditionem Deus ad meritum requiſierit (prout auctoritates & rationes ſupradictæ probant) auctoritas Doctorum tenentium oppoſitum numquam efficiet, ut ejuſmodi opera bona, in Deum nec actualiter nec virtualiter relata, ſint meritoria; quippe, cum juxta commune axioma, *etiam propter dicere centum Doctorum, nihil mutabitur in re.*

Ex his conclude; quod credere myſteria fidei propter auctoritatem Dei obſcurè revelantis, ibi ſiſtendo; quælibet adverſa pati, quia hoc decet Chriſtianum; operari propter mercedem vitæ æternæ, ibi ſiſtendo; & ita de cæteris, non ſint opera meritoria vitæ æternę; eſto exerceantur ab homine juſto. Unde ab aliquibus illa opera ex objecto bona aſſimilantur notis ô in citra, quæ ſolitariè poſitæ, quantumvis multiplicatæ, nihil efficiunt, multum tamen numerum augent ſi numeralis nota illis jungatur.

Petes; an ergo actus cujuſcumque virtutis, à charitate actualiter vel virtualiter relatus in Deum, tantùm ſit meritorius ratione hujus relationis; an verò etiam propter ſpecificam ſuam bonitatem quam habet ab objecto.

Actus virtutis non tantum eſt meritorius ratione relationis in ultimũ finem: Sed etiã ob ſpecificam bonitatem objecti.

Reſp. utroque modo: quod probatur, quia Scriptura S. non ſolum charitati, ſed & aliis bonis operibus ex charitate factis, ſecundum ſuam ſpecificam bonitatem attribuit mercedem: ut patet Matth. 25. *eſurivi enim: & dediſtis mihi manducare*: &c. eſto enim ejuſmodi virtutum actus, ſecluſo charitatis imperio, non ſint meritorii; illo tamen accedente ſecundùm proprium ſuum objectum dignificantur, & quaſi elevantur ad eſſe meritorium.

Probatur hoc ipſum ex abſurdo; quia alioqui ſequeretur; quod, ſtante æquali charitatis affectu, non majus præmium eſſentiale mereretur virginitas, quam matrimonium; item jejunium unius anni, & jejunium unius diei; item eleëmoſyna centum aureorum, & eleëmoſyna unius quadrantis.

Ceteris paribus plus

Ex quo infer; opus ex objecto melius, ceteris paribus, eſſe magis merito-

Digitized by Google

mere-tur qui facit o-pus ex objecto melius. meritorium, prout & meritum poteſt accreſcere ex præſtantiori modo tendendi in objectum, difficultate operis, libertate, intentione actus, duratione, & aliis ſimilibus circumſtantiis.

Ex quo collige quomodo aliqua anima pia maximum gratiæ incrementum poſſit recipere, quæ, ſeligens opera undequaque ex objecto & circumſtantiis optima, illa ex perfectiſſima charitate refert in Deum.

Petes; an homo juſtus mereatur per actum remiſſiorem quam ſit ipſe habitus gratiæ ſanctificantis: v. g. ſit homo juſtus ad ſex gradus, & eliciat actum charitatis ad quatuor, an per illum merebitur augmentum gratiæ.

Homo juſtus etiã meretur per actũ remiſſiorẽ ipſa gratia ſanctificante. Reſp. Affirm. quod probatur ex omnibus S. Scripturæ locis; quibus bene operanti promittitur vita æterna: nec umquam inſinuatur quod actus debeat eſſe intenſior habitu: eapropter, ubi S. Scriptura non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere.

II. Hoc ipſum probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6 can. 24. ubi dicitur anathema, aſſerenti juſtitiam acceptam non conſervari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera: non diſtinguendo inter opus remiſſum aut intenſum.

Dices; in naturalibus actus remiſſi non intendunt habitus; ergo nec in ſupernaturalibus.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod actus phyſici, ſeu naturales effectivè, vel diſpoſitivè concurrant ad augmentum habitus: ſupernaturales verò tantùm meritoriè ad augmentum habitus: meritum autem (ut patet ex dictis) poteſt haberi per actum etiam remiſſiorem habitu.

Petes; an ſicuti dari poteſt pura omiſſio alicujus actus peccaminoſa & demeritoria; ita quoque dari poſſit pura ejuſmodi actus omiſſio meritoria.

Reſp. neg. quia actus meritorius (ut patet ex dictis) debet procedere ex poſitivo actu charitatis quo ille referri debet in Deum tamquam finem ultimum: ex quo ſequitur quod pura omiſſio ſe ſolâ nequeat eſſe meritoria.

DUBIUM IV.

An homo poſſit ſibi, vel alteri mereri primam gratiam.

NOtandum 1. non ſolùm illam gratiam dici primam, quam quis accipit, dum ex infideli fit fidelis, ſed etiam, quæ poſt commiſſum peccatum mortale, prima datur homini fideli. Utraque poteſt eſſe, vel actualis, vel habitualis. Quę ap pelletur prima gratia.

Dico I. quod attinet ad primam gratiam actualem, nemo ſibi poteſt illam neque de condigno, neque de congruo mereri: quod patet ex ſupradictis: nam alioqui ſequeretur, nos per naturæ vires nos poſſe præparare ad gratiam; quod ſupra in Pelagio vidimus damnatum: & quidem quod homo illam ſibi ne- Nemo ſibi de condigno poteſt mereri primã gratiam actualẽ.

Digitized by Google

queat mereri de condigno, patet, quia deficit una ex conditionibus ad meritum requiſitis; nempe ſtatus gratiæ. Quod nec quoque de congruo, patet, quia opera, naturæ viribus facta, utpote prorſus inferioris ordinis quam ipſa gratia, nullam in ſe habent congruitatem ad illam obtinendam.

Prout nec habitualem.

Dico 2. quod ſpectat ad primam gratiam habitualem, nemo poteſt ſibi illam de condigno promereri; quia deficit illi, in ordine ad illam, prima conditio; nempe ſtatus gratiæ; cui, cum ſit principium omnis meriti, rectè hic quadrat hoc axioma, *Principium meriti non cadit ſub meritum.*

Nullus purus homo alteri mereтur primā gratiam de condigno.

Dico 3. nullus purus homo poteſt alteri mereri primam gratiam de condigno; ſive illa ſit actualis, ſive habitualis: nam, eſto opera alicujus hominis juſti poſſint habere ſufficientem proportionem cum gratia alteri impertienda; nuſquam tamen habemus, quod Deus promiſerit operibus juſtorum gratiam, vel gloriam aliis tribuendam; quæ tamen promiſſio debet intervenire ad meritum de condigno: quod verò hæc promiſſio non interveniat, colligitur ex Apoſt. 2. ad Cor. 2. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Dices; poteſt unus pro altero, ſatisfacere de condigno quo ad pænas temporales; ergo, & mereri gratiam de condigno.

Reſp. negando conſequentiam, idque ob defectum promiſſionis.

Qualiter cōverſio S. Pauli tribuatur precibus S. Stephani.

Dices; converſio S. Pauli, tribuitur precibus S. Stephani; ergo poteſt unus alteri mereri primam gratiàm.

Reſp. poſſe unum alteri mereri primam gratiam de congruo, non tamen de condigno, quod inde patet, quia juſti pro aliis quidpiam petentes, non impetrant quod petunt; mercedem autem de condigno infallibiliter conſequuntur.

Dico 4 ſolus Chriſtus poteſt mereri primam gratiam alteri de condigno; quia ſolus ipſe, ut ait Concil. Trid. tamquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutē influit: & ut ait S. Joan. c. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et Act. 4. *Nec enim alıud nomen eſt ſub calō datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Petes; an homo juſtus, eo tempore quo juſtus eſt, poſſit à Deo mereri ut, ſi contingat eum labi in peccatum mortale, donetur ei pœnitentia & remiſſio ſui peccati.

Reſp. non de condigno, quia conſtat partim ex Scriptura S. partim ex Concil. ſupra ſæpe recenſitis juſtificationem impii ita eſſe gratuitam ut nihil eorum, quę juſtificationem præcedunt, de condigno poſſit mereri: nec etiam de congruo, quia ſi opus meritorium de congruo in ordine ad alterum impediatur per hoc, quod ille ponat obicem per peccatum, cur illud non impedietur in ordine ad ſe, ſi quis ponat obicem per peccatum.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM V.

An homo juſtus poſſit ſibi de condigno mereri perſeverantiam.

Quid perſeverantia. Juſtus illam nõ poteſt ſibi de condigno mereri.

RESp. neg. ſumendo perſeverantiam pro actuali, ſeu pro continuatione in ſtatu gratiæ uſque ad finem vitæ: cujus ratio eſt, quia nemo meretur aliquid de condigno cujus non exſtat promiſſio: qualis reſpectu perſeverantiæ finalis nulla exſtat neque in ſcriptura, neque in traditione: quin potius Apoſt ad Philip. 2. nos omnes hortatur. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*: & 1. ad Cor. 9. de ſe ipſo ait, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Præterea, plurimi juſti qui aliquamdiu bene vixerunt, à juſtitia exciderunt, prout & quotidie adhuc excidunt: quod nullo modo fieri poſſet, ſi juſtus de condigno mereretur perſeverantiam; quippè cum merces de condigno ſit infallibilis.

Quo ſenſu verum ſit, qui meretur finẽ, meretur & media.

Dices: qui meretur finem, meretur & media quibus finis ille poteſt obtineri; ſed juſtus de condigno meretur gloriam, quę eſt finis; ergo & perſeverantiam, quę habet rationem medii reſpectu iſtius finis.

Reſp. diſtinguendo aſſumptum; ſi enim illud intelligatur de mediis, habentibus rationem mercedis, rectè procedit argumentum: ſecus verò ſi intelligatur de mediis non habentibus rationem mercedis: ex quo infer, juſtus poteſt mereri gloriam de condigno; ergo & augmentum gratiæ: eò quod hoc habeat rationem mercedis: non tamen ſequitur, juſtus poteſt mereri gloriam; ergo & perſeverantiam; eò quod hæc nequeat habere rationem mercedis: cum illius (ut ſupra oſtendimus) nulla exſtet promiſſio. Præterea juſtus conditionatè ſolùm meretur gloriam: ſi nimirum in gratia moriatur: ut patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can 32.

DUBIUM VI.

An bona temporalia cadant ſub meritum.

PRænotandum bona temporalia dupliciter poſſe ſpectari, vel nudè & ſimpliciter ſecundum ſe, vel prout ſunt media utilia aut neceſſaria ad facienda bona, in ordine ad conſequendam vitam æternam.

Bona temporalia ſimpliciter ſpectata non cadũt ſub meritũ de condigno.

Dico 1. bona temporalia ſe undum ſe, ſimpliciter, & nudè ſpectata, non cadunt ſub meritum de condigno; eapropter homo juſtus ea taliter nequit mereri: ratio eſt, quia meritum de condigno, & merces (prout adhuc ſupra inſinuavimus) debent eſſe ejuſdem rationis; opera autem meritoria juſtorum ſunt ordinis ſupernaturalis, bona verò temporalia, ordinis tantùm naturalis: & hinc priora non poſſunt referri ad poſteriora, tanquam media in ordine ad finem: præterea, cùm opera meritoria de condigno infallibiliter conſequantur ſuam mercedem, ſequeretur, quod ſi juſtus poſſet de

Digitized by Google

condigno mereri bona temporalia, illum majorem iſtorum habere ſemper affluentiam, quam peccatores: cujus tamen contrarium docet quotidiana experientia.

Secus verò prout ſpectātur ut media ad facienda bona opera in ordine ad vitam æternā.

Dico 2. bona temporalia ſecundo modo ſpectata, prout nempe ex divina ordinatione conducunt ad vitam æternam tamquam media ad finem, ſimpliciter poſſunt cadere ſub meritum de condigno: ratio eſt, quia, ut ſic, ſunt ſimpliciter bona, & habent quamdam condignitatem ſeu proportionem ad vitam æternam; nec deeſt divina promiſſio, quâ bonis operibus promittuntur temporalia tamquam merces: ut patet pſalm. 33. ubi dicitur *inquirentes Dominum non minuentur omni bono:* & ad Tim. 4. *pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*: præterea qui poteſt mereri finem, poteſt mereri media in ordine ad illum finem: prout ante.

Dices meritum de condigno (ut ſupra dictum) infallibiliter conſequitur ſuam mercedem: & tamen juſti orantes pro temporalibus, non ſemper illa conſequuntur; ergo illam non merentur de condigno.

Reſp. ſæpe contingere, quod bona temporalia juſtis nec ſint utilia, nec neceſſaria ad vitam æternam; adeoque reſpectu illorum non poſſe habere rationem medii ad iſtum finem; & eatenus ea quoque non merebuntur de condigno; ſecus verò ſi hæc illi ſint utilia, aut neceſſaria in ordine ad vitam æternam: eapropter juſtus orans pro conſequendis bonis temporalibus, aut in eum finem faciens aliqua bona opera, illa debet petere ſub conditione, ſi nempe expediant illi ad ſalutem: eapropter ſi vel orationem vel bona opera faciat pro conſequendis temporalibus, & illa non aſſequatur, ſignum eſt à poſteriori, illa nec eſſe utilia, nec neceſſaria in ordine ad vitam æternam; alioqui illa infallibiliter eſſet conſecuturus tamquam mercedem meriti ſui de condigno.

Dico 3. non tantum juſti, ſed & peccatores per opera bona poſſunt mereri de congruo bona temporalia; ſiquidem, attentâ Dei miſericordiâ & bonitate, congruum videtur quod pro ejuſmodi bonis operibus temporalia retribuantur. Peccatores poſſunt facere aliqua bona opera.

Peteſ; an peccatores per opera ſive ex ſe, ſive ex circumſtantia mala non poſſint mereri aliqua bona temporalia de congruo. Peccatores per opera mala nihil merentur de cōgruo.

Reſp. neg. quia opus quomodocumque malum meretur potius pœnam, quam præmium: taceo de ratione operis meritorii, eſſe, ut ſit bonum.

Dices S. Thom. in 2. diſt. 27. qu. 1. art. 4. docet ex S. Gregorio, quod Deus in hoc mundo remuneret eum qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniatur.

Reſp. auctoritatem S. Thomæ, & S. Greg. non eſſe contra nos qui ſupponunt opera illa peccatorum fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe bona; eſto non condigna ad vitam æternam.

Dices; Exodi 1. remuneravit Deus mendacium obſtetricum. Item Ezech. 29. remuneravit peccata regis Nabuchodonoſor, tribuendo illi ſpolia Ægypti. Item, ut ait S. Aug. lib. de civit. Dei c. 12. & 15. remuneravit Deus Rom. zelum erga patriam, & amorem juſtitiæ, imperio orbis terrarum.

Reſp. ſolutionem horum patere ex dictis quæſt. 2. de neceſſitate gratiæ. dub. 3.

Hic Lector, paululum te recolligendo, Dic

Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ miſeriam meam, ut me venire liceat ad miſericordiam tuam: agnoſco quod tanta ſit erga me miſericordia tua, ut mea velis eſſe merita, quæ ſunt tua dona; adeoque dum enumero merita mea, non aliud facio, quam enumerare munera tua: nullum eſt enim meritum hominis ante gratiam tuam; cum omne bonum meritum non faciat in nobis, niſi gratia tua: eapropter dum coronas bona opera mea, non coronas niſi munera tua: unde ſi quæram in me meritum de condigno ante gratiam tuam, nullum inveniam, ne evacuetur gratia tua ſi non gratis illa donetur: ſi verò quæro meritum malum obdurationis & excæcationis, illud in me abundè invenio: ſiquidem peccati demerito univerſa humani generis maſſa corrupta & immunda facta eſt: nec quiſquam maculam immunditiæ ſuæ celare poteſt, præſertim tibi, qui omnia vides: eapropter mundus eſſe non poſſum, niſi tu mundaveris qui ſolus es mundus; mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quo tibi complacuit habitare, quos ab inacceſſibilibus, profundis, ſecretis judiciorum incomprehenſibilium ſapientiæ tuæ, ſemper juſtorum, licet occultorum, ſine eorum meritis prædeſtinaſti ante mundum, vocaſti de mundo, juſtificaſti in mundo, & pro meritis remuneras eos poſt mundum. Non *omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabeſcentes omnes ſapientes terræ: & ego* Domine *hæc conſiderans expaveſco, quoniam ex eodem luto, alia quidem facis vaſa in honorem, alia verò in contumeliam ſempiternam. Quæ conſideratio me premit ut ſerviam tibi piè, humiliter, ſobriè, & caſtè omnibus diebus vitæ meæ cum timore, & tremore, qui es Benedictus in ſæcula ſæculorum.* Amen.

F I N I S.

Laus, honor, & Gloria Deo Omnipotenti; qui pro bona ſua voluntate non tantum dedit velle, ſed & perficere.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM
quæ in hoc volumine continentur.

A

ABSOLVERE

NOn approbatus, abſolvens ſub ſpe futuræ ratihabitionis, an validè abſolvat. 75

Parochus, ob crimen occultum, jure privatus paſtoratu, an validè adhuc abſolvat uſque ad ſententiam judicis. 487.

Unde talis habeat juriſdictionem. ibid.

Non approbatus, in periculo mortis, an poſſit abſolvere præſente approbato 276

Abſolvendus eſſet moribundus nulla ſignæ dans contritionis, modò Chriſtianè vixerit. 274

Abſolvi non poteſt ille, quem Confeſſarius, omnibus ſpectatis, judicat non eſſet ſufficienter diſpoſitum 368

Unde Confeſſarius dignoſcere poterit pœnitentem eſſe ſufficienter diſpoſitum? ibid.

Parochus an poſſit abſolvere extraneos non ſuos ad ſe venientes? 276

Abſolvi non poteſt pœnitens ex ſolo metu gehennæ. 276

Abſolutio quando ſit differenda. 390

Vide verb. Confeſſarius.

Acceſſorium ſequi ſuum principale quo ſenſu dicatur? 109

ACEDIA.

QUid ſit 338.

Eſt peccatū ex genere ſuo mortale. 338

ACTUS, ACTIO.

ACtus humanus quid? 5

Actus humanus habet duplex eſſe, naturale, & morale. 212

Idem actus poteſt habere diverſas ſpecies morales 14

Duo actus ejuſdem ſpeciei naturalis poſſunt eſſe diverſæ ſpeciei moralis, & contra. 214

Actus humanus, & actus moralis differunt tantum formaliter. 214

Actus moralis, unde dicatur. 212. 213

Eſſentia ſpecifica actus moralis deſumitur ab objecto. 219

An actiones Dei ſint actus morales? 213

Actiones puerorum, & amentium an ſint actus humani? 5. 180

Amor beatificus, & viſio in beatis ſunt actus humani. 6

Omnis actio humana eſt propter finem. 6

Quid ſit actionem fieri propter finem. 7

Omnis actio humana interpretativè ſit propter finem ultimum ſimpliciter. 15

Ex hoc tamen non habet rationem laudis, vel meriti. 16

Actiones Dei an ſint propter finem. 13

Omnis actio humana ſit propter aliquem finem ultimum ſecundùm quid. 15

Actus humanus deſumit ſuam ſpeciem ab objecto. 13 215

Ut actus ſit bonus, non ſufficit quod objectum ejus ſit bonum. 23

Actio humana, ut ſit recta, debet referri in Deum, tamquam in finem ultimum. 19

Idque ex præcepto divino naturali. 20

Præceptum illud non obligat ſub mortali. 21 414

Nulla actio humana poteſt eſſe finis ultimus cujus. 7

Ut actio ſit bona, debet ejus bonitas eſſe directè volita, nō ſic malitia, ut ſit mala. 219

Actus interni ſunt ſeipſis voliti. 7

Actus ut ſit vitalis debet effici à potentia quam informat. 31 32

Datur actus humanus indifferens ſecundum ſpeciem. 221

No2

Non poteſt tamen dari indifferens in individuo. ibid
Actus externus & internus qualiter ſibi invicem bonitatem & malitiam communicent. 217
Actus internus ſolus formaliter eſt liber. ibid
Actus externus an addat bonitatem aut malitiam actui interno, cui conjungitur. 226 227
Actus externus ſecundum ſe non habet bonitatem aut malitiam formalem. 224 228
Non ſufficit in confeſſione exprimere ſolum actum internum, ſi externus fuerit ſecutus. 229 232
Actus imperatus an ſumat bonitatem ab imperante. 144
Idem actus externus an poſſit eſſe bonus & malus. 233
Actus internus an poſſit eſſe ſucceſſivè bonus & malus? 234
Actio humana, ut ſit bona, debet conformari rationi practicæ rectæ. 235. 236
Agere propter finem convenit ſoli rationali creaturæ. 11
Actus unde dicatur ſupernaturalis. 215
Actio ſupernaturalis, alia eſt in ſubſtantia, alia in modo tantum talis. ibid
Actus naturalis poteſt verſari circa objectũ ſupernaturale. 539
Adamus per ſuum peccatum nocuit toti generi humano. 391
Adam erat conſtitutus caput totius generis, non tantum quoad eſſe naturale, ſed & morale. 397
Non tamen quoad omnes ſuas actiones. 399
Adami voluntas fuit communis omnibus, qui ab eo erant ſeminaliter deſcenſuri. 393 395. 397
Actuale Adæ peccatum non transfunditur in poſteros. 396. Vide Peccatum originale.

ADVOCATUS.

Advocatus poteſt patrocinari ſententiæ minus probabili. 278
Tenetur tamen de hoc monere clientē. 278

ADVERTENTIA.

Advertentia ad peccandum requiſita qualis eſſe debeat. 66
Non debet quis, ut peccet, advertere malitiam ſuæ action.
Advertentia interpretativa quæ dicatur. ibid.

ADJUTORIUM.

Adjutorium ſine quo non, & adjutorium quo vid. verb. gratia.

ADULTI.

Adulti, quænam obligentur ſcire. 115. 116

AFFECTUS.

Affectus, qualiſcumque rei creatæ inhærens eſt vitioſus. 22. 23
Affectus voluntatis & appetitus ſenſitivi, quomodo inter ſe differant 57. 58
Affectus quilibet animæ eſt volitio, vel nolitio. 57
Affectus omnis animæ pertinet ad aliquam ex paſſionibus. 56

AGILITAS.

Agilitas una ex dotibus corporis glorioſi. 38. quid ſit? 39

AMOR.

Quid ſit 20 61
Amor eſt pondus, quo voluntas fertur quocumque fertur. 20 30
Amor omnium affectuum primus, cauſa, & radix. 36 60
Amoris qui ſint effectus 61
Amor ſubjicit amantem rei amatæ 20
Amor eſt vis unitiva. 61
Amor quo ſenſu cœcus dicatur. 60
Similitudo eſt cauſa amoris. 60
Amor, ſi ſit malus, vitioſi ſunt omnes affectus ex ipſo prodeuntes. 59
Amor creaturæ inhæſivus eſt vitioſus. 24
Amor proprius peccatum eſt, & peccatorum omnium radix. 24
An homo poſſit naturaliter amare aliquid pluſquam ſeipſum. 549
Amor alius eſt benevolentiæ, alius concupiſcentiæ. 35
Amor concupiſcentiæ ſiſtit ultimatè in ipſo Amante, tamquam in fine rei amatæ. ibid
Omnis amor concupiſcentiæ eſt vitioſus. 36
Actus ſpei Chriſtianæ non eſt actus imperatus ab amore concupiſcentiæ. 36 591
Inordinatus eſt amor quo Deus amatur propter proprium commodum. 37
Amor benevolentiæ quid. 35
Amor benevolentiæ erga Deum eſt duplex, afficiens, & efficiens. 61. 550.

Per

Digitized by Google

Perfectio animæ conſiſtit precipuè in perfectione amoris efficientis. 62. 550
Quinque gradus amoris erga Deum. 62
Amor Dei naturalis an ſit admittendus. 548 550
Amor Dei. Vide Charitas.

ANIMA.

ANima rationalis non eſt ex traduce. 395 404
Anima quomodo vitietur dum corpori infunditur. 402
Anima creatur à Deo bona, etiam in filiis Adæ. 406
Animæ SS. ſunt beatæ ante corporum reſurrectionem. 42

APPETITUS.

APpetitus creaturæ non poteſt ſatiari bono finito. 29
Appetitus ſenſitivus qualiter ſubſit voluntati 193 Vide Concupiſcentia.
Appetitus ſenſitivus quomodo moveat intellectum & voluntatem. 63

ATTRITIO.

UT ſit ſalutaris, qualis eſſe debeat. 101
Debet excludere voluntatem peccandi. 99
Averſio à peccatis non fit niſi per converſionem ad Deum. 101 104
Attritio orta ex ſolo metu gehennæ inſufficiens eſt ad juſtificationem etiam cum Sacramento. 99
Attritio, de qua Conc. Trid. non oritur ex puro metu gehennæ. 100
Attritio ex puro metu gehennæ non poteſt excludere voluntatem peccandi. 101
Metus patibuli non eſt natura ſua ſufficiens ad excludendam voluntatem furti. 102

AVARITIA.

AVaritia quid 337
Eſt peccatum ex genere ſuo mortale. ibid.

AUREOLA.

AUreola præmium accidentale beatorum 41 eſt triplex. ibid.
Aureola non eſt ſignum majoris beatitudinis. ibid.
Aureolæ diſtinguuntur à dotibus; & in quo

B

BEATITUDO

BEatitudo quid. 29
Beatitudo alia formalis, alia objectiva. 29
Beatitudo objectiva eſt ſolus Deus. ibid
Beatitudo formalis non eſt illapſus divinitatis in animam. 30
Nec increata Dei viſio communicata animæ. 31
Eſt actio vitalis ipſius Beati. 30
Conſiſtit eſſentialiter in actu intellectus. 33
Ut ſit integraliter completa, requirit actum voluntatis. 35
Ad Beatitudinem integralem quinque actus requiruntur. 35
In Beatis viſio, & amor Beatificus ſunt actiones humanæ. 6
Et liberæ. 79
Beati ſunt impeccabiles: & cur. 42
Beati in ſenſibus etiam lætabuntur. 40
Quæ, & quales ibi futuræ ſenſuum operationes. ibid.

BONITAS.

BOnitas actus ſumitur ab objecto. 215
Bonitas eſt duplex, formalis, & objectiva ibid.
Bonitas formalis actus, in quo conſiſtat. ibid.
Bonitas objectiva prior eſt bonitate formali ibid.
Bonitas objectiva non eſt ens rationis. 216
Bonitas actus dependet à ratione tanquam à regula proxima. 235
Actus deſumit ſuam ſpeciem ab objecto tamquam à forma extrinſeca. 216
Proximè ſpecificatur à conformitate objecti ad rectam rationem. ibid.
Bonitas deſumitur à conformitate objecti non prout eſt à parte rei, ſed prout objicitur voluntati. 251 256 271
Bonitas ſumpta ex objecto eſt actui morali eſſentialis. 219
Bonitas quæ ſumitur ab objecto prius eſt in actu externo, quam interno. 222
Bonitas quæ ſumitur ex fine prius eſt in actu interno, quam in externo. 223
An ſit eadem bonitas actus interni, & externi? 224. 225. 228.

Actus externus non addit bonitatem aut malitiam actui interno. 226. & ſeq.
Objectiones in contrarium, ſolvuntur. 229
Non ſufficit tamen in confeſſione exprimere ſolum actum internum ſi externus ſecutus ſit. ibid.
Bonitas actus interni frequenter augetur per adjunctionem actus externi. 232
Bonum, & finis convertuntur. 7
Bruta non agunt propter finem. 12
Bruta in ſuis actionibus non ſunt libera. 86
Cur minus quam homo determinatus à Deo ad actionem. ibid.

C

CARDINALES.

CArdinalium declarationes ſuper Conc. Trid. an habeant vim legis. 480
Quas conditiones debeant ad hoc habere ibid.
Non obligant in Belgio. ibid.

CARTHUSIANUS.

CArthuſianus in periculo vitæ poteſt comedere carnes, ſi alii cibi deſint 489
Non poterit, ſi adſint alii cibi. ibid.
Carthuſianus an peccet delectando ſe in imaginario eſu carnium? 172. 349

CAUSA.

CAuſa finalis quid. 8
Cauſa finalis quomodo cauſet. 7. 9
Cauſa finalis eſt cauſa realis. 9
Cauſalitas cauſæ finalis conſiſtit in motione metaphorica: & quid hæc. 10
Cauſa finalis cauſat ſecundum eſſe ſuum reale objectivum. 11
Cauſa finalis non habet locum, ubi non habet locum cauſa efficiens. 13
Ceſſante cauſa finali ceſſat quævis actio. 12
Cauſa prima qualiter moveat ſecundam. 164.
Cauſa prima movet cauſam ſecundam ſecundum quod natura hujus poſtulat. 88. 166. 168

CASUS RESERVATUS.

CAſus non cenſetur reſervatus, niſi ſit certus. 496

CERTITUDO.

CErtitudo in moralibus non poteſt ſemper haberi perfecta. 263
Certitudo moralis ſufficit ad prudenter agendum. ibid. & 245
Quæ requirantur & ſufficiant ad formandum certitudinem moralem practicam. 245. 263. 282

CHARITAS.

ALia eſt actualis, alia habitualis. 19
Non omnis charitas eſt amor Dei ſuper omnia. 20. 302
Charitas in homine viatore non poteſt eſſe ſine fide & ſpe. 309
Sola charitas eſt virtus perfecta. 303
Omnis virtus poteſt dici eſſe charitas. ibid.
Charitatis quinque gradus. 62
Charitas ex qua debent procedere omnes actiones ut ſint bonæ, non debet eſſe charitas habitualis. 19
Nec amor Dei ſuper omnia. 20
Charitas ſola excludit affectum peccandi. 99. 102
Unde hoc charitati proprium? 99. 103
An poſſit homo eſſe certus ſe habere charitatem. 574
Charitas habitualis non poteſt conſiſtere cum peccato mortali. 594
Poteſt charitas actualis eſſe in peccatore, ante remiſſionem peccatorum. 585

CIRCUMSTANTIA.

QUid ſit. 131
Circumſtantia conſiderari poteſt quadrupliciter. ibid.
Circumſtantia reſpectu actus externi, eſt etiam talis reſpectu actus interni. 132
Circumſtantiæ conferunt actui humano bonitatem aut malitiam. 132
Ut dent bonitatem, debent eſſe directè volitæ. 136
Non ſic ut tribuant malitiam. ibid
Circumſtantia quandonam det primam ſpeciem actui. 136
Circumſtantia aggravans quid? ibid.
Quid circumſtantia mutans ſpeciem. 137
Circumſtantia mala, invincibiliter ignorata non inficit actum. 66
Circumſtantiarum ſpecies ſunt ſeptem. 138

Digitized by Google

Quandonam mutent ſpeciem actus, aut ſolummodo aggravent ſingulæ; per exempla oſtenditur. 138. 139. 140

CLARITAS.

Claritas una ex dotibus corporis glorioſi. 38

Claritas illa non eſt futura in omnibus beatis æqualis. 39

Poterit beatus ſuum corpus aliis occultare. ibid.

CLERICI.

An, & qualiter ſubjiciantur legibus civilibus. 481

Clerici exempti ſunt à juriſdictione ſæculari. ibid.

Clericus faciens contra legem civilem, puniri debet, non à ſæculari, ſed ab Eccleſiaſtico judice. ibid.

COACTIO, ET COACTUM.

Quid. 93

An voluntas in ſuis actibus poſſit cogi. ibid.

Conſentit ſæpe moraliter voluntas actui malo, cui phyſicè repugnat. 87

Voluntas cur minus poſſit cogi ad actus elicitos, quam aliæ potentiæ. 93

Bruta in ſuis actionibus à natura coguntur. 93

COMMISSIO.

Commiſſio, an, & quando exſpiret morte committentis. 494

CONCUPISCENTIA.

Quid. 110

Concupiſcentia alia eſt actualis, alia habitualis. ibid.

Concupiſcentia ordinariè ſumitur in malum. 51

Concupiſcentia non omnis eſt vitioſa. 110

Concupiſcentia, alia eſt antecedens, alia conſequens. 111

Concupiſcentia antecedens ordinariè auget voluntarium, ſed minuit liberum. ibid.

Concupiſcentia aliquando tollit liberum. ib.

Concupiſcentia quomodo moveat voluntatem. 63

Concupiſcentia carnis quid ſit. 358

Item concupiſcentia oculorum. ibid.

Concupiſcentiæ motus unde oriantur: quomodo ipſis reſiſtendum. 195

Concupiſcentiæ motus prævenientes uſum rationis non ſunt peccata. 342

Quod ſenſu dicat Auguſtin. præceptum, *Non concupiſces*, non poſſe impleri hac vita. 344

Quo ſenſu concupiſcentia vocetur peccatum. 343

Concupiſcentia, & gratia ſunt duo pondera quæ voluntatem in contrarium movent. 533. 549

Concupiſcentia, dum eſt fortior gratiâ, trahit ſecum voluntatem. ibid.

CONFESSARIUS.

Confeſſarius non poteſt abſolvere aliquem, quem dubitat eſſe ſufficienter diſpoſitum. 397

Unde dignoſcet confeſſarius aliquem eſſe diſpoſitum. ibid.

Confeſſarius quid debeat agere cum conſuetudinario quem judicat indiſpoſitum. 369

Ordinariè debet ipſius differre abſolutionem. 368

Quem modum debeat cum tali tenere Confeſſarius, pendente illa dilatione. 369

Quid ſi immineat ipſi periculum mortis. 370

Quid judicandum de tali, ſi moriatur ante obtentam abſolutionem? ibid.

Quid ſi talis velit abſolvi, an eum poſſit Confeſſarius abſolvere? ibid.

Confeſſarius qualiter ſe gerere debeat cum conſuetudinario, quem emendatum deprehendit. 370.

Confeſſarius, ut conſuetudinarium abſolvere poſſit, an debeat ille plane exuiſſe conſuetudinem. 371

Confeſſarius, an poſſit, & debeat examinare conſuetudinarium ſuper conſuetudine, ſi cum fundamento de illâ dubitet. ibid.

Confeſſarius quandonam poſſit conſuetudinarium primâ vice ſtatim abſolvere. 372

Confeſſarius ordinariè non poterit conſuetudinarios publicos pro prima vice abſolvere, quantumvis contriti videantur. 363

Confeſſarius qualiter ſe gerere debeat cum pœnitente, relabente frequenter in eadem venialia. 374.

Confeſſarius qualiter ſe gerere debeat cum pœnitente laborante ignorantiâ invincibili. 124
Confeſſarius quomodo debeat agere cum laborante conſcientiâ erroneâ. 254
Confeſſarius qualiter ſe debeat gerere in materia probabilitatum. 267. 273. 275
Confeſſarius qualiter debeat agere cum ſcrupuloſis. 289
Confeſſarius qualiter debeat agere cum exiſtentibus in occaſione peccandi 379
Confeſſarius qualiter agere debeat cum illis, qui, neceſſitate aliqua in eadem domo commorantes, inter ſe ſolent peccare. 382
Remedia talibus præſcribenda. ibid.
Confeſſarius an poſſit abſolvere eos qui ratione officii, vel artis ſolent peccare? 384
Confeſſarius, uti non laxus, ita nec rigidus eſſe debet. 385
Conjugium fuiſſet in ſtatu innocentiæ. 395
Conjugium non eſt cauſa peccati originalis. ibid.

CONSCIENTIA.

Conſcientiæ nomen variè accipitur. 240
Conſcientia ſtrictè dicta quid? ibid.
Conſcientia eſt veluti concluſio ſyllogiſmi practici. ibid.
In quo diſtinguatur à Syndereſi. 241
Conſcientia quid habeat pro objecto. ibid.
Conſcientiæ diverſa officia. ibid.
Maxima eſt peccati pœna, dum in peccatore remorſus exſtinguitur conſcientiæ. 243
Judicium conſcientiæ, quod eſt immediata actuum humanorum regula, debet eſſe actus prudentiæ. 244. 250
Non requirit neceſſariò actum voluntatis ut obliget. 422
Debet illud judicium eſſe certum 244
Unde ſumat ſuam certitudinem. ibid.
Sufficit certitudo moralis. 245. 263
Judicium conſcientiæ practicum per ſe loquendo, debet eſſe conforme ſpeculativo. 246. 261
Non tamen ſemper. ibid.
Quid requiratur ad hoc ut judicium practicum ſit certum, quando ſpeculativum eſt dubium? 246. 261. 282
Agens cum conſcientia dubia exponit ſe periculo peccandi. 245
Agere contra conſcientiam, per ſe loquendo, non eſt ſpeciale peccatum. 247
Peccatum contra conſcientiam commiſſum unde deſumat ſuam ſpeciem. 248. 253
Peccare contra conſcientiam aliquando eſt ſpeciale peccatum. 248
Conſcientiæ varia diviſio. ibid
Conſcientia alia eſt ſpeculativè, alia practicè recta. 250
Conſcientia practicè recta eſt proxima regula actuum humanorum. 251
Unde proximè deſumatur rectitudo conſcientiæ. ibid.
Conſcientia recta obligat ad agendum ſecundum ſuum dictamen. 252
Et unde ei illa vis obligandi. ibid.

CONSCIENTIA ERRONEA.

Quid ſit. ibid.
Alia eſt erronea ſpeculativè, alia practicè. ibid.
Unde oriatur falſitas conſcientiæ practicè falſæ. ibid.
Conſcientia erronea alia eſt vincibilis, alia invincibilis. ibid.
Conſcientia vincibilis quomodo obliget. 253
Conſcientia erronea an, & quomodo debeat deponi. ibid.
Ad quod genus ſpectet peccatum contra conſcientiam vincibiliter erroneam commiſſum. 248. 253. 283
Unde conſcientia erronea habeat vim obligandi. 254. 259
Uter gravius peccet ſequens conſcientiam vincibiliter erroneam, an contra eam agens. 254
An qui ex conſcientia errante putat aliquid eſſe illicitum, poſſit obedire ſuperiori illud jubenti. 254
Conſcientia vincibiliter errans minus obligat, quam præceptum ſuperioris ibid.
Conſcientia erronea tantum excuſet à peccato, quantum ignorantia ex qua oritur. 255

Quid conſcientia invincibiliter erronea. ibid.
An peccet incarceratus qui putat ſe peccare non audiendo ſacrum die feſto, quod non poteſt. 256
Conſcientia invincibiliter erronea obligat ut eam poſitivè ſequamur. 255
Conſcientia talis eſt practicè certa. 256
An liceat ſit inducere aliquem ad malum, quod ipſe invincibiliter putat eſſe bonum. ibid.
An liceat gaudere de malo, ex invincibili ignorantia admiſſa. 257
Conſcientia invincibiliter erronea nunquam obligat ad peccandum. Nec reddit perplexum. ibid.
Conſcientia probabilis non poteſt eſſe regula certa actuum humanorum. 262. Vide Probabile.
Conſcientia dubia quid. 281
Alia eſt poſitivè, alia negativè dubia. ibid.
Quod genus peccati admittat qui operatur ex conſcientia practicè dubia. 283
Conſcientia dubia, an & quando poſſit deponi. ibid.
Conſcientia ſcrupuloſa quid. 286
Non eſt propriè conſcientia. 288
Licitum eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam. 287
Regulæ quas debet confeſſarius ſequi in directione conſcientiæ ſcrupuloſæ. 289

CONSENSUS.

Conſenſus, & diſſenſus quid. 186
Conſenſus unus eſt expreſſus, alius interpretativus. ibid.
Item alius perfectus, alius imperfectus. ibid.
Requiſita ad conſenſum perfectum. ibid.
Conſenſus perfectus an ſit, nec ne, colligitur ex quinque regulis 69. 186
Conſenſenſus interpretativus quid. ibid.
Conſenſus in delectationem rei imaginatæ, cenſetur conſenſus in ipſam operis executionem. 172
Conſenſus in delectationem rei gravis jure naturæ prohibitæ, eſt peccatum mortale. ibid.
Conſenſus in delectationem rei imaginatæ ſolo jure poſitivo prohibitæ, non ſolet eſſe peccatum mortale. ibid.
Niſi eſſet conſenſus efficax. ibid.

CONSILIUM.

Quid. 184
Conſilium an reperiatur in Deo. 185
Conſilium ſemper eſt de mediis, nunquam de fine. ibid.

CONSUETUDO.

Conſuetudo quid ſit. 503
Conſuetudo alia eſt juris, alia facti. ibid.
Conſuetudo poteſt legem abrogare. ibid.
Quæ conditiones ad hoc requirantur. ibid.
Conſuetudo an poſſit abrogare legem reprobantem omnem contrariam conſuetudinem. 504
Ut conſuetudo legem abroget, quantum temporis requiratur. ibid.
Ut conſuetudo legem tollat, vidente & diſſimulante legiſlatore, non requiritur certum tempus, nec bona fides. 505
Conſuetudo contra legem quomodo poſſit eſſe rationabilis. ibid.
Conſuetudo quomodo interrumpatur. 506
Conſuetudo non poteſt tollere legem divinam. ibid.
Conſuetudo peccandi quomodo corrigenda. 113

CONSUETUDINARII.

Conſuetudinarii an, & quando, & qualiter ſint abſolvendi. 167. & ſequentib. Vide verb. Confeſſarius.
Conſuetudinarii tardius & difficilius ad veram converſionem perveniunt. 368
Ad explorandam veram eorum converſionem ordinariè eis eſt differenda abſolutio. ibid.
Conſuetudinariis pernicioſum eſt confeſſarios mutare. 370
S. Caroli Borromæi de abſolutione conſuetudinariorum ſententia. 386. & ſeq.

CONTEMPTUS.

Contemptus generalis quis ſit. 319
Non dat novam ſpeciem peccato. ibid.
Contemptus formalis quis ſit. ibid.
In quo differat ab inobedientia formali. ib.
Quandonam cenſeatur adeſſe contemptus formalis. ibid. & 469
Contemptus formalis ad quam peccati ſpeciem pertineat. 319

CON-

Digitized by Google

CONTRACTUS.

Contractus gravi metu initi an ſit validi. 108
Contractus metu initi quando poſſint reſcindi. 108. 109

CONTRITIO.

Contritio imperfecta cum Sacramento ſufficiens qualis eſſe debeat. 99
Debet excludere voluntatem peccandi. ibid.
Adeoque debet oriri ex amore Dei ſuper omnia. ibid. 101
Amor Dei ſuper omnia includit voluntatem ſervandi omnia ejus præcepta. 549
Contritio procedens ex amore Dei ſuper omnia, non ſemper habet adjunctam remiſſionem peccatorum. 584
Contritio non cauſat Phyſicè gratiam juſtificantem. 583
Quandonam contritio hominem peccatorem juſtificet ſe ſolâ ſine actuali perceptione Sacramenti. 584

CORNELIUS CENTURIO.

Cornelius centurio non ex operibus meruit juſtitiam. 369
Habebat fidem unius Dei ante baptiſmum, licet nondum haberet fidem Chriſti. ibid.

D

DÆMON DÆMONIACI.

Dæmon quo modo pravos motus in homine excitet. 195
Dæmoniacos reperiri eſt de fide. 198.
Dæmoniacus quis ſit cenſendus. 200
Poteſt unus homo poſſideri à pluribus dæmonibus. ibid.
Dæmones non ideo intrant in corpus hominis ut liberi ſint à cruciatu ignis. 201
Dæmones corpora hominum obſidentes, ſunt ex illis, qui in hoc aëre ſunt uſque ad judicium relicti. ibid.
Signa ex quibus cognoſci poſſit an quis verè ſit à Dæmone poſſeſſus. ibid. & ſeq.
Dæmoniaci ob quæ peccata poſſideantur. 207
Quandoque ob nullum peccatum proprium. 208
Dæmones quibus mediis è corporibus obſeſſorum pellantur. 209. Vide verb. exorciſmus.

DECLARATIONES.

Declarationes Cardinalium ſuper Concilio Trid. an habeant vim legis. 420
Non obligant hic in Belgio. ibid.

DELECTATIO.

Delectatio moroſa quid. 346
Non dicitur moroſa à mora temporis, ſed ratione is. ibid.
Delectatio de cogitatione objecti mali, an ſit mala. ibid.
Delectatio de modo quo res mala fit non eſt ſemper mala. ibid. 172
Delectatio de re mala cogitata eſt mala. 346. 171. 172
Cur potius quam delectatio de cognitione objecti mali. ibid.
Delectio ſequitur conditionem objecti ex quo naſcitur. ibid.
Delectatio an ſit de re mala, an verò de ſola cognitione, unde dignoſcatur. 347
Qui conſentit in delectationem rei imaginatæ cenſetur conſentire in ipſum opus. 172. 346
Delectatio de opere cogitato gravi, prohibito lege naturæ, eſt peccatum mortale. 172
Delectatio de opere ſolo jure humano prohibito non eſt ordinariè peccatum mortale. ibid.
Simplex complacentia de eſu carnium in die jejunii, an ſit peccatum. ibid.
Delectatio quæ oritur dum quis ex honeſta cauſa cogitat de re mala, præſumitur eſſe ipſa cognitione, non de re: ſecus ſi ex occaſione mala. 347
Delectatio de re mala cogitata quale ſit peccatum. ibid.
Delectatio moroſa inter ſolutos in re venerea eſt peccatum mortale. ibid.
Nec in ea datur parvitas materiæ: & cur? ibid.
Delectari de copula cogitata ſub conditione, ſi eſſet licita, aut ſit licitum. ibid.
Delectari de copula habita in matrimonio, an viduæ ſit licitum. 348

Delectari uni conjugum de copula præterita abſente altero, non eſt licitum. 349
Delectari de copula habita tempore licito, licitum eſt conjugatis: cur potius quam viduis 348
Ad delectationem moroſam, ut ſit peccatum mortale, ſufficit conſenſus interpretativus. 350.
Delectatio moroſa in materia venerea eſt ejuſdem ſpeciei cum opere externo. ibid.
Delectatio in materia venerea non tantum ex objecto mala eſt, ſed etiam quia ex illa natum eſt opus cauſari. 348. 350
Delectatio moroſa in aliis materiis non eſt ejuſdem ſpeciei cum opere externo 351
Delectatio de uxore aliena, abſque tamen voluntate exequendi, an habeat malitiam adulterii. 350

DELIBERATIO.

Quid ſit. 184
Deliberatio, à qua voluntas dicitur deliberata, duplex.
Una formalis; alia interpretativa, Et quid utraque, 5
Ad peccandum mortaliter non requiritur formalis deliberatio. 67
Sufficit interpretativa. ibid.

DEUS.

Dei gloria eſt finis *cujus* omnis rei creatæ 26
In quo illa gloria conſiſtat. ibid.
Deus quo modo liberè velit, & agat. 32
Deus non exercet actus morales propriè dictos. 213
Divinæ voluntatis non poteſt dari cauſa, ſed bene ratio. 13
Deus quo ſenſu dicatur conqueri, iraſci &c. 168. 530
Deus non poteſt invincibiliter ab homine ignorari. 243
Deus movet unamquamque cauſam creatam ſecundum naturam illius. 88. 166. 167
Deus ſolus efficienter movet voluntatem. 163
Nec ideo libertatem ejus tollit. 88. 163. 168
Deus non eſt cauſa actuum malorum voluntatis. 163
Eſt tamen cauſa efficiens actus materialis peccati. 356
Deus non eſt propterea dicendus author peccati. 357. 361
Defectus debet tribui cauſæ deficienti. 357
Homo, cum Deo concurrens ad eandem actionem, cur potius dicatur peccare, quam Deus. ibid.
Deus prædefinit omnes actus cauſæ ſecundæ etiam liberæ. 166. 167
Etiam peccaminoſos. 358
Illa prædefinitio fit independenter à ſcientia media. 167
Deus non eſt cauſa deformitatis in actu. 360
Unde ultimatè proveniat quod Deus non poſſit peccare. ibid.
Deus non eſt cauſa nequidem indirecta peccati. 361
Objectiones in contrarium ſolvuntur. 362
Quis cenſeatur cauſa indirecta peccati. 365
Deus quo ſenſu in ſcripturis dicatur obdurare, & excæcare corda aliquorum. 366
In Deo an ſit voluntas inefficax. 530

DILECTIO.

Diligere Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem quid ſit. 99
Dilectio Dei requiritur ad ſalutarem de peccatis dolorem. 98
Dilectio Dei alia afficiens alia efficiens. 61
Dilectionis Dei quinque gradus. 62
Dilectio Dei an rectè dividatur in naturalem & ſupernaturalem. 547
An homo ſine Dei gratia poſſit Deum diligere. 547
Dilectio Dei, quæ non ſit ſupernaturalis non datur. 548. 550
Nihil poteſt homo ſupra ſe diligere, niſi cum gratia. 539
Dilectio Dei ſuper omnia includit voluntatem obſervandi omnia ejus mandata. ibid.
Dilectio Dei ſuper omnia an ſemper habeat conjunctam remiſſionem peccatorum. 583

DISCIPULUS.

DIſcipulus in materia dubia ordinariè in praxi poteſt ſequi ſententiam ſui magiſtri; non tamen ſemper, 266. 267

DISPENSATIO.

QUid ſit. 494. 441

Poteſtas diſpenſandi eſt duplex, ordinaria & delegata. 494

Poteſtas delegata an, & quando exſpiret morte delegantis. ibid.

Diſpenſare poteſt in ſua lege legiſlator, & ſucceſſor. ibid.

Poteſt legiſlator ſecum diſpenſare. 495

In quibus caſibus inferior poſſit diſpenſare in lege ſuperioris. ibid.

In quibus caſibus Epiſcopi diſpenſent in lege Pontificia. ibid. & 496

Diſpenſatio ſine juſta cauſa nunquam licita. ibid.

Eſt tamen valida, ſi ſit facta à legiſlatore. 497

Diſpenſatio à delegato conceſſa ſine juſta cauſa an ſit valida. 496

Qui diſpenſationem obtinuit, ſi poſtea advertat inſufficientiam cauſæ, an illa poſſit uti. 497

Diſpenſatio quandonam cenſeatur ſubreptitia, & quando obreptitia. ibid.

Quotupliciter contingat diſpenſationem eſſe ſubreptitiam. 499

Diſpenſatio obtenta, tacitâ aliquâ qualitate, quæ debuiſſet exprimi, an ſit valida. 497

Invalida eſt diſpenſatio ſi in libello dicatur eſſe conſanguineus in quarto, qui eſt in tertio. 500

Item eſt invalida ſi dicatur conſanguineos eſſe, cum ſint affines. ibid.

Valida eſt diſpenſatio etſi erretur in nomine perſonæ. 500

Obſervanda in petenda diſpenſatione Pontificiâ. 499. & ſequentibus

Obreptio quandonam vitiet diſpenſationem. 501.

Ceſſante causâ ob quam eſt diſpenſatum, an & quando ceſſet diſpenſatio. 502

Diſpenſatio an exſpiret morte concedentis. 503.

Diſpenſatio ceſſat ſi revocetur antequam executioni mandetur. ibid.

An homo, vel Deus diſpenſare poſſit in lege naturæ. 444

DOLOR.

DOlor de peccatis ex ſolo metu gehennæ inſufficiens eſt ad Sacramentum pœnitentiæ. 98

DOMICILIUM.

UT quis in aliquo loco illud contrahat quid requiratur. 432

Ut aliquis cenſeatur deſerere domicilium quid requiratur ibid.

An qui accedit ad aliquem locum, animo ibi figendi domicilium, obligetur legibus illius loci. ibid.

Si dubium ſit an aliquis abſolutè contraxerit domicilium, colligitur ex habitatione decennali. ibid.

Qui habet animum habitandi in certo loco pro majore parte anni, ibi contrahit domicilium Parochiale, non abſolutum ibid.

Talis obligatur particularibus legibus loci. ibid.

DOTES.

DOtes animæ beatæ ſunt tres. 38

In Angelis non ſunt dotes & cur ibid.

Dotes corporis glorioſi ſunt quatuor. ibid.

Dimanant Phyſicè ab anima glorioſa. ibid.

DUBIUM.

QUid ſit. 281

Dubium aliud poſitivum, aliud negativum. ibid.

Dubium aliud juris, aliud facti. 282

Dubium aliud ſpeculativum, aliud practicum. ibid.

Dubium ſpeculativum quomodò vinci poſſit. 283

Quo genere peccati peccet qui operatur cum dubio practico. ibid.

In dubio judicandum eſt pro poſſidente. 284

Etiam in foro conſcientiæ. ibid.

Unde dignoſcatur pro quo ſtet poſſeſſio. ibid.

Poſſeſſio eſt juſtus titulus, etiam in materia aliarum virtutum, ad deponendum dubium. 285

E

EFFECTUS.

Effectus, ut ſit voluntarius in cauſâ quid requiratur. 72

Effectus voluntarius tantum in cauſa ut imputetur in peccatum, quid requiratur & ſufficiat. 73

Effectus malus non imputatur, quando cauſa eſt per pœnitentiam retractata. 74. 406. Vide verb. voluntarium.

ELECTIO.

Electio quid. 179

Electio an pueris conveniat. 180

Electio eſt ſolummodo mediorum. ibid.

Electio eſt tantum poſſibilium. 181

Electionem qui actus ſoleant præcedere. 180

An dum ſunt plura media ad finem idonea, voluntas poſſit eligere illud quod minus idoneum eſt. 183. 149

Voluntas ex duobus bonis æqualibus neutrum poteſt eligere præciſè quia vult. 149. 184

Electio an accipiat ſuam ſpeciem à fine. 145

Electio boni medii ob bonum finem, an habeat duplicem bonitatem. 143

Electio quandonam habeat particularem rationem meriti aut demeriti, præter eam, quam habet à fine. 182

EPYKIA.

Epykia quid? 447

An cadat in legem naturæ. ibid.

Cur minus quam in legem humanam. 448. 488

EPISCOPUS.

Epiſcopus an habeat immediatè ſuam juriſdictionem à Deo. 44

Epiſcopus poteſt ferre leges pro ſua diœceſi. ibid.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in decretis Synodalibus. 494

Epiſcopus in quibus caſibus valeat diſpenſare in legibus Pontificiis. 495

Epiſcopus quandoque diſpenſat in impedimentis occultis dirimentibus matrimonium. 496

EXCOECATIO.

Excœcatio in peccatis quid ſit. 365

Excœcatio eſt peccatum, & peccati pœna. ibid.

Deus non eſt cauſa excœcationis. 366

Poteſt tamen dici cauſa ejus occaſionaliter. ibid.

Quo ſenſu in Scripturis Deus dicatur excœcare. ibid.

Homo excœcatus, & obduratus liberè equidem peccat, licet ſit privatus lumine gratiæ. 69. 569

Rectè etiam dicitur poſſe obſervare mandata Dei. ibid.

Deus hominem excœcat auferendo ab illo lumen ſuæ gratiæ. 243. 366

EXORCISMUS.

Exorciſmus quid ſit. 209

Exorciſmus habet vim in dœmones quaſi ex opere operato. 210

Illa virtus infallibiliter operatur niſi obſtet obex. ibid.

Exorciſmorum quibuſlibet formulis uti non eſt licitum. ibid.

Quiſque in hoc debet ſequi paſtorale ſuæ Diœceſis. ibid.

Exorciſmi practicandi optima methodus. 207

Salutaris pro exorciſtis monitio. 206

Exorciſta an poſſit petere à dæmone ſignum ſui exitus. 209

Quod ſignum ſit, dæmonem eſſe egreſſum. ibid.

Exorciſta quæ poſſit adhibere ad dæmonem fugandum. 210

EXTASIS.

Quid ſit? 61. 63. 157

Eſt effectus amoris. 61.

Anima in extaſi conſtituta clarius intelligit quam extra. 46

In extaſi voluntas quandoque operatur intellectu nihil planè cogitante. 159

EXCOMMUNICATUS.

An qui percuteret laicum invincibiliter putans illum eſſe ſacerdotem eſſet excommunicatus. 256

Digitized by Google

F

Fides non poteſt eſſe ſine pio affectu voluntatis. 526. 540
Ille affectus pertinet ad gratiam Chriſti. 541
Fides qualiter ſit effectus gratiæ Chriſti. 526
Fidei initium non eſt à nobis, ſed à gratia 526. 541
Fidei actus non poteſt eſſe malus. 138
Non omnis aſſenſus propoſitionis revelatæ à Deo eſt actus fidei Chriſtianæ. 539
Ad eliciendum actum fidei divinæ debet intellectus & voluntas elevari ſpeciali auxilio. 541
Inſpiratio fidei eſt primus effectus gratiæ. 526
Fides ad juſtificationem neceſſaria. 580
Quæ fides ad juſtificationem requiratur. 586
Fides ad juſtificationem requiſita non eſt actus voluntatis, ſed intellectus. 587
Fides ſola non ſufficit ad juſtificationem. ibi.
Fidei quo ſenſu tribuatur vis juſtificandi. 581. 589

FINIS.

Quid cauſa finalis. 8
Finis alius *cujus*, alius *cui*, alius, *quo*. ibid.
Finis *cui* cauſat finaliter æque ac finis *cujus*. ib
Finis alius proximus, alius remotus. ibid.
Finis alius ultimus ſimpliciter, alius ultimus ſecundum quid. ibid.
Finis ultimus ſimpliciter non influit ſemper in omnes actiones agentis. 9
Cauſa finalis an ſit cauſa realis. ibid.
In quo conſiſtat ejus proxima ratio cauſandi. ibid.
Finis cauſat ſecundum eſſe ſuum reale, & non tantum ſecundum eſſe cognitum. 11
Finis & media an eodē actu intenditur. 152
Finis intentio, an ſit cauſa efficiens volitionis mediorum. ibid.
Finis in ſe bonus, non eſt bonus reſpectu cujuſcumque medii. 141. 217
Nullus finis eſt bonus dum intenditur per mala media. 141
Bruta non agunt propter finem. 12
Sola creatura rationalis agit propter finē. 11
Quid ſit aliquid cognoſcere ſub ratione finis 12
Finis dat ſpeciem actui humano. 13
Finis qui dat ſpeciem actui eſt finis operis. 14
Finis operantis eſt circumſtantia actus humani. ibid.
Finis, ut det bonitatem actui, debet eſſe bonus ſub ratione finalizandi. 141
Deus eſt finis ultimus *cui* omnis rei creatæ, non finis ultimus *cujus*. 27
Finis ultimus *cujus* omnis rei creatæ, eſt gloria Dei extrinſeca. ibid.
Homo an ſimul poſſit intendere plures fines ultimos. 17
Homo juſtus peccans venialiter quare non habeat plures fines ultimos. 18
Peccator manens talis habet pro fine ultimo amorem ſui. 571

FOEMINA.

Fœminę maximè pollēt imaginativa. 205
Illa mirabilium effectuum cauſa. ibid.

FOMES PECCATI.

Fomes peccati quid? 192
Quare per baptiſmum non auferatur. ib.
Vide peccatum originale.

FORUM INTERNUM.

Forum internum idem præſumit in dubiis quod forum externum: niſi ubi hoc nititur falſa præſumptione. 284. 431. 470

FRUI.

Quid frui. 169
Tria ad fruitionem requiruntur, amor, poſſeſſio; delectatio. ibid.
Fruitio in quo illorū formaliter conſiſtat. ib.
Frui competit ſoli naturæ rationali. 170
Frui quâcumque creaturâ culpabile eſt. 22. 170

G

GLORIA.

Gloria quid ſit. 26
Gloria Dei alia intrinſeca, alia extrinſeca. ibid.
In quo utraque conſiſtat. ibid.
Gloria Dei eſt finis *cujus* omnis rei creatæ. ib.

GRATIA. FAVOR.

Gratia non exſpirat morte concedentis. 494. 508
Gratia alia eſt facta alia facienda. 508

Digitized by Google

GRATIA DEI.

Gratia Dei quadrupliciter ſumitur. 511 512
Gratia Chriſti eſt donum gratuitum ſupernaturale, ordinatum ad ſalutem, ex meritis Chriſti datum. ibid.
Alia eſt gratia gratis data, alia gratum faciens. ibid.
Gratia Chriſti non reperitur ſine aliquo initio ſalutis. ibid.
Notitia legis non pertinet ad gratiam Chriſti. 513
Quid gratia habitualis. 515
Certum eſt talem dari in homine juſto. ibid
Quænam ſint ejus cauſæ. ibid.
Per quodlibet peccatum mortale expellitur. ibid.
Non diſtinguitur realiter à charitate habituali. ibid.
Quid gratia actualis. 516
In quo præcisè conſiſtat gratia actualis. ibid.
Gratia actualis alia eſt operans, alia cooperans. 518.
Effectus gratiæ operantis ſunt illuſtratio, & inſpiratio boni. 519
Illuſtrationes illæ, & inſpirationes percipiuntur ab homine 517. 520
Sunt actus indeliberati voluntatis. 517. 520 522
Gratia actualis eſt principium efficiens actionum bonarũ ſupernaturaliũ. 517. 520
Gratia aliter dividitur in excitantem, & adjuvantem. 521
Quid ſint, & qui earum effectus. ibid.
Quid gratia præveniens, & ſubſequens. 523
Quinam ſint illarum effectus. ibid.
Gratia ſubſequens non ita vocatur, quia eſt voluntate aliquo modo poſterior. ibid.
Aliter dividitur gratia in antecedentem concomitantem, & ſubſequent. 524
Gratia præveniens, antecedens, aſpirans, excitans, operans convertuntur. ibid.
Gratia alia eſt naturæ ſanæ alia naturæ lapſæ. 525
Gratia naturæ ſanæ vocatur adjutorium ſine quo non. Gratia naturæ lapſæ dicitur adjutorium quo. ibid.
Quinam ſint effectus præcipui gratiæ Chriſti. ibid.
Fides ex pio affectu eſt primus effectus gratiæ Chriſti. 528
Gratia naturæ lapſæ facit voluntatem de nolente volentem. 519. 525
Auxilium gratiæ non eſt qualitas, aut aliquid inhærens potentiis quæ elevantur. 519
Eſt efficacia voluntatis Dei imperantis, ut potentiæ hominis producant tales effectus ſupernaturalis. ibid.
Quædam Dei auxilia deliberationem voluntatis præcedunt, ut illuſtrationes & inſpirationes. 520
Illæ non pertinent ad gratiam Chriſti ſi non habeant conjunctum ſaltem initium bonæ voluntatis. 513. 523
Non eſt in poteſtate voluntatis, deſiderare, aſpirare, aut conari ad gratiam; niſi præveniatur ab ipſa. 524
Gratia Adami dependebat à nutu liberi arbitrii. 525
Gratia Chriſti facit voluntatem velle. ibid.
Gratia Chriſti an rectè dividatur in ſufficientem & efficacem. 526
Gratia proximè ſufficiens dicitur illa, præter quam ex parte Dei nulla alia requiritur ad actum. ibid.
Gratia remotè ſufficiens eſt quæ dat poſſe agere: ſicut ad agendum actu, alia requiratur. ibid.
Hæc dicitur gratia ſufficiens Thomiſtica. ibi.
Non datur in ſtatu naturæ lapſæ gratia proximè ſufficiens tantum. 528
Illa gratia non differt à gratia Adami. ibid
Non eſt in poteſtate voluntatis hominis lapſi gratiam, ſufficientem tantum, facere efficacem. 527
Contraria opinio eſt à P. Generali Societatis Jesu improbata. ibid.
Argumenta quæ probant non dari gratiam ſufficientem, quæ non ſit efficax 528. & ſequent.
Solvuntur argumenta in contrarium. 529 & ſequent.

Deus

Digitized by Google

Deus quo ſenſu dicatur velle converſionem reproborum. 529. 530
Homini diſtituto gratia ſufficiente præcepta Dei ſunt poſſibilia. 531. 532
Deus poteſt juſtè homini denegare gratiam ſufficientem. 532
Omnis gratia eſt efficax: ſcilicet reſpectu effectus propter quem proximè datur. 533
Gratia efficax reſpectu unius effectus, dicitur ſufficiens reſpectu ulterioris. ibid.
Gratiæ interiori reſiſti poteſt in ſenſu diviſo. ibid.
Eidem ſæpius reſiſtitur quoad effectus remotos. ibid.
Gratia eſt victrix, quando fortior eſt quam concupiſcentia. ibid.
Dum gratia à concupiſcentia ſuperatur, equidem habet ſuum effectum propter quem erat data. 534
Gratiæ efficacia in quo conſiſtat. ibid.
Gratia eſt efficax independenter à prævio, vel prævíſo conſenſu voluntatis. 535
Argumenta quæ hoc probant. 535. 536
Sine gratia Dei non poteſt homo facere aliquod bonum ſalutare. 537
An homo ſine gratia poſſet cognoſcere veritates ſupernaturales. 539
Quotupliciter veritas aliqua dicatur ſupernaturalis. ibid
An homo ſine gratia poſſit facere opera moraliter tantum bona. 531
Homo de ſuo non habet niſi mendacium & peccatum, 542
Argumenta quæ probant hominem nihil boni poſſe ſine gratia. 541. & ſequent.
Solvuntur argumenta in contrarium. 544. & ſequent.
Non repugnat illa doctrina condemnationi propoſitionu n Bay à Pontificibus factæ. 545
Illæ propoſitiones prohibitæ ſunt ob acerbitatem cenſuræ. 546
Homo non poteſt in ſtatu naturæ lapſæ diligere Deum ſine gratia. 547
Nequidem dilectione naturali. ibid.
An hæc ſit admittenda. 548
Non poteſt homo ſibi relictus practicè judicare Deum eſſe ſuper omnia amandum. 549
An homo poſſit amare idolum pluſquam ſe. ibid.
An homo ſine Dei gratia poſſit tentationem vincere. 551
Sola gratia habitualis non ſufficit ad bene operandum. 553
Ad perſeverandum uſque in finem, neceſſarium eſt donum perſeverantiæ. 554
Parvuli decedentes cum Baptiſmo rectè dicuntur habuiſſe donum perſeverantiæ. 555
In quo ſitum ſit donum perſeverantiæ. 554
Poſſunt omnes juſti in accepta juſtitia perſeverare ſi velint. 556
Illud donum perſeverantiæ non omnibus juſtis datur. 555
Quod dicitur, Deus neminem deſerere niſi prius deſeratur, intelligitur quoad gratiam habitualem. 556
Homo non ſemper habet gratiam neceſſariam ad orandum. 557
Nec juſtus habet ſemper gratiam actualem neceſſariam ad non peccandum actu. 571
Si quæratur, cur hic perſeveravit, ille non, rectè reſpondetur, quia ille voluit perſeverare, ille noluit. 557
Voluntas tamen perſeverandi non eſt ab homine, ſed à Deo. ibid.
Cur Deus uni donet illam voluntatem & non alteri, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. ibid.
Non omnes juſti habent donum perſeverantiæ. 557
Donum perſeverantiæ inchoatur ab illa juſtificatione, à qua juſtus non excidit uſque in finem. 558
Donum perſeverantiæ quomodo diſtinguatur à confirmatione in gratia. ibid.
In quo conſiſtat illa confirmatio in gratia. ibid.
Non tollit libertatem voluntatis. ibid.
Donum perſeverantiæ non præſupponit, nec dependet à conſenſu voluntatis. ibid.
Gratia actualis neceſſaria eſt ad ſingulos actus bonos. 559

Homo in ſtatu naturæ lapſæ poteſt ſine ſpeciali gratia implere quædam legis naturæ præcepta quoad ſubſtantiam. 562
Non tamen omnia. 563
Si homo poſſet naturæ viribus implere omnia præcepta legis naturæ quoad ſubſtantiam; poſſet naturæ viribus ſalvari. ibid.
Si homo ſine gratia non poſſit implere legem, cur Deus homini jubeat illam implere. 564
Cum in rebus ad ſalutem pertinentibus, aliquid dicitur homini poſſibile, ſemper id intelligitur, *cum auxilio gratiæ*. ibid.
An ſit in hominis poteſtate ſemper habere auxilium neceſſarium ad implenda mandata. ibid.
Infideles ſæpe carent omni gratiâ neceſſariâ ad bene vivendum, vel ad vincendas tentationes. 565
Nec tales excuſationem habent juſtam in peccatis quæ committunt. ibid.
Ut mandata divina cenſeantur homini poſſibilia, ſatis eſt eum eſſe viatorem, præditum libero arbitrio, & in eo ſtatu, in quo Deus ſolet malos convertere, bonos adjuvare. ibid.
Præcepta Dei non omnibus hominibus æqualiter poſſibilia. ibid.
Deus homini juſtè denegare poteſt ſuam gratiam. 566
Deus homini facienti quod in ſe eſt dabit gratiam. Quo ſenſu ſit verum. 567
Homo nihil planè poteſt facere ex ſolis viribus naturæ, quod ipſum, quocumque tandem modo promoveat ad gratiam. ibid.
Initium, progreſſus, & conſummatio operis ſunt à gratia. 568
In actionibus bonis non eſt diſtinguendum id, quod eſt à gratia, ab eo, quod eſt à libero arbitrio. ibid.
Cornelius Centurio non ex operibus viribus naturæ factis, exauditus eſt. 569
Habebat fidem unius Dei, licet nondum haberet fidem Chriſti. ibid.
Quænam diſpoſitio requiratur in adulto ad gratiam habitualem. 570
Homo ſine gratia poteſt vitare peccata ſingula, ſed non vincere. ibid.
Homo juſtus an poſſit carere peccatis venialibus. 572
An homo poſſit eſſe certus de ſua juſtitia. 574

I

IGNORANTIA.

Ignorantia quid ſit, & quotuplex. 113
Ignorantia alia juris, alia facti. ibid.
Ignorantia alia vincibilis, alia invincibilis. ibid.
Ignorantia, ut ſit invincibilis, quæ requirantur. 115
Ignorantia quibus modis poſſit vinci. 116
Ignorantia quandoque ſolùm vincibilis in ſua cauſa. 117
An dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturæ. 123
Ignorantia quæ excuſat à mortali in lege humana, non ſemper excuſat in lege divina. 118
Datur ignorantia invincibilis juris divini. 119
Quænam requirantur ut cenſeatur invincibilis. ibid. & 121
An dari poſſit ignorantia invincibilis articulorum neceſſitate medii credendorum. 119
Ignorantia vincibilis eorum quæ quis ſcire tenetur, eſt ſecundum ſe peccatum. 127
Quandonam incurratur illud peccatum ignorantiæ. 128
An ſit ſpeciale peccatum. ibid.
Ex ignorantia peccans, an ſemper committat duo peccata. ibid.
Peccatum ex ignorantia vincibili commiſſum ad quam ſpeciem pertineat. ibid.
Ignorantia invincibilis unius Dei, dari non poteſt. 243
Si quis Deum invincibiliter ignoraret, an peccare poſſet. 244

IMMORTALIS ANIMÆ.

Immortalitas animæ eſt de fide. 45
Probatur rationibus naturalibus. ibid.
Eſt inculcanda fidelibus contra libertinos. 44

IM-

Digitized by Google

IMPASSIBILITAS.

IMpaſſibilitas una ex dotibus corporis beati, quid. 39

IMPECCABILITAS.

IMpeccabilitas in Beatis unde oriatur. 42

Homo confirmatus in gratia, an ſit impeccabilis. ibid.

Qui habet donum perſeverantiæ an ſit impeccabilis. ibid.

IMPERIUM.

IMperium quid ſit. 188

Eſt actus intellectus. ibid.

Includit tamen actum voluntatis. 189

Omnes actus virtutum poſſunt imperari à Charitate. ibid.

Actus imperatus unde accipiat bonitatem formalem. 190

Quinam actus intellectus imperentur. ibid. & 191

Quomodo voluntas imperet appetitui ſenſitivo. 192

Imperium deſpoticum, politicum quid. 195

INFIDELITAS.

INfidelitas purè negativa non eſt peccatum. 120

Infidelium non omnia opera ſunt peccata. 21

Infidelibus Dei præcepta abſolutè ſunt poſſibilia. 532. 566

INOBEDIENTIA.

INobedientia formalis quid. 319

Quomodo diſtinguatur à contemptu formali. ibid.

INTELLECTUS.

INtellectus radicaliter eſt liber. 81

Intellectus qualiter moveat voluntatem. 157

Intellectus qualiter moveatur ab appetitu ſenſitivo. 63

Intellectus an, & quod verum poſſit cognoſcere ſine gratia. 537

Intellectus cognitione naturali poteſt cognoſcere objectum ſupernaturale. 539

Intelligentem oportere ſpeculari phãtaſmata, quomodo verum. 46

INTENTIO.

QUid ſit. 173

Eſt actus voluntatis. ibid.

Quomodo diſtinguatur à complacentia finis. ibid.

Intentio eſt quadruplex. 174

Quid intentio actualis. ibid.

Quid virtualis. ibid.

Ad intentionem virtualem non ſufficit quod actualis præceſſerit. ibid.

Intentio virtualis quamdiu cenſeatur durare. 175

Intentio habitualis quid. 176

Quomodo differat à virtuali. ibid.

Quid intentio interpretativa. ibid.

Omnis intentio interpretivè eſt finis ultimi. ibid.

An eodem actu poſſint ſimul intendi plures fines. ibid.

Intentio finis quæ efficax. 103. 150. 182

Ut opus ſit bonum requiritur intentio recta. 178

Tres gradus quibus ad rectam intentionem perveniatur. 179

Obex rectè intentionis, amor proprius. ibid.

INVIDIA.

INvidia quid. 338

Eſt peccatum ex genere ſuo mortale. ibid.

IRA.

IRa quid? 338

Eſt peccatum ex genere ſuo mortale. ibid.

Quo ſenſu ira dicatur eſſe in Deo. 530

JUDICIUM.

QUid ſit. 184

Judicium aliquod poteſt eſſe ſpeculativè falſum, & practicè verum. 235 237. 249. 250

Sed factâ comparatione ad diverſa. 237. 250. 282

Adeoque non eſt unum, ſed diverſa judicia. 237. 250

Judicium practicum, per ſe loquendò, debet eſſe conforme ſpeculativo. 246. 261. 283

Poteſt tamen ab illo aliquando diſcrepare. 246. 261

Digitized by Google

Veritas judicii ſpeculativi & practici non dependent ex eiſdem principiis. 262
Quæ requirantur ad formandum judicium practicum certum, quando ſpeculativum eſt tantum probabile. 261. 283
Judicium probabile tantùm non poteſt eſſe regula directiva morum. 260. 262
Judicium formale intellectus non eſt neceſſarium ad hoc ut voluntas agat. 157
Judicium ultimò practicum an ſit neceſſarium ut voluntas agat. 88. 158
Judicium illud ultimò practicum unde formetur. 89. 262
Judicium ultimò practicum ſubeſt imperio voluntatis. 89

JUDEX.

JUdex in ferendo ſententiam non poteſt ſequi ſententiam merè probabilem. 277
Judici quid faciendum in caſu æqualis probabilitatis partium. 279

JURAMENTUM.

JUramentum appoſitum promiſſioni, alias nullæ, an illam, firmet. 110

JURISDICTIO. JUS.

JUriſdictionem quis retinet quamdiu concurrit titulus coloratus cum errore communi. 487
Jus Civile ſolet ſervari ab Eccleſia, niſi quando juri canonico adverſatur. 474

JUSTITIA ORIGINALIS.

JUſtitia originalis quid ſit. 402
Quænam in ſe complectebatur. ibid.
Erat aggregatum ex diverſis habitibus. 403
Juſtitia originalis erat homini debita in prima ſua creatione. 402
Tranſmittenda erat in poſteros ſi Adam non peccaſſet. 397
Quomodo illa per Baptiſmum reſtituatur. 403

JUSTIFICATIO IMPII.

JUſtificatio alia eſt activa, alia paſſiva. 579
Quid juſtificatio impii. ibid.
Juſtificatio etiam ſumitur pro adeptione incrementi juſtitiæ. ibid.
Juſtitia alia eſt ſpecialis, alia legalis, alia generalis. ibid.
Juſtitia etiam quandoque ſumitur pro charitate. 580
Diſpoſitiones ad juſtitiam requiſitæ quandoque juſtitiæ nomine appellantur. ibid.
Quæ, quot, & quales diſpoſitiones ad juſtificationem impii ſint requiſitæ. ibid.
Ad juſtificationem adulti utentis ratione prærequiritur motus liberi arbitrii. ibid.
Quis, & qualis debeat eſſe ille motus liberi arbitrii. ibid.
Solet eſſe quintuplex, nempe motus fidei, timoris: ſpei: charitatis: & pœnitentiæ. ibid.
Non ſemper in omni juſtificatione illi omnes motus formaliter interveniunt. 581. 592
Quo ſenſu Scriptura S. ſingulis attribuat vim juſtificandi 581
Illæ diſpoſitiones etiam procedunt à libero arbitrio. 581
Parvuli ſine motu proprii arbitrii, juſtificantur. 582
Diſpoſitiones illæ non efficiuntur à gratia habituali ad quam diſponunt. ibid.
Nec etiam ipſæ, nequidem contritio, efficienter cauſant gratiam habitualem. 583
Quænam ſit diſpoſitio proxima ad juſtificationem. ibid.
Diſpoſitio proxima eſt contritio ex amore Dei ſuper omnia. ibid.
Illâ diſpoſitione poſitâ non ſemper eo ipſo ſequi actualem juſtificationem, probatur. ibid. & 581
Reſpondetur ab objectionem in contrarium. 585
In quibus caſibus contritio ſine actuali perceptione Sacramenti, peccatorem juſtificet. 584
In juſtificatione infunditur gratia habitualis. 594
Juſtificatio non conſiſtit in ſola remiſſione peccatorum. ibid.
In juſtificatione verè delentur peccata. 593
Juſtificantur impii non imputatitiâ illis Chriſti juſtitiâ, ſed juſtitiâ ipſis formaliter inhærente. 595
Quo ſenſu Chriſtus dicatur noſtra juſtitia. ib.

Quæ

Digitized by Google

Quæ, & quot ſint cauſæ juſtificationis. 595
An juſtificatio fiat in inſtanti. 596
An homo poſſit mereri ſuam juſtificationem. 589. 997
Juſtificatio impii quo ſenſu dicatur majus opus quam creatio mundi. ibid.
An ad juſtificationem adulti requiratur fides, & quæ. 586. An actualis. 589
Quodnam ſit objectum fidei juſtificantis. 589
Quodnam ſit objectum ſpei, requiſitæ ad juſtificationem. 591 Vide gratia

INSTRUCTIO PRO EXORCISTIS.

INſtructio pro Exorciſtis. 201. & ſequent.

INSTRUCTIONES PRO CONFESARIIS.

INſtructio pro Confeſſariis qui habent pœnitentes, allegantes ignorantiam. 122. 124
Qui habent pœnitentes, laborantes conſcientia erroneâ. 254
Qui habent pœnitentes, ſcrupuloſos. 289. 292
Qui habent pœnitentes, conſuetudinarios. 367. & ſequent,
Qui habent pœnitentes, reincidentes frequenter in eadem peccata venialia. 374. & ſequent.
Qui habent pœnitentes, verſantes in occaſionibus peccandi. 379. & ſequent.
Qui habent pœnitentem, quem judicant indiſpoſitum ad abſolutionem. 369
Inſtructio pro Confeſſariis, qualiter gerere ſe debeant in materia probabilitatum. 267. 269. 273. 290
Inſtructio ad judicandum in dubio, an pœnitens conſenſum habuerit perfectum, an ſolum imperfectum. 63 & ſequent.

INVOLUNTARIUM.

INvoluntarium. Vide voluntarium.

L

LEX IN GENERE.

QUid lex generaliter, 421
Lex tribus modis poteſt ſpectari. ibid.
Lex eſt actus intellectus. ibid.
Non includit eſſentialiter actum voluntatis. 422
Non datur tamen lex poſitiva ſine illo. ibid.
Ad legem requiruntur quatuor conditiones. 423
Ad hoc ut lex obliget quid requiratur. ibid.
Lex & præceptum quo modo diſtinguantur. 425
Lex, ut ſit juſta, debet ſervire bono communi. 423. 425
Non eſt tamen neceſſe ut legiſlator intendat bonum commune. 426
Lex an ceſſet ceſſante ejus fine. ibid.
An promulgatio ſit de ratione legis. 427
Quid ſit promulgatio legis, ibid.
Ut lex obliget an ſit neceſſe ejus promulgationem pervenire ad ſingulos. 428. 428
Promulgatio legum non eodem modo fit. 474
Lex Pontificia, ut obliget, debet in diœcebus particularibus promulgari. ibid.
Epiſcopi an teneantur legem Pontificiam, quam ſciunt Romæ promulgatam, in ſua diœceſi promulgare. 475
Lex derogativa privilegio debet ordinariè promulgari privilegiato. 476
Lex irritans contractus debet in Provinciis promulgari. ibid.
Lex non ſtatim ſemper obligat ac eſt promulgata. ibid.
Lex Epiſcopi, ut totam diœceſim obliget, ſufficit ſi ſit in Cathedrali urbe promulgata. 477
Leges Imperiales debent in ſingulis Provinciis promulgari. ibid.
Lex ut obliget an debeat acceptari à populo. 478
Lex Eccleſiaſtica non ſolet obligare populos antequam ſit acceptata. ibid.
Quandonam populus cenſeatur legem acceptare. 479
Subditi an peccent legem promulgatam non acceptando. ibid.
Quis poſſit legem condere. 423
Unde habeatur poteſt legem condendi. 424
Epiſcopi in ſua Diœceſi poſſunt leges ferre. ibid.

Epiſcopi an immediatè à Deo poteſtatem legiſlativam acceperit? ibid.
In dubio an lex ſit juſta tenemur illi obedire. 471
Lex fundata in præſumptione an obliget dum præſumptio eſt falſa. 471 472
Actus factus contra legem irritantem eſt invalidus. 472
Contractus factus ſine ſolemnitate à lege requiſita, an ſit nullus. 473

LEX ÆTERNA.

Quid lex æterna. 237
Non eſt lex propriè dicta. ibid.
Nec ſemper obligat ad faciendum actum circa quem verſatur. 238. 310
Lex æterna poteſt cōſiderari tripliciter. 434
Et quid illa ſit ſub ſingulis conſiderationibus. ibid.
Lex æterna eſt prima regula actuum humanorum. 238
Quâ ratione actus humanus debeat eſſe conformis legi æternæ. ibid.
Lex æternâ, per quæ nobis innoteſcat. ibid.
Sublatâ lege æterna, tollitur omnis bonitas & malitia actuum humanorum. ibid.
Recta ratio eſt participatio quædam, & imago legis æternæ. 239

LEX NATURALIS.

Quid lex naturalis? 458
Lex naturæ prout eſt in rebus non eſt, niſi convenientia aut diſconvenientia illarum ad rectam rationem. ibid.
Lex naturalis eſt ipſa lex æterna ut eſt in ſubditis. 434
Lex naturalis ut eſt in nobis, eſt habitus. 438
In quo differat à Syndereſi, & conſcientia. ibid.
Actus omnium virtutum ſunt materia legis naturæ. 439
An actus ſupernaturales cadant ſub lege naturali. ibid.
An omnia præcepta ſint de jure naturæ. 440
Lex naturalis una eſt apud omnes gentes. ibi.
Obligatio cujuſvis legis eſt effectus legis naturæ. 441
Lex naturalis non poteſt mutari. 442
Objectiones in contrarium ſolvuntur. 443.
Id quod eſt materia legis naturæ poteſt deſinere eſſe talis ſine mutatione illius legis. 443
In legem naturæ non cadit diſpenſatio. 444
Quidquid lege naturæ prohibetur eſt intrinſecè malum, & quidquid præcipitur eſt intrinſecè bonum. ibid.
Quædam præcepta juris naturæ præſupponunt humanum conſenſum. 445
In illis poteſt homo impropriè diſpenſare. ibid.
An in legem naturæ cadat Epykia. 447

LEX POSITIVA DIVINA.

Quid ſit? 449.
Dividitur in legem veterem, & Novam. ibid.
Lex vetus quid ſit. ibid.
Lex vetus fuit bona. 450
Non erat ſufficiens ad obtinendam beatitudinem. ibid.
Lex data eſt ut gratia quæreretur. ibid.
In lege veteri per quid homines juſtificabantur. ibid.
Lex vetus ad quæ erat utilis. ibid.
Lex vetus obligabat ſolos Judæos. 451
Lex vetus continebat aliqua præcepta ſupernaturalia. 452
Lex vetus continebat præcepta affirmativa. 248. 460
Negativa. 365. ibid.
Lex vetus fuit abrogata in morte Chriſti. 453
Lex vetus an ſtatim poſt mortem Chriſti fuerit facta mortifera. 454
Lex vetus quare poſt promulgationem Evangelii fuerit mortifera. 455

LEX NOVA.

Quid ſit? 456
Lex nova principaliter conſiſtit in gratia. ibid.
Quicumque à lapſu Adami juſti fuerunt, eatenus ad legem novam pertinuerunt. ibid.
Lex Evangelica obligat omnes homines. 457
Quibus Chriſti fides annuntiata erat ſufficienter, obligabantur expreſsè in illum credere, etiam ante paſſionem 457

Digitized by Google

Fides explicita in Chriſtum non fuit neſſaria neceſſitate medii ante ejus paſſionem. 458
Lex nova quoad præcepta Sacramentalia cœpit obligare poſt promulgationem factam in pentecoſte. ibid.
Non tamen ſtatim omnes obligavit; ſed paulatim uſque ad ſufficientem promulgationem. ibid.
Lex nova duratura eſt uſque ad finem mundi. 459
Quæ ſit differentia inter legem novam, & veterem. ibid.
Lex nova eſt lex amoris, lex vetus, lex timoris. ibid.
Præcepta novæ legis ſunt triplicia, moralia, Sacramentalia, & fidei. 457
Status novæ legis quoad obſervantiam uno tempore eſt perfectior quam alio tempore. 459
Lex nova an ſpecie differat à veteri. ibid.
Lex nova habet vim ſanctificandi. ibid.

LEX HUMANA.

Quid lex humana. 460
Ad quid lex humana eſt neceſſaria. ibid.
Lex humana alia Eccleſiaſtica, alia civilis. 461
In quo illæ duæ inter ſe differant. ibid.
Utraque obligat in conſcientia. 463. 466
Lex humana unde habeat vim obligandi. 463
Lex humana ſe extendit ad ea quæ non ſunt jure divino aut naturali præcepta. 463. 464
Objectiones contra authoritatem legum humanarum ſolvuntur. 464
An leges humanæ obligare poſſint ſub peccato mortali. 466
Unde diſcerni poſſet an lex aliqua humana obliget ſub mortali, an ſub veniali. 467. 469
Legiſlator non poteſt in materia levi obligare ſub mortali. 469
Poteſt tamen in materia gravi obligare tantùm ſub veniali. 468
Leges civiles non obligant directè Clericos. 481
Legiſlator non ſubjicitur legi ſuæ quoad vim coactivam, ſed bene quoad directivam. 482
Legiſlator non obſervans legem ſuam qualiter peccet. ibid.
Lex pœnalis quid ſit. ibid.
Alia eſt pure pœnalis, alia mixta. ibid.
Lex pœnalis mixta obligat ad culpam, & ad pœnam. 483
Lex pœnalis purè etiam obligat ad culpam. ibid.
Non datur lex propriè dicta quin obliget ad culpam. ibid.
Lex purè pœnalis implicitè jubet aut prohibet. ibid.
Lex quæ ſolum obligat ad pœnam eſt impropriè dicta lex. ibid.
Unde dignoſci poterit an lex ſit purè, an mixtè pœnalis. 484
Dum legi adjicitur pœna gravior, ſignum eſt illam obligare ad culpam. ibid.
Dum dubitatur an legiſlator voluerit obligare ad culpam nec ne, præſumitur tantum obligare ad pœnam. ibid.
Lex de tributis & gabellis ſolvendis obligat in conſcientia. ibid. & 485
Ex quibus colligatur quod lex contineat pœnam ferendæ vel latæ ſententiæ. 485
Tranſgreſſor legis pœnalis, & quando teneatur ſubire pœnam ante ſententiam judicis. 486
Lex odioſa eſt reſtingenda, favorabilis amplianda. 489
An finis legis cadat ſub lege. 491
An ad implendam legem requiratur intentio illam implendi? 492
An ad impletionem legis requiratur intentio faciendi opus præceptum. 491
An qui facit opus cum intentione expreſſa nolendi implere legem, an legi ſatisfaciat. 492
Una actione poteſt ſatisfieri duabus legibus. ibid.
Satisfieri poteſt legi humanæ per actum malum. 493
In lege humana quis poſſit diſpenſare. 494
Lex humana quomodo poſſit per conſuetudinem abrogari. 503
Conditiones ad hoc requiſitæ. ibid.
Lex an obrogari poſſit per non uſum. 505

Digitized by Google

Lex Pontificia univerſalis non abrogat particulares conſuetudines, niſi de illis ſaltem in genere faciat mentione n. 506
Lex Epiſcopalis tollit privata ſtatuta contraria. ibid.
Cur potius quam Pontificia. ibid.
Quid ſit legem affirmativam obligare ad ſemper, ſed non pro ſemper. 321
Lex humana quandò obliget cum vitæ periculo, regulæ duæ. 107
Lex humana an poſſit præcipere actus internos. 429

LIBERTAS.

Libertas eſt triplex, à peccato, à miſeria, à naturali neceſſitate. 78
Quid libertas eſſentialis, & in quo conſiſtat. ibid.
Quid libertas à neceſſitate. 81
Præter libertatem eſſentialem, ad merendum & demerendum, in homine viatore neceſſaria eſt libertas à neceſſitate. 79. 80
Potentia peccandi non eſt pars libertatis ſed ejus defectus. 80. 87
Libertas voluntatis radicaliter dependet ab indifferentia intellectus. 81
In quo conſiſtat illa indifferentia. ibid.
Libertas arbitrii in hominibus lapſis minor eſt quam in homine integro. 81. 412
Liberum arbitrium duplex, actu, & potentia; utriuſque definitio. 82
Illa definitio intelligenda eſt in ſenſu diviſo. 83.
Nec inde ſequitur reperiri in brutis libertatem. 86
Ad libertatem arbitrii non requiritur potentia proxima ad agendum & non agendum. 85. 531
In quo ſenſu damnata ſit illa propoſitio, *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, libere tamen fit.* 36
Item hæc, *ſola violentia repugnat hominis liberati natural.* ibid.
Libertas in voluntate conſiſtit cum judicio ultimò practico ex parte intellectus requiſito ad agendum. 89
Libertas qualiter in Deo reperiatur. 87
Liberum arbitrium per peccatum originale debilitatum. 412
Libertas Chriſtiana in quo potiſſimum conſiſtat. 465
Libertinorum vox ex ſcriptura. 44
Libertinorum falſa ſecuritas. ibid.

LIBIDO.

Libido triplex, ſentiendi, ſciendi, excellendi. 110

LUXURIA.

Luxuria quid. 338
Eſt peccatum ex genere ſuo mortale. ibid.
Jure naturæ vetitum. ibid.
Ejuſdem variæ ſpecies recenſentur. ibid.

M

Macula peccati quid ſit. 312
In quo conſiſtat. 313
Suſcipit magis & minus. ibid.
Eſt duplex. ibid.
Quomodo differat ab injuria, & offenſa. 314
Malitia actus humani in quo cōſiſtat. 261. 310
Ut malitia actus imputetur, non debet eſſe directè voluntaria. 67
Vide Bonitas & Moralitas.
Malitia impiorum utitur Deus in hac vita ad punienda peccata juſtorum. 49. & 50
Matrimonium cum conſanguinea in ſecundo gradu metu mortis contrahere licitum eſt. 106
Non tamen ob talem metum licitum eſſet illud conſummare. ibid.
Epiſcopus in quibus caſibus valeat diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium. 495
Mandatum exſpirat morte mandantis dum res eſt adhuc integra. 508

MELANCHOLIA.

Melancholia dæmonis typographia dicta. 198
Ex humoris melancholici ſuperfluitate miros effectus naturaliter cauſari. 199

MEDICUS.

Medicus an poſſit adhibere medicamenta probabilia, quando adſunt certa vel probabiliora. 276

Digitized by Google

An præbere liceat medico ægroto pharmacum ad ejus virtutem experiendum. 277

METUS.

Quid ſit, & quotuplex. 96
Metus alius eſt ab intrinſeco alius ab extrinſeco. ibid.
Item, alius gravis, alius levis. 102
Metus reverentialis cenſetur gravis. ibid.
Metus levis reſpectu unius poteſt eſſe gravis reſpectu alterius. ibid.
Metus cauſat voluntarium abſolutè & involuntarium ſecundum quid. 96
Quod ex puro metu fit, ſemper eſt involuntarium ſecundùm quid. 97
Metus gehennæ ſecundum ſe eſt bonus & ſalutaris. 103
Metus mali oritur ex amore boni oppoſiti. 104
Metus pœnarum alius impellens, alius retrahens. 103
Metus gehennæ de ſe non eſt efficax ut moveat voluntatem ad fugiendum omne peccatum. 103
Nec ſolus excludit voluntatem peccandi. 100. 103
Contractus metu initi ſunt validi. 108
Qualiter illi poſſint reſcindi. 109

MERITUM.

Meritum quid ſit. 598
Meritum dicitur tale reſpectu mercedis. ibid.
Quid merces. ibid.
An homo poſſit per opera ſua mereri apud Deum. ibid.
Reſponſio affirmativa certa de fide. ibid.
Reſponſiones ad objecta hæreticorum in contrarium. ibid. 599
Merita hominis non præjudicant Chriſti meritis. ibid.
Deus quomodo poſſit ex juſtitia obligari ad aliquid præſtandum creaturæ. ibid.
Meritum eſt triplex: rigoroſum, de condigno, & de congruo. 600
Non poteſt homo purus apud Deum mereri merito rigoroſo. ibid.
Poteſt tamen mereri merito de condigno. ibid.
Quodnam ſit diſcrimen inter meritum rigoroſum, & meritum de condigno. 600. 601
Quæ conditiones ſint requiſitæ ad opus meritorium de condigno. 634
An Sancti pro nobis orando in cœlo mereantur. 601
An animæ in Purgatorio adhuc poſſint mereri. 603
An, & quomodo Chriſtus per mortem ſuam meruerit. 603
Ad merendum requiritur libertas. ibid.
Non ſufficit libertas à coactione, ſed inſuper neceſſaria eſt libertas à neceſſitate. ibid.
An requiratur libertas contrarietatis. ibid.
Quomodo Chriſtus implendo voluntatem Patris liberè meruerit. ibid.
Opera, alias præcepta, poſſunt eſſe meritoria. 604
Ut opus ſit meritorium ex condigno debet fieri ab exiſtente in ſtatu gratiæ. ibid.
An gratia ſanctificans influat efficienter in opus meritorium. 605
Ut opus hominis puri poſſit eſſe meritorium de condigno requiritur ex parte Dei promiſſio, quâ ſe obligaverit homini pro tali opere dare mercedem. ibid.
An homo poſſit mereri per opera moraliter tantùm bona, 606
Ut opus ſit meritorium debet eſſe à charitate elicitum, vel imperatum. 607
Debet ſaltem virtualiter in Deum tamquam in finem ultimum eſſe relatum. ibid.
An operari propter mercedem vitæ æternæ, ibi ſiſtendo, ſit meritorium. 608
Opus bonum non tantùm habet rationem meriti à fine propter quem fit, ſed etiam à proprio objecto. ibid.
Ex quibus ratio meriti in aliquo opere accreſcat. 609
Homo meretur per actus remiſſiores habitu gratiæ à qua procedunt. ibid.
An homo per omiſſionem puram poſſit mereri. ibid.
Non poteſt ſibi homo de condigno mereri primam gratiam. ibid.
Poteſt de congruo mereri primam gratiam

tiam habitualem, ſed non actualem. 609. 610
An unus poſſit alteri de condigno mereri primam gratiam, 610
Solus Chriſtus potuit de condigno aliis mereri. ibid.
An homo, dum eſt juſtus, poſſit ſibi mereri donum pœnitentiæ in caſum quo peccet. ibid.
An homo juſtus poſſit ſibi mereri perſeverantiam. 611
Cur minus illam poſſit mereri quam vitam æternam. ibid.
Qua ratione homo poſſit bona temporalia de condigno mereri. 612
An gentiles per opera moraliter bona apud Deum ſaltem de congruo meruerint temporalia bona. ibid.

MORALITAS ACTUS.

AN homo ſine gratia poſſit facere opera moraliter tantum bona. 541
Morale eſſe actus humani unde deſumatur. 212
Ad moralitatem actus duo requiruntur, ut liberè procedat, & reſpiciat objectum ut conforme vel difforme rectæ rationi. ibid.
Libertas eſt de eſſentia actus moralis. Ibid.
Moralitas actus dividitur in bonitatem, & malitiam tamquam in ſuas ſpecies. 213
Actiones divinæ non ſunt propriè morales. ibid.
Vide v. actio humanus v. bonitas.

MODUS PRÆCEPTI.

MOdus præcepti an cadat ſub præcepto. 491

MONSTRUM.

MOnſtrum habens caput humanum eſt Baptizandum. 408

MOTIVUM VOLUNTATIS.

QUodnam ſit motivum voluntatis. 154
Movetur voluntas ab intellectu, quoad ſpecificationem, non verò quoad exercitium actus. ibid.
Quid ſit movere quoad ſpecificationem: item quoad exercitium actus. ibid.

MOTUS

QUinam dicantur motus primò primi. 343. 346
Motus primò primi non ſunt peccata. 343
Motus concupiſcentiæ prævenientes rationem non ſunt peccata. ibid.
Motus pravi concupiſcentiæ ex quibus cauſis oriantur. 195.
Qualiter illis ſit reſiſtendum. 196

N

NATURA HUMANA.

NAtura humana tota fuit in Adamo peccante. 394
Erat in illo, non tantum ſicut in principio naturali, ſed etiam morali. 398.
Natura humana per peccatum Adami non tantum eſt ſpoliata gratuitis, ſed etiam vulnerata in naturalibus. 412. 537
Quæ ſint illa vulnera inflicta naturæ per peccatum. 412

NECESSITAS.

NEceſſitas eſt triplex, peccati, miſeriæ, & à coactione. 79
Quid libertas à neceſſitate. 81
Actiones quæ ex neceſſitate fiunt an ſint liberæ & meritoriæ. 791. 80. 86
Gratia efficax non infert agendi neceſſitatem. 561

O

OBDURATIO.

OBduratio in peccato quid. 365
Eſt peccatum, & pœna peccati. ibid.
Deus non eſt cauſa directa obdurationis. ibid.
Quo ſenſu Deus in Scripturis dicatur obdurare cor alicujus. 366
Deus hominem indurat, non tribuendo cordis duritiam, ſed ei non largiendo gratiam. ibid.

OBJECTUM.

OBjectum dat ſpeciem actui. 216. 217
Tam interno, quam externo. ibid.
Quo ſenſu hoc intelligatur. ibid.
Quid nomine objecti in actibus exterioribus intelligatur. ibid.

Quò

Digitized by Google

Quò objectum eſt melius, eò cæteris paribus melior eſt circa illud actio. 218
Bonitas ab objecto deſumpta eſt actui eſſentialis. 219
Qui habet voluntatem tantum merendi quantum S. Petrus, an hoc ipſo tantum mereretur? 230
Objectum aliud eſt materiale, aliud formale 147
Obligatur quilibet ſcire illaquæ ad ſuum ſtatum pertinent: & quæ præter ea? 116.122

OBSESSUS

OBſideri aliquando homines à dæmone eſt de fide. 198
Obſeſſus quando quis cenſeatur. 200
Non eſt temerè judicandum eſſe aliquem à dæmone obſeſſum. 201. 202
Signa ex quibus poſſit hoc colligi. ibid.
Obſeſſi peccare poſſunt. 209
Non tamen omnes actiones malæ, quæ in iis fiunt, ipſis imputandæ ſunt. ibid.
Quomodo agendum cum illis qui dubiè tantum videntur obſeſſi. 207
Quibus mediis pellantur dæmones ex corporibus obſeſſorum. 209
Quæ ſint ſigna obſeſſum eſſe liberatum. ibid

OBSTETRICES.

OBſtetrices Ægypti quare à Deo remuneratæ. 544

OCCASIO.

OCcaſio peccandi quæ cenſeatur. 379
Quid occaſio proxima. quid remota. ibid.
Occaſio proxima alia eſt proxima per ſe, alia per accidens: & quid utraque. ibid.
Nullus exiſtens in occaſione proxima peccandi, per ſe debet abſolvi, niſi illam actu deſerat. 380
Tenetur deſerere occaſionem proximam per ſe, etiam cum jactura famæ, & rerum temporalium. 382

OMISSIO.

OMiſſio, ut ſit voluntaria, quæ requirantur. 77
Effectus ſecutus ex omiſſione, quandonam cenſeatur voluntarius? ibid.
An detur omiſſio voluntaria ſine omni actu. ibid. & 322
Omiſſio aliqua poteſt eſſe tripliciter voluntaria. 76
Ut omiſſio ſit voluntaria non requiritur, ut id quod omittitur, ſit in præcepto. 77
Omiſſio ſacri homini incarcerato, aut ægroto an ſit voluntaria. 76
Omiſſio pura an poſſit eſſe meritoria. 609
Vide peccatum omiſſionis.

OPUS.

OPerationes animæ rationalis tantum per accidens dependent à corpore. 46
Opus moraliter tantum bonum quodnam dicatur. 541
An homo poſſit facere aliquid opus moraliter tantum bonum. 545
An homo poſſit à Deo aliquid mereri per opera tantum moraliter bona. 544

ORATIO.

AD orandum in homine requiritur particularis gratia. 557
Homo non ſemper habet illam gratiam actualem neceſſariam ad orandum. ibid.
Stultè quis ab altero quid petit, quod ipſe in ſua habet poteſtate. 543. 561
Oratio unius pro altero quomodo ſit apud Deum meritoria. 610

OPINIO.

OPinio probabilis quid? 260. 264
Unde oriatur probabilitas opinionis. 260
Probabilitas alia ab intrinſeco, alia ab extrinſeco venit. ibid.
In quo differant ſcientia, fides, & opinio. 261
Quid opinio ſpeculativè vera? ibid.
Quid opinio practicè vera. ibid.
Opinio probabilis non poteſt eſſe regula directiva actionum humanarum. 262
Non eſt verum, quod *quidquid eſt ſpeculativè, hoc ſit practicè certum*, 263
Perverſa doctrina, eſt quæ docet, ſemper licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem. ibid.
Qui ſequitur in praxi ſententiam merè probabilem exponit ſe periculo peccandi. 245
Ad hoc ut opinio aliqua ſiat abſolutè probabilis, non ſufficit authoritas unius Doctoris. 265

Digitized by Google

Multò minus ut fiat, per ſe loquendo tuta in praxi. ibid.
Poteſt tamen ordinariè parochianus tutò ſequi ſententiam ſui Paſtoris, & pœnitens ſui Confeſſarii. 266
Non tamen ſemper. 269. 267
Opinio tutior quæ cenſeatur. 275
Opinio probabilior non ſemper eſt tutior. 269
Non eſt licitum per ſe ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori. ibid.
Rationes quæ hoc clarè probant. 269. 270. 271
Objectiones in contrarium ſolvuntur. 273. & ſequent.
Quandoque tamen poteſt, & tenetur quis ſequi ſententiam minus probabilem relicta probabiliori. 274
In adminiſtratione Sacramentorum tenemur opinionem probabiliorem & magis tutam ſequi. 275
Aliquando tamen, etiam hic, licet ſequi minus probabilem. ibid.
Judex, Medicus, & quilibet in ſua functione tenetur in dubio ſequi ſententiam probabiliorem & tutiorem. 277
Quando utraque pars contradictionis manet æque probabilis, ſtante illa æqualitate, neutram poſſumus amplecti. 279
Modus formandi judicium practicum certum, dum ſpeculativum manet probabile. 264. 283
Opinionum probabilium in moralem invectio, eſt Religionis Chriſtianæ ſubverſio. 259
Authoris pathetica expoſtulatio contra exorbitantes opinionum probabilitates. ibid.
Item Cardinalis Bellarmini. 281
Et Reverendiſſimi Epiſcopi Gandenſis, de quæſtuoſarum probabiltatum abuſu, querela. 265
Opinio benignior quandonam debeat præferri ſeveriori. 273
Quandonam poſſit quis tutò ſequi ſententiam quam in aliquo authore legit tamquam probabilem & tutam. 277
Opinionum probabilium monſtra. 265

P

PAROCHUS, PAROCHIANUS.

Parochus ob crimen occultum ipſo facto privatus paſtoratu, an validè abſolvat uſque ad ſententiam judicis. 487
Parochianus rudis ſequens conſilium ſui Paſtoris ordinarie prudenter agit. 266
Non tamen ſemper. 267

PASSIONES ANIMÆ.

Quid Paſſio animæ. Et quæ ejus natura. 53
Paſſiones animæ quomodo oriantur, ibid.
Paſſiones animæ ſunt inſtrumenta virtutum & vitiorum. 52
Paſſiones animæ ſunt undecim. 54
Ratio illius numeri. ibid.
Sex illarum ſubjectantur in appetitu concupiſcibili: quinque in iraſcibili. ibid.
Paſſiones non in ſolo appetitu reperiuntur, ſed etiam in voluntate. 56
Quod ſit diſcrimen inter affectus voluntatis, & appetitus ſenſitivi. 57
Paſſiones voluntatis ſunt etiam undecim numero. 55
Diſtinguntur tamen ab illis objecto. ibid.
Sub hiſce undecim Paſſionibus comprehenduntur omnes voluntatis affectus. 56
Paſſionum ſingularum definitiones. 57
Quænam ſint cauſæ Paſſionum animæ 59
Amor eſt cauſa omnium paſſionum. ibid.
Paſſionum mortificatio unicè neceſſaria. 52

PECCARE, PECCATUM.

Quid ſit peccatum? 309
In omni peccato reperitur materiale, & formale. 310
In quo conſiſtat formale peccati. ibid.
Quænam præcisè requirantur ad formale peccati. 311
Omne peccatum eſt contra legem divinam. 329
Etiam peccatum veniale. 310
Omnis peccans quo ſenſu dicatur errans, & ignorans. 311

PECCATORUM DISTINCTIO.

Peccata unde ſpecie diſtinguantur. 326

Peccata proximè ſpecificantur à perfectione, quâ privant. ibid.

Non præciſè diſtinguuntur quia opponuntur diverſis virtutibus. ibid.

Neque ideo quia opponuntur diverſis ſpeciepræceptis. 327

Peccans contra diverſa præcepta an committat tot peccata, quot ſunt præcepta. 327

Peccatorum plures ſunt ſpecies, quam virtutum. 328

Peccatorum numerica diſtinctio ex duobus ſumitur. ibid.

Ex morali interruptione actuum, & numericâ diſtinctione objectorum. ibid.

Multiplicatâ voluntate an multiplicentur peccata interna, & externa. ibid.

Peccata interna facilius multiplicantur numero quam externa. 329.

Ut peccatum externum multiplicetur numero requiritur voluntas contraria intermedia. 328. 329

Ut peccatum internum multiplicetur ſufficit ceſſatio voluntatis intermedia. 329

Quot modis interrumpantur peccata interna. ibid.

Actus cenſetur interruptus quando nec formaliter, nec virtualiter amplius perſeverat. 328

PECCATUM HABITUALE.

Quid ſit? 311

Peccatum habituale mortale poteſt dici conſiſtere in privatione gratiæ juſtificantis. 312

Quid ſit peccati macula. ibid.

Eſt duplex. 313

Suſcipit magis & minus. ibid.

In quo conſiſtat peccati macula. ibid.

PECCATUM MORTALE, ET VENIALE.

Quid peccatum mortale, item veniale. 314

In quo conſiſtat formaliter peccatum mortale. ibid.

In omni peccato mortali duplex reperitur malitia. 315

Ad hoc ut peccet quis mortaliter non debet intendere, imo nec advertere malitiam ſui actus. 67

Peccatum mortale & veniale inter ſe differunt eſſentialiter. 315

Quid ſit peccatum eſſe ex genere ſuo mortale aut veniale. ibid.

Ex quibus ſignis cognoſcatur veniale ex genere à mortali ex genere. 316

Peccatum veniale quotuplex. ibid.

Unde cognoſcatur peccatum eſſe veniale ob parvitatem materiæ. 317

Peccatum ex genere ſuo mortale poteſt duobus modis eſſe tantum veniale. ibid.

An in omni materia detur veniale ratione parvitatis materiæ? ibid.

An de eo certa poſſit dari regula ibid.

Peccatum ex genere ſuo veniale, poteſt ſex modis fieri mortale. ibid.

Qui nullum peccatum veniale vult vitare hoc ipſo peccat mortaliter: & quare. 320

Qui in die jejunii ſæpius exiguum quid comedit, an, & quandò peccet mortaliter. ibid.

Multa venialia non poſſunt conſtituere unum mortale. ibid.

Venialia diſponunt ad mortale. Ibid.

Idem actus an poſſit eſſe ſucceſſivè veniale & mortale. 321

PECCATUM COMISSIONIS.

Peccatum commiſſionis & omiſſionis quid. 321

Non neceſſariò differunt inter ſe ſpecie morali. 322

Peccatum commiſſionis ex ſe gravius eſt peccato omiſſionis. ibid.

Dari poteſt peccatum omiſſionis ſine ullo actu. ibid.

Quis actus externus ſit cauſa omiſſionis externæ. 323

An ille actus ſit peccatum diſtinctum ab omiſſione. 324

Quandonam incurratur malitia peccati omiſſionis. ibid.

Quo-

Digitized by Google

Quo tempore contingat peccatum externum omiſſionis. ibid.
Unde deſumenda ſit gravitas omiſſionis 325
Duæ regulæ notandæ in materia peccati omiſſionis. ibid.

PECCATA EX MALITIA.

Quid peccatum ex malitia. 335
Peccans ex habitu peccat ex malitia. ibid.
Ut quis peccet ex malitia non eſt neceſſe ut intendat malitiam actus. ibid.
Nec neceſſe eſt ut illam advertat. ibid.
Peccata in Spiritum Sanctum quæ dicantur. ibid.
Quot ſint. ibid.
Quare dicantur irremiſſibilia. ibid.
Peccata in cœlum clamantia, quæ, & quot. 338
Quæ, & quot ſint peccata capitalia. ibid.
Quæ peccata dicantur aliena. 339
Varii modi quibus illa perpetrantur. ibid.
Peccati gravitas deſumitur ab objecto. 340
A fine pejore qui intenditur. 341
A digniori virtute cui opponitur. 340
A dignitate perſonæ in quam peccatur. 341
A conditione perſonæ quæ peccat. ibid.
Si quis uno ictu occidat ſex homines, tot numero peccata committit in confeſſione exprimenda. 330
Si quis integrum ovium gregem furetur, an tot peccata committat quot ſunt oves? ibid.
Peccata non omnia ſunt paria. 341
Nec omnia inter ſe connexa. 342

PECCATORUM CAUSÆ.

Peccatum materialiter conſideratum habet cauſam efficientem. 352
Voluntas eſt cauſa efficiens materialis actus peccaminoſi. ibid.
Eſt cauſa formalis peccati per accidens, deficiens ſcilicet. 353
In peccato non eſt poſitiva tendentia in objectum ut malum. ibid.
An omne peccatum debeat præcedere error intellectus. ibid.
Quo ſenſu dicatur omnis peccans ignorans. ibid.
Unde habeat voluntas quod poſſit peccare. ibid.
Potentia peccandi an ſit à Deo. 354
Nulla creatura eſt naturaliter impeccabilis. ib
Peccatum unum quomodo dicatur alterius peccati cauſa. ibid.
Peccatum unum eſt diverſimodè alterius peccati cauſa. ibid.
Peccatum quomodo, & quo ordine ſoleat in homine generari. 355
Amor ſui eſt principium omnis peccati. ibid.
An Deus ſit peccatorum cauſa, Vide Deus.

PECCATUM ORIGINALE.

Varii diverſorum errores circa peccatum originale. 391
Peccatum Adami originaliter tranſit in poſteros. ibid.
Non quoad effectus tantum ſed etiam quoad culpam. ibid.
Originale peccatum licet formaliter ſit unum, eſt tamen virtute multiplex. 392
Ut peccatum Adami propagetur non eſt neceſſe animam eſſe ex traduce. 394. 395
Omnes in Adam fuerunt quando ipſe peccavit. 394
Quid ſit animam eſſe ex traduce 395
Adæ remiſſum fuit peccatum antequam proles genuerit 394
Quare per pœnitentiam non tam bene profuerit generi humano, quam obfuit per prævaricationem. 395.
Peccatum originale formaliter conſiſtit in privatione juſtitiæ originalis. ibid.
Deus non eſt cauſa peccati originalis. ibid.
Peccatum originale quomodo parvulis ſit voluntarium. ibid.
Peccatum originale non eſt actuale peccatum Adami, niſi cauſaliter. 396
Peccatum originale ineſt unicuique non renato proprium. ibid.
Peccator denominatur quis, & ab actu qui tranſiit, & ab habituali averſione quæ remanet. ibid.
Peccatum originale, ut eſt in nobis, dicit reſpectum ad voluntatem primi parentis nobis communem, tranſgredientem mandatum. ibid.

An

An actualis tranſgreſſio facta ab Adamo poſſit dici poſteris intrinſecè volita. 397
Adam conſtitutus erat caput omnium etiam quoad eſſe morale. ibid.
In quo ſita erat ratio illa capitis quoad eſſe morale. 397. 398
Ut peccatum originale imputaretur poſteris, non fuit neceſſarium pactum inter Deum & Adamum. 398
Non tamen ſufficiebat ut tota natura contineretur in Adamo tamquam capite naturali. 399
Præceptum de non comedendo ex ligno vetito, erat datum Adæ ut capiti totius generis humani. 297.
Non competiit Adæ eſſe caput morale generis humani quoad omnes ſuos actus. 398
Primum Adæ peccatum includebat diverſas malitias. 399
Adam per quodcumque peccatum ſibi, & poſteris amiſiſſet juſtitiam originalem. 400
Peccatum originale quid formaliter ſit. 400. 402
Non eſt ſubſtantia, neque poſitiva aliqua qualitas. 400
Peccatum originale an non poſſet dici eſſe ipſa concupiſcentia. 401
Peccatum originale, quomodo traducatur in poſteros difficilimum explicatu 404
Non tranſfunditur per hoc quod anima fit ex traduce. ibid.
Nec per morbidam aliquam qualitatem inſpiratam ab afflatu ſerpentis ibid.
Sed per hoc quod anima corpori per ſeminalem rationem ab Adam deſcendenti infuſa, conſtituat hominem filium Adami. 405
Ad contrahendum peccatum originale neceſſaria eſt actualis generatio. ibid.
Omnes deſcendentes ab Adam ſecundum ſeminalem rationem contrahunt debitum peccati originalis. 407
Certum eſt de fide Chriſtum D. nec contraxiſſe illud debitum, nec in peccato fuiſſe ceptum. ibid.
B. Virgo peccavit in Adam. ibid.
Non tamen de facto contraxit peccatum originale. 407
Si quis, ut Eva, formaretur ex homine, non contraheret peccatum originale. 408
Peccatum originale eſt in omnibus æquale. 410
Parvuli cum ſolo originali morientes puniuntur pœnâ damni, & etiam pœnâ ſenſus. ibid.
Per peccatum originale natura humana eſt in deterius mutata. 412
In quo conſiſtat illa naturæ corruptio. ibid.
Quæ, & quot ſint naturæ vulnera. 412. 437
Originale poteſt eſſe in aliquo cum ſolo veniali. 414

POENA.

Pœna quid? 415
Qua ratione debeat eſſe involũtaria. ib.
Quid reatus pœnæ. 415
An fuerit in Chriſto. ibid.
An diſtinguatur à pœna, & culpa. ibid.
An peccatum poſſit eſſe pœna, peccati; & quo ſenſu. ibid.
Pœna ęterna peccatis mortalibus ſtatuta. 416
Pœna damni, & pœna ſenſus quid. 416
Non eſt contra juſtitiam quod peccatum puniatur pœnâ æternâ. ibid.
Pœna debet proportionari gravitati culpæ. 417.
Omnis pœna ſimpliciter dicta eſt propter culpam. 418
Non ſic pœna medicinalis. 208. 418
Pœna triplex, ſatisfactoria, medicinalis, & ſimpliciter dicta. 418
Omnes pœnalitates ſunt effectus peccati originalis. ibid.
Quomodo poſſit unus puniri pro peccato alterius. ibid.
Pœnæ ſpirituales quæ dicantur. 419
Non poſſunt eſſe medicinales. ibid.
Nemo privatur bonis ſpiritualibus propter peccatum merè alienum. ibid.
Pœna addita legi non tollit ejus obligationem ad culpam. 483
Pœnæ gravioris adjectio indicat legem obligare ad mortale. 484
Pœna in lege adjecta, an ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ unde colligatur. 485.
Vide lex pœnalis.

POENITENTIA.

Poenitentia, ut ſit vera, debet eſſe efficax. 368

Pœnitentiam veram non faciunt niſi amor Dei, & odium peccati. 101

PENETRATIO.

Poſſunt duo corpora virtute divinâ ſeſe penetrare. 39

Non poterit corpus glorioſum unius beati penetrare corpus alterius ipſo invito. ibid.

PERPLEXUS.

Perplexus abſolute an quis eſſe poſſit. 257. 258

PEREGRINI.

Peregrini an obligentur legibus particularibus locorum ad quæ divertunt. 431

An peregrini abſentes à ſuo domicilio teneātur an legibus particularibus illius. 432. 433

Peregrinus ut alicubi contrahat domicilium quæ requirantur. 432

Vide lex Domicilium.

PERSEVERANTIA.

Homo, quantumvis juſtus, ad perſeverandum uſque in finem indiget ſpeciali dono gratuito quod faciat ipſum perſeverantem. 554

Illud donum non eſt gratia habitualis. 555. 556

In quo conſiſtat donum perſeverantiæ. 555

Recto ſenſu dicitur quod omnes juſti poſſint perſeverare uſque in finem; ſed nullus perſeverabit niſi præventus illo magno dono perſeverantiæ. ibid.

Donum perſeverantiæ non neceſſariò complectitur ſeriem gratiarum actualium. Licet ordinariè ita fiat. 555. 556

Pueri Baptizati, ante uſum rationis decedentes, habuerunt donum perſeverantiæ. ibid.

Qualiter juſti habeant in ſua poteſtate perſeverare ſi velint. 556

POSSESSIO.

Poſſeſſio in caſu dubio prævalet. 284

Quod etiam ſolet obtinere in foro conſcientiæ. ibid.

In caſu dubii non tantum in materia juſtitiæ, ſed & in materia aliarum virtutum, poſſeſſio eſt juſtus titulus ad formandum judicium practicum certum. 285

Unde dignoſci poſſit pro quo ſtet poſſeſſio. 284

Poſſeſſus vide obſeſſus.

POSSIBILE.

Poſſibile quidnam dicatur. 532. 564

POTENTIA.

Potentiarum animæ triplex genus. 51

Potentia apprehenſiva quid? ibid.

Quomodo dividatur.

Quid potentia appetitiva. ibid.

Quomodo illæ moveant, & moveantur à voluntate vide v. voluntas.

Nullus actus unius potentiæ eſt cauſa efficiens actus alterius potentiæ. 154

PRÆDEFINITIO.

Quid prædefinitio. 165

Deus prædefinit omnes actiones cauſæ ſecundæ etiam liberæ. 93. ibid. 88

PRÆDETERMINATIO.

Quid prædeterminatio. 166

Prædeterminatio prævia ab extrinſeco, non ſemper tollit libertatem. 87

PRÆCEPTUM.

Præceptum, ut dicatur homini poſſibile, non debet ille habere potentiam proximam ad illud implendum. 565

Præcepta Dei ſunt etiam infidelibus abſolutè poſſibilia. ibid.

Ut illa dicantur talibus poſſibilia ſufficit illos eſſe viatores, habere liberum arbitrium, & eſſe in illo ſtatu cui juncta eſt poſſibilitas vitandi ſingula peccata. 565

Præcepta Dei non omnibus hominibus æqualiter poſſibilia. ibid.

Præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper. 321

Præceptum affirmativum obligat ad ſemper, ſed non pro ſemper. ibid.

Datur præceptum affirmativum quod obligat pro omni tempore. 21

Omne præceptum negativum eſt virtualiter affirmativum. 187

Præceptum eſt, & non tantum conſilium, ut homo omnes ſuas actiones referat in Deum. 19

Illud præceptum ſe extendit etiam ad infideles. 21

Non obligat ſub mortali. 21. 416

Præce-

Digitized by Google

Præcepta moralia non omnia eſſe de lege naturæ. 452
Præcepta fidei, ſpei, & Charitatis ſunt moralia. ibid,
Præcepta cæremonialia, & judicialia vide Lex vetus.
Modus præcepti quandonam cadat ſub præcepto, & quando non. 491
Deus ideo præcipit ut excitet deſiderium, & præſtet auxilium. 563

PRIVILEGIUM.

Quid Privilegium? 506
Diſtinguitur à diſpenſatione. ibid.
Privilegium aliud eſt perſonale, aliud reale, aliud mixtum. ibid.
Privilegium perſonale extinguitur cum perſona cui datum eſt. 508
Privilegium in dubio cenſetur reale. ibid.
Privilegium conceſſum perſonæ, in dignitate conſtitutæ, non expreſſo ejus nomine, cenſetur dignitati conceſſum. 507
Si exprimatur perſonæ nomen cenſetur perſonale. ibid.
Privilegium quod conceditur pro foro externo, valet quoque pro foro interno, non contra. ibid.
Privilegiatus an poſſit uti privilegio perſonali extra territorium concedentis. 507
Privilegium habens diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis, non poteſt diſpenſare in gradibus affinitatis. 508
Qui ex privilegio poteſt diſpenſare in tertio gradu conſanguinitatis, poteſt etiam diſpenſare in quarto ejuſdem. ibid.
Privilegium quodnam vocetur odioſum. ib.
Privilegium favorabile dicitur illud quod in nullius præjudicium conceſſum eſt. ibid.
Privilegia favorabilia ſunt amplianda, odioſa ſunt reſtringenda. ibid.
Privilegium continens gratiam factam non expirat morte concedentis. 508
Privilegium continens gratiam faciendam expirat morte concedentis ſi res ſit adhuc integra. ibid.
Privilegia an amittantur per non uſum. ibid.

PROBABILE.

P Pobabile quid. 260
Probabilitas provenit ultimatè ex ignorantia. ibid.
Probabilitas alia ab intrinſeco, alia ab extrinſeco. ibid.
An prudenter operetur qui ſequitur ſententiam merè probabilem. 263
An prudenter judicetur, quod omne illud, quod eſt ſpeculativè probabile, ſit practicè certum. ibid.
Ad probabilitatem generandam an ſufficiat auctoritas unius Doctoris. 264
Vide Opinio probabilis.
Argumentorum quibus uſus probabilitatum adſtruitur, ſolutio. 271, & ſeq.
Promiſſio gravi metu extorta obligat ſi ſit juramento firmata. 110

PRUDENTIA.

Prudentia eſt notitia practicè certa. 244
Unde prudentia habeat illã certitudinẽ. ib.
Sufficit illi certitudo moralis. 245
Prudentia pro objecto non poteſt habere ſolùm probabile. ibid.

PUERI.

Pueri ante uſum rationis non obligantur ullis legibus. 430
Puerorum actiones an ſint voluntariæ. 68
Pueri quandonam cenſeantur perveniſſe ad uſum rationis. 430
Pueri ante ſeptennium non obligantur legibus Eccleſiæ. 430
Pueri peccando cõtra legem Eccleſiaſt. non incurrunt pœnas eccleſ. ante decenniũ. ib.

Q

QUANTITAS.

Quantitas in objecto quomodo faciat ad bonitatẽ aut malitiã actus humani. 134

CIRCUMSTANTIA QUID.

Circumſtantia *quid*, quid denotet. 138
Quandonam mutet ſpeciem actus, quando non. ibid.
Vide v. Circumſtantia. v. Bonitas.

R

RATIO.

Soli naturæ rationali competit agere propter finem. 11
Ratio eſt regula actuum voluntatis. 235
Ratio eſt duplex practica, & ſpeculativa; & quod, utriuſque officium. ibid.
Ut actus ſit bonus debet eſſe conformis rationi practicæ rectæ, non autem neceſ-

ſariò ſpeculativæ. 245
Quandonam cenſeatur ratio practica eſſe recta. 235. 250
Rectitudo rationis in quo conſiſtat. 236
Ex quibus ſignis rectitudo rationis nobis innoteſcat. ibid.
Ratio practica, per ſe loquendo, debet eſſe conformis rationi ſpeculativæ. 245
Ratihabitio de futura quandonam in præſenti operetur. 75

REATUS.

REatus culpæ. Vide Peccatum.
Reatus pœnæ quid ſit. 415
Reatus diſtinguitur à pœna, & culpa, ibid.
Vide v. Pœna.

REGULA.

REgula actuum humanorum debet eſſe actus prudentiæ. 244
Regulæ Cancellariæ non ſunt leges propriè dictæ. 480
Deſinunt obligare mortuo Pontifice. ibid.

RELATIO.

REIatio actuum humanorum in Deum tamquam in finem ultimum neceſſaria eſt ut bene fiant. 23
Præceptum id jubens, eſt naturale divinũ. 21
Non obligat ſemper ſub mortali. 21. 414
An ut homo cenſeatur omnes ſuas actiones referre in Deum ſufficiat, quod mane formauerit intentionem eas eò referendi. 26

RESISTERE.

PRavis motibus concupiſcentiæ quomodo reſiſtendum. 195
Unde illi motus oriantur. ibid.
Remedia adverſus illos motus. 196

REVOCATIO.

REvocacatio ut ſit valida ordinariè debet intimari mandatario. 476

RESCRIPTA PONTIFICIA.

REſcripta Pontificia vide v. Diſpenſatio.

S

SACRILEGIUM.

SAcrilegiũ ratione loci quot modis fiat. 139

SCANDALUM.

SCandalum formaliter. 135

SCRUPULUS.

SCrupulus quid? 286
Quid Scrupuloſus. ibid.
Scrupulus alius eſt ſpeculativus, alius practicus. ibid.
Scrupulus practicus verſatur circa actionem, vel rem gerendam. 287
Eſtque vel de re præteritâ, vel de futura. ib.
Unde Confeſſarius diſgnoſcet aliquem eſſe ſcrupuloſum? ibid.
Licet agere cum conſcientia ſcrupuloſa ibid.
Imo contra conſcientiam ſcrupuloſam. 287
Conſcientia ſcrupuloſa non eſt propriè dicta conſcientia. 287
Stante ſcrupulo remanere poteſt judicium morale & practicum quò judicatur actio eſſe licita. 288
Quandoque eſt obligatio agendi contra ſcrupulos. ibid.
Duplex modus agendi contra ſcrupulos. ib.
Non licet agere contra ſcrupulum, niſi quãdo ſic agens reputat ut ſcrupulum. ibid.
Scrupuloſus tenetur credere Confeſſario. ib.
Scrupulorum cauſæ. 290
Scrupuloſus timoratus nihil debet reputare peccatum, niſi quod certò ſcit eſſe tale. 289
Regulę quas prudens Confeſſarius tenere debet in directione conſcientiæ ſcrupuloſæ. ibid.

SCIENTIA.

SCire quænam debeant omnes adulti. 115
Scientia legis non pertinet ad gratiam Chriſti. 513
Scientia media non eſt neceſſaria ut Deus prædefinire potuerit actiones liberas hominum. 167

SENSUS.

SEnſus compoſitus, & diviſus quid. 83

SENSUS BEATORUM.

OMnes ſenſus in corporibus beatorum ſuas operationes habituri ſunt. 40
Quales, & quæ futuræ ſint illæ ſenſuum operationes? ibid.

SIMILITUDO.

SImilitudo eſt cauſa amoris. 60

SYNDERESIS.

SYndereſis quid? 240
Syndeſis numquam errat. ibid.
Numquam extinguatur. ibid.
Quomodo diſtinguntur à conſcientia ſtrictè dicta. ibid.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODUS.

Synodus non habet juriſdictionem diſtinctam à juriſdictione Epiſcopi. 491

Synodales conſtitutiones poſſunt mutari & abrogari ab Epiſcopo. ibid.

SPES.

Spes, prout imperatur ab amore concupiſcentiæ, eſt mala 36

Spes Chriſtiana non procedit ab amore cōcupiſcentiæ, ſed ab amore benevolentiæ. ibid.

Spei ſupernaturalis actus an poſſit fieri malus per adjectionem alicujus vitioſæ circumſtantiæ. 138

Ad ſperandum, prout oportet, neceſſaria eſt Dei gratia actualis. 548.

Actus ſpei ſe ſolo non poteſt excludere voluntatem peccandi. 99

Cum actu ſpei poteſt ſtare voluntas peccandi. ibid.

Intentio efficax conſequendi beatitudinem non eſt actus ſolius ſpei, ſed ipſius charitatis. 103

Quare actus ſpei minus poſſit excludere voluntatem peccandi, quam actus charitatis. 103

Spes habitualis eſt virtus Theologica. 308

Non habet rationem virtutis perfectæ niſi in quantum informatur à charitate. ibid.

STATUS NATURÆ.

Status naturæ lapſæ quomodo diſtinguatur à ſtatu naturæ integræ. Vide verb. Peccatum origin. & v. Gratia.

Status naturæ puræ impoſſibilis. 404

STATUTA.

Statuta diverſarum Religionum non obligant niſi ad pœnam. 483

Talia ſtatuta non habent rationem veræ legis. ibid.

Statuta communitatum lata ſub certâ pœna non obligant ad culpam. 484

SUPERNATURALE.

Supernaturalitas actuum unde deſumatur. 215

Quodnam objectum dicatur ſupernaturale in ordine ad actus noſtros. ibid.

Actio ſupernaturalis in ſubſtantia quæ ſit. ibid.

Et quomodo diſtinguatur ab actione ſupernaturali tantùm in modo. ibid.

SUPERBIA.

Quid ſit? 336

Superbia ex genere ſuo eſt peccatum veniale. ibid.

Quænam vitia ex ſuperbia naſcantur. 337

Superbia oculorum quid. ibid.

Superbia vitæ quid. 356

SUBDITUS.

Subditus tenetur obedire ſuperiori jubenti, etſi putet probabiliter id quod præcipitur eſſe illicitum. 254

SUBTILITAS.

Subtilitas, dos corporis glorioſi, quid ſit. 39

T

TACERE.

Quandonam ille qui tacet, cenſeatur conſentire. 75

TENTATIO.

Tentatio quid ſit. 551

Tentationem, ne leviſſimam quidem, poteſt homo ſuperare ſine gratia Chriſti. ibid.

Tentatio omnis comprehenditur in eo quod dicitur, *Ne nos inducas in tentionem*. ibid.

Pagani non veraciter ſuperarunt tentationes: ſed aliis fortioribus ceſſerunt. 552

Tentatio tunc verè ſuperatur, quando homo ex Dei amore illam rejicit. ibid.

Tentatio & vitium non poſſunt vinci ſolo amore virtutis oppoſitæ. ibid.

Quo ſenſu à ſede Apoſtolicâ Damnatus ſit articulus Bay, in quo dicitur, *Hominem ſine Dei auxilio nulla poſſe reſiſtere tentationi*. 553

Ad ſuperandas tentationes non ſufficit gratia habitualis. ibid.

TESTAMENTUM.

Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus à jure requiſitis, eſt nullum. 473

Verus hæres non tenetur in conſcientia ſolvere legata facta in teſtamento minus ſolemni. ibid.

Hæres inſtitutus per teſtamentum minus ſolemne non eſt tutus in conſcientia retinendo hæreditatem invitis hæredibus ab inteſtato. ibid.

Digitized by Google

Ad teſtamētum ad pias cauſas ſufficit ſolemnitas juris gentium, ut ſit validum. ibid.
Nec ad illud in foro conſcientiæ neceſſarii ſunt teſtes. ibid.

TIMOR.

Timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt bonus. 590. 104
Servilitas tamen ejus eſt mala. ibid.
Omne quod fit ex ſolo timore eſt involuntarium ſecundum quid. 96
Vide v. Metus.
Timor, & amor faciunt differentiam inter veterem & novam legem. 105
Timor pœnæ eſt ordinariè primum motivum ad converſionem peccatoris. 590
Timor comparatur ſetæ, & Charitas filo. ib.
Timor filialis quid. 591
Timor ſervilis non manet in charitate, ſed timor filialis. ibid.
Timor gehennæ ex ſe non poteſt excludere voluntatem peccandi 299. 102
Timor gehennæ non eſt ſe ſolo diſpoſitio ſufficiens ad attritionem ſalutarem. 99. 100
Contrarium non eſt fundatum in Concil. Trident. ibid.

TRIBUTUM.

Quid ſit tributum. 484
Aliud eſt perſonale, aliud reale, aliud mixtum. ibid.
Lex de tributis ſolvendis non eſt purè pœnalis. Obligat in conſcientia. 485
Solvenda ſunt tributa etiam ante exactionem niſi conſuetudo in contrarium excuſet. ibid.

TYRANNUS.

Tyrannus aliquis dicitur dupliciter, titulo, & adminiſtratione. 471
Leges latæ à tyranno adminiſtratione tantum, obligant ſi ſint juſtæ. ibid.
Non tenentur ſubditi parere tyranno titulo, niſi quando à Republica eſt tolleratus ibid.

ESSE EX TRADUCE.

Quid ſit animam eſſe ex traduce. 395

V

VAGI.

Vagi obligantur particularibus legibus locorum per quæ tranſeunt. 432
Vagorum matrimoniis non poteſt aſſiſtere Paſtor ſine prævia ordinarii licentia. ibid.

VECTIGALIA.

Vectigalia ſunt in conſcientia ſolvenda. 484
Etiam ante petitionem, niſi obſtet conſuetudo. 485

VENIALE PECCATUM.

Peccatum veniale quid? vide Peccatum.
Unde pronitas relabendi in eadem peccata venialia. 375. 376
An propter frequentem relapſum in eadem venialia non debeat negari abſolutio ab illis. ibid.
Ad venialium remiſſionem qualis diſplicentia de illis requiratur. 374. 375
Quædam venialia magis periculoſa, quam quædam mortalia. ibid.
Venialia quanta cum cura ſint vitanda. 376
Venialia an poſſit reperiri in aliquo cum ſolo originali. 413
An qui peccat venialiter conſtituat finem ſuum ultimum in peccato veniali. 18

VERITAS.

Quotupliciter veritas aliqua dicatur ſupernaturalis. 539
Veritates ſupernaturales an poſſint naturaliter cognoſci. 539. 540

VIOLENTIA.

Quid ſit? 91
Violentia non poteſt inferri voluntati quoad actus elicitos. ibid.
Voluntas poteſt pati violentiam in actibus ſuis imperatis. 193. 94
Quandonam cenſeatur violentia inferri. 95
Violentia cauſat involuntarium abſolutum. 194

VISIO BEATIFICA.

Viſio beatifica eſt actus humanus & liber. 6

VIRTUS.

Virtus generaliter ſumpta quid ſit. 300
Virtus eſt habitus. ibid.
Virtus alia eſt intellectualis alia voluntatis. 301
Virtus moralis quid. ibid.
Quid virtus Cardinalis. ibid.
Virtus alia eſt Philoſoph. alia Chriſtiana. ibid.

Digitized by Google

Virtus Chriſtiana quid ſit. ibid.
Alia eſt perfecta, alia imperfecta. 302
Virtus cauſatur in nobis à Deo ſine nobis, quo ſenſu. ibid.
An omnis virtus Chriſtiana ſit perfecta virtus. ibid.
Non dantur virtutes morales infuſæ. ibid.
Virtus quælibet non eſt niſi ipſa Charitas inadæquatè conſiderata. 303
Charitas quare dicatur forma omnium virtutum. ibid.
Infidelium virtutes nō ſunt ſemper vitia. 304
Virtutis perfectæ ſubjectum eſt ſola voluntas. ibid.
Virtutum ſemina inſunt homini à natura. 305.
Qui habet charitatem eminenter habet omnem virtutem. 303. 306
Virtus non inclinat ad actum malum. 305
Virtutis quænam ſit cauſa efficiens. ibid.
Virtutes morales an ſint inter ſe connexæ. ib.
Virtutes an diſtinguantur à donis Spiritus Sancti. ibid.
Illa dona poſſunt dici eſſe ipſa charitas. 306
Virtutes Theologicæ tres, fides, ſpes, Charitas. 307
Tres illæ virtutes ſunt aliquid habituale in nobis exiſtens. 308

B. VIRGO.

B. Virgo peccavit in Adamo. 467
Habuit debitum contrahendi peccatum originale. ibid.
Non tamen de facto illud contraxit. ibid.

VOLUNTAS.

Voluntas non diſtinguitur realiter ab anima. 156
Voluntatis affectus qualiter diſtinguantur ab affectibus appetitus ſenſitivi. 57
Voluntas à quo moveatur. 153
Movetur ab intellectu quoad ſpecificationem, non autem ſemper quoad exercitium. ibid. & 154
Voluntas qualiter moveatur ab appetitu ſenſitivo. 63. 64
Voluntas movet ſeipſam quoad exercitium. 155
Movet item alias potentias ad operationem. ibid.
Non movet illas per influxum realem. 156
Voluntas non movetur directè à corporibus cœleſtibus. 161
Voluntas à ſolo Deo movetur efficienter. 163
Varii errores de modo quo Deus movet voluntatem. ibid.
Modi quibus Deus effectivè movet voluntatem. 164
Voluntas, poteſt eſſe ſine cognitione. 160. 251
Voluntas ut agat liberè, dependet à judicio ultimò practico intellectus. 88
Voluntati an poſſit inferri violentia. 91
Voluntati quandonam cenſeatur inferri violentia. 95
Voluntas poteſt neceſſitari ad actus etiam elicitos. 92
Voluntas quo minus actum eliciat, impediri poteſt. ibid.
Voluntas quare minus poſſit pati violentiam in actibus ſuis elicitis, quam imperatis. ib.
Voluntas cur minus poſſit pati violentiam in ſuis actibus elicitis quam aliæ potentiæ. 93
Voluntas per peccatum magis infirmata, quam intellectus. 548
Voluntas neceſſariò ſequitur quod ipſam magis delectat. 149. 549
Voluntas quare non poſſit amore naturali Deum ſuper omnia diligere. ibid.
Voluntas an poſſit parentes, aut idolum pluſquam ſeipſam diligere. ibid.
Voluntas, propoſitis duobus per omnia æqualibus bonis, neutrum poterit eligere. 149
Voluntas ſæpe reſiſtit phyſicè actibus pravis, & tamen illis moraliter conſentit. 95
Voluntatis objectum eſt bonum. 147
Voluntatis actus ſpeciem deſumit ab objecto formali. ibid.

VOLUNTAS DIVINA.

Alia eſt beneplaciti, alia ſigni. 293
Voluntas divina beneplaciti eſt ſemper efficax. ibid.
Voluntas ſigni eſt tantum in Deo metaphorica voluntas. ibid.
In Deo non eſt conatus aliquis, aut ſtudium, aut voluntas aliquid efficiendi, inefficax. 530

Vo-

Digitized by Google

Voluntas ſigni quintuplex. 294
Voluntas Dei alia eſt antecedens, alia conſequens. 294
Quid voluntas antecedens, & quid conſequens. ibid.
In Scripturis multa tribuuntur Deo metaphoricè. 530

VOLUNTATIS CONFORMITAS.

Qualiter voluntas humana debeat conformari divinæ voluntati ut ſit bona. 295. 296
Voluntas humana tenetur ſe conformare divinæ voluntati in volito formali. ibid.
Tenetur voluntas humana approbare voluntatem divinam beneplaciti, quandócumque innoteſcit. 296
Voluntas humana non debet in volito materiali eſſe conformis voluntati divinæ ſibi notæ. 295
Laudabilis eſt voluntas humana quæ vult omnia illa, quæ ſcit Deum etiam velle. 297. 298
Conformitas voluntatis humanę ad divinam eſt apex perfectionis Chriſtianæ. 300
Conformitas voluntatis humanæ cum divina quadruplex. 293

VOLUNTATIS EFFICACIA.

Voluntas alia eſt efficax, alia inefficax. 150
Voluntas unde dicatur inefficax. ibid.
Voluntas ſimplici affectu poteſt appetere impoſſibilia. 152
Voluntas furandi ſub conditione, *ſi eſſet licitum*, an ſit mala. 151
Voluntas efficax habet totam malitiam actus externi, non ſic inefficax. 150. 151
Velleitas de re aliqua illicita quando poſſit eſſe non mala. ibid.
Voluntatis actus mali non poſſunt in Deum referri. Vide Deus. 164
Voluntas quale imperium habeat in appetitum inferiorem. 193
Voluntas pro facto reputatur, quando factum excludit neceſſitas. 227. 228
Voluntas martyrii an ſit æque meritoria, ac ſi martyrium de facto ſubiretur. 229
Voluntas convertendi mille homines an ſit æquè meritoria, ac actualis illorum converſio. 230
Si quis habeat voluntatem tantùm merendi quantum S. Petrus meruit; an eo ipſo tantundem meretur. ibid.
Qui haberet voluntatem tantùm peccandi quantùm Lucifer, an tantundem peccaret. 232

VOLUNTATIS LIBERTAS.

Voluntas Dei quo modo libera. 87
Voluntas dicitur dupliciter deliberata; formaliter, & interpretativè: & quid utraque. 5

VOLUNTARIUM.

Voluntarium quid ſit? 66
Voluntariū aliquid dicitur tripliciter. ib.
Voluntarium aliud perfectum, aliud imperfectum. 69
Quinque regulæ ad diſcernendum in dubio an voluntarium perfectum fuerit, an imperfectum tantum. ibid.
Voluntarium aliud directum, aliud indirectum. 72.
Voluntarium interpretativum quid. ibid.
Ad effectum voluntarium in cauſa tria requiruntur. ibid.
Actus peccaminoſus voluntarius in cauſa habet ſolam malitiam cauſæ. 73
Eſt tamen in confeſſione explicandus. ibid.
Niſi cauſa per pœnitentiam fuerit retractata. 74
Quo caſu ille effectus non eſt in ſe peccatum. ibid.
Quandonam contrahatur malitia actus peccaminoſi in cauſa. ibid.
Voluntariū aliud expreſſum, aliud tacitū. 75
Quandonam cenſeatur aliquis tacitè conſentire. ibid.
Voluntarium aliud eſt tale voluntate propriâ, aliud voluntate alienâ. 76
An detur voluntarium ſine omni actu? ibid.

VOTUM.

Votum, ut obliget, debet executio ejus eſſe Deo gratior, quam omiſſio. 109
Votum metu gravi extortum cur minus obliget quam juramentum. ibid.

ADDENDA.

Pag. 73. lin. 7. col. 1. utilitatem, adde, proportionatam effectui malo ſecuturo.
Pag. 276. lin. 16. col. 2. doctores, adde dummodo is bona fine accedat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-2-2

Google